This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LIBRARIES
20410 0

THE

WORKS

OF

GEORGE BULL, D.D.

LORD BISHOP OF ST. DAVID'S,

COLLECTED AND REVISED

BY

THE REV. EDWARD BURTON, M.A.

LATE STUDENT OF CHRIST CHURCH.

TO WHICH IS PREFIXED

THE LIFE OF BISHOP BULL,

BY

ROBERT NELSON, ESQ.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

VOL. V. PART I.

OXFORD,
AT THE CLARENDON PRESS.
MDCCCXXVII.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

DEFENSIO FIDEI NICÆNÆ,

EX SCRIPTIS, QUÆ EXTANT,

CATHOLICORUM DOCTORUM,

QUI INTRA TRIA PRIMA ECCLESIÆ CHRISTIANÆ SÆCULA FLORUERUNT;

IN QUA OBITER QUOQUE

CONSTANTINOPOLITANA CONFESSIO,

DE SPIRITU SANCTO,

ANTIQUIORUM TESTIMONIIS ADSTRUITUR.

AUTHORE GEORGIO BULLO,

PRESBYTERO ANGLICANO.

PUBLIC LIBRARY



DEFENSIO FIDEI NICÆNÆ,

EX SCRIPTIS, QUÆ EXTANT,

CATHOLICORUM DOCTORUM,

QUI INTRA TRIA PRIMA ECCLESIÆ CHRISTIANÆ SÆCULA FLORUERUNT;

IN QUA OBITER QUOQUE

CONSTANTINOPOLITANA CONFESSIO,

DE SPIRITU SANCTO,

ANTIQUIORUM TESTIMONIIS ADSTRUITUR.

AUTHORE GEORGIO BULLO,

PRESBYTERO ANGLICANO.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

DOCTISSIMO SANCTISSIMOQUE

PRÆSULI,

ECCLESIÆ, ACADEMIÆ, SÆCULI NOSTRI EXIMIO ORNAMENTO,

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO

D^no^ JOANNI,

OXONII EPISCOPO,

SIMUL ET

AMPLISSIMI APUD OXONIENSES COLLEGII ET CATHEDRALIS ECCLESIÆ ÆDIS CHRISTI DECANO,

HAS

FIDEI NICÆNÆ VINDICIAS,

GRATI ANIMI SUMMÆQUE OBSERVANTIÆ QUALECUNQUE PIGNUS AC MONUMENTUM,

DICAT CONSECRATQUE

VIRTUTUM IPSIUS CULTOR DEVOTISSIMUS

GEORGIUS BULLUS.

AD

LECTOREM.

IN Apologia, quam edidi pro libro, cui titulus, *Harmonia Apostolica*, studii mei theologici primitiis, gravissima atque iniquissima adversariorum calumnia ad id coactus, dixi[a], *me delineasse theses quasdam historico-ecclesiasticas de Filii divinitate, quibus veterum doctorum, qui concilium Nicænum antecesserunt, cum Patribus Nicænis consensum, tam de Filii Dei τῷ ὁμοουσίῳ quam de τῷ συναϊδίῳ ejusdem, (derivata traditione ab ipsa apostolica ætate,) me liquido demonstrasse confiderem; sed per adversam corporis valetudinem, per alias curas variaque negotia nondum licuisse mihi sparsas schedas recolligere, atque opus imperfectum ad umbilicum perducere.* Hinc undique a viris doctis atque amicis impetitus fui, rogantibus ut quamprimum perficiendo operi perquam necessario manum animumque adhiberem. Quippe submonebant, inter manus candidatorum S. theologiæ aliorumque passim versari scripta Christophori Christoph. Sandii, Arianam blasphemiam palam et γυμνῇ κεφαλῇ defen-

[a] I. 8. [p. 317.]

dentis tanquam doctrinam vere catholicam, veterumque omnium, qui concilium Nicænum antecessere, suffragiis comprobatam. Horum iteratis postulationibus tandem victus (quanquam ne tum quidem satis mihi otii, neque firma satis valetudo ad negotium tam arduum suppeteret) primævorum Patrum monumenta rursus evolvo; quæ ex ipsis testimonia, ad institutum nostrum spectantia, in adversaria mea congesseram, singula ad novum et exquisitissimum examen revoco; plura alia ad cumulum adjicio; loca a Sandio aliisque pro contraria parte allata diligentius expendo; denique observationum nostrarum rudem veluti atque indigestam molem universam moveo, methodoque quam possum facillima maximeque perspicua dispono ordinoque; jamque quinquennium amplius est, ex quo opus, quale nunc prodit, absolveram.

Si quæris, quare igitur tam sero prodit? dicam aperte. Simul ut scripto ultimam manum imposueram, ipsum mox bibliopolæ uni, alteri, tertio, prælo subjiciendum sub æquissimis conditionibus offerebam; verum illi omnes, alius quidem alio sub obtentu, operis imprimendi curam et impensas suscipere recusabant; veriti, ut conjicio, ne libri auctoris famæ obscurioris, de argumento etiam difficili, cui examinando pauci admodum operam impendere curarent, rarus emptor inveniretur. Nec potui ipse, homo tenui censu, et liberis auctus, præli sumptum sustinere.

Quare neglectum opus domum mecum retuli, in bibliothecæ meæ pluteis recondendum; contentus voluisse saltem aliquid pro divinæ veritatis defensione, atque amicorum voluntati, quantum in me esset, morem gessisse. Sic vero mihi et Musis cum diutius cecinissem, tandem ab amico admonitus, chartas meas, tanquam e sepulchro suo excitas, commisi submisique judicio viri clarissimi et consummatissimi theologi, D. Gul. Jane, S. Theologiæ apud Oxonienses Regii Professoris dignissimi, qui pro candore suo ipsas perlegere haud gravatus est, perlectas, alboque suo calculo cohonestatas, commendavit porro favori ac patrocinio τοῦ μεγάλου Oxoniensis episcopi, ejusque singulari ab humanitate et catholicæ veritatis studio facile impetravit, ut ex prælo apud Theatrum Sheldonianum, ipsius sumptibus adornato, hæc *Fidei Nicænæ Defensio* in lucem aliquando prodiret. Cæterum cum prælum istud aliis aliorum excudendis occupatum, aliquandiu ne omnino quidem, nec postmodum nisi per intervalla, nostris vacaret, hinc factum ut scriptum hoc typographiæ vinculis serius absolutum fuerit.

Si præsagire mihi licuisset, tam diu futurum priusquam tractatus hic noster in publicum egrederetur, ipsum sane accuratiorem aliquanto, ornatiorem ac locupletiorem habuisses. Verum, ut jam dixi, hoc confeci opus rogatu amicorum, me acrius urgentium, atque indesinenter tanquam stimulis fodentium, ut quæ ex lectione veterum pro catholica fide

collectanea apud me habueram, ea retractarem, augerem, et contra venenata Sandii scripta, veluti præsens antidotum, quam celerrime evulgarem. Postquam vero per bibliopolas præli adeundi spes mihi omnis adempta erat, quorsum de ampliando atque exornando opere, blattis et tineis damnato, ulterius laborarem? demum, cum inopinato schedæ meæ præli copiam adeptæ essent, easque typographo excudendas tradidissem, non amplius mei juris erant.

Optandum equidem foret, hoc maximi momenti argumentum tractasset alius quispiam multis partibus me eruditior, cui etiam liberius otium, instructiorem bibliothecam, cæteraque omnia feliciora suppeditavit divina Providentia; cujusmodi perplures habet (Deum opt. max. precor ut quam diutissime habeat) ecclesia nostra Anglicana. Sed nemo hactenus, quod sciam, hanc sibi spartam justo opere exornandam suscepit. Quare his nostris uti, frui ne dedigneris, usque dum prodeat, qui ex ampliore suo penu meliora et perfectiora protulerit. Habes quod a me, homine mediocris ingenii et doctrinæ, modicæ bibliothecæ domino, valetudinario, domesticis curis impedito, et, dum ista scriberem, curæ etiam animarum in parochia rurali affixo, ac denique procul a consuetudine doctorum virorum agente, tanquam literati orbis exule, præstari potuit. Cæterum hoc unum tibi spondere et sanctissime profiteri ausim, toto hoc in opere me summa fide usum esse. Nullum ex primæva antiquitate locum pro synodi

Nicænæ decretis in medium protuli, quem post diligens examen, tum loci ipsius tum contextus loci, a causa quam agimus revera facere non serio judicarem; nullum mutilavi, sed integre omnia exhibui. Græcorum Patrum sententias non Latine tantum, sed et Græce affero, quo Græce scientes de earum genuino sensu certius ipsi judicare possint. Eorum, quæ pro Ariana hæresi ex priscis doctoribus adduxerunt nuperi ejus hyperaspistæ, nihil sciens prudens dissimulavi. Neque duriora veterum dicta quæsitis σοφοῖς φαρμάκοις utcunque sanare; sed catholicum ea sensum non modo admittere, sed et postulare, observato cujusque auctoris scopo ac proposito, adductisque etiam ex singulis sententiis aliis luculentioribus, solide probare conatus sum. Atque ut uno verbo absolvam, sicut falli quidem me posse lubens fateor, ita fallere quenquam me voluisse pernego. De summa rei, quam aliis persuadere volo, plane ipse, neque id temere, persuasus sum, nempe, *quod de Filii divinitate contra Arium aliosque hæreticos statuerunt Patres Nicæni, idem re ipsa* (*quanquam aliis fortasse nonnunquam verbis, alioque loquendi modo*) *docuisse Patres ac doctores ecclesiæ probatos ad unum omnes, qui ante tempora synodi Nicænæ, ab ipsa usque apostolorum ætate, floruerunt.*

Operarum typographicarum atque oscitantis subinde ἐπανορθωτοῦ lapsus benigne excuses velim. Hoc infelix fui, quod unius tantum, nempe ultimæ hujus

operis, schedæ imprimendæ specimen examinare atque emendare mihi ipsi contigerit. Quod solum nunc possum, errata præli, quæ alicujus momenti sunt, in tabella operi præfixa diligenter collecta et notata reperies.

Si quid autem tibi, veritatis et pietatis studiose lector, ad fidem tuam de primario Christianæ religionis articulo confirmandum hæc nostra profuerint, erit, de quo et tu et ipse Deo opt. max. gratias agamus. Laboris mei pretium hoc unum abs te expeto, (hoc vero vehementer expeto,) ut in precibus tuis mei peccatoris meorumque interdum memor sis. Vale in Christo Servatore, Domino Deoque nostro.

INDEX THESIUM

IN

HOC OPERE

DEMONSTRATARUM.

SECT. I. DE FILII τῇ Προϋπάρξει.

THESIS.

JESUM Christum, hoc est, eum, qui postea Jesus Christus dictus est, ante suam ἐνανθρώπησιν, sive ex beatissima Virgine secundum carnem nativitatem, in natura altera, humana longe excellentiori, extitisse; sanctis viris, velut in præludium incarnationis suæ, apparuisse; ecclesiæ, quam olim sanguine suo redempturus esset, semper præfuisse ac prospexisse; adeoque a primordio omnem ordinem divinæ dispositionis (ut Tertullianus loquitur) per ipsum decucurrisse; quin et ante jacta mundi fundamenta Deo Patri suo adfuisse, perque ipsum condita fuisse hæc universa, catholici doctores trium primorum sæculorum uno omnes ore docuerunt. - P. 17.

SECT. II. DE FILII τῷ Ὁμοουσίῳ.

THESIS.

Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον, sive *consubstantialem*, hoc est, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ et incommutabilis, proinde Deum verum de Deo vero esse, catholicorum doctorum, qui tribus primis sæculis floruerunt, constans concorsque fuit sententia. - P. 69.

SECT. III. DE FILII τῷ Συναϊδίῳ.

THESIS PRIMA.

Doctorum, qui concilium Nicænum antecesserunt, potior et major pars Filii τὸ συναΐδιον, id est, coæternam cum Deo Patre existentiam, sine ambagibus, aperte, clare ac perspicue docuerunt et professi sunt. - P. 475.

THESIS SECUNDA.

Nonnulli sunt scriptores catholici synodo Nicæna antiquiores, qui videntur Filio Dei, etiam qua Deus est, nativitatem tribuisse quandam, quæ aliquando cœperit, et mundi creationem proxime antecesserit. Sed et isti longius ab Arii sententia abhorruerunt. Nam si dicta eorum accuratius expendantur, apparebit de nativitate ipsos locutos non vera et proprie dicta, qua nempe Filius ὑποστάσεως et subsistentiæ suæ initium acceperit; sed de figurata et metaphorica; hoc est, illud tantum voluisse, τὸν λόγον, qui ante omnia sæcula (cum nihil præter Deum esset) in et cum Deo Patre extitit, ut æternæ ipsius mentis coæterna progenies, ex ipso Deo Patre, tum cum mundum conditurus esset, κατ' ἐνέργειαν prodiisse et progressum esse ad constituendum universa, seque Patremque suum creaturis manifestandum; atque ob hanc προέλευσιν et manifestationem, Dei Filium et primogenitum in Scripturis dici. - - - P. 551.

THESIS TERTIA.

Patrum primævorum, quos proxime commemoravimus, sententiam, seu potius modum quo sententiam suam explicarunt, catholici quidam doctores, qui post exortam controversiam Arianam vixerunt, seque Ariomanitarum hæresi fortiter opposuerunt, non refugere. Nam et ipsi illam τοῦ λόγου, semper apud Deum Patrem existentis, ex Patre progressionem (quam et συγκατάβασιν, hoc est *condescensionem*, eorum nonnulli appellarunt) ad condendum hæc universa agnovere; atque ejus etiam progressionis respectu ipsum τὸν λόγον a Deo Patre quasi natum fuisse, et *omnis creaturæ primogenitum* in Scripturis dici confessi sunt. - - - P. 607.

THESIS QUARTA.

Tertullianus quidem alicubi ausus est diserte scribere, fuisse tempus, quando Filius Dei non esset. Sed primo constat, scriptorem illum, cæteroquin ingenii magni et paris eruditionis, ab ecclesia catholica ad hæresim defecisse; et valde incertum est, quos catholicus, quos in hæresim inclinans, quos demum plane hæreticus libros conscripserit. Deinde videtur Tertullianus protulisse istud effatum ἀγωνιστικῶς, et in certamine cum adversario, ludens in vocabulo *Filii*; ita ut cum Filii æternitatem absolute negasse videatur, revera tamen nihil aliud voluerit, quam quod voluerunt Patres, quos in capitibus 5—8. hujus sectionis commemoravimus; nempe personam illam divinam, qui Filius Dei appellatur, quanquam nunquam non extiterit apud Patrem, Filium tamen tum primum declaratum fuisse, quando ex Patre processerit ad constituendum universa. Certe idem Tertullianus alibi multis in locis plane catholice, si dogmatis τὸ ὑπερέχον spectemus, de Filii τῷ συναϊδίῳ philosophatus fuit. Ad Lactantium quod attinet, qui etiam alicubi Filio Dei non obscure initium existentiæ tribuit, levis est ejus in ecclesia Dei existimatio et auctoritas; siquidem sacrarum literarum et doctrinæ Christianæ pene rudis fuit. Deinde necessario statuendum, aut loca illa scriptorum Lactantii, quæ contra Filii æternitatem facere videntur, ab hæretico aliquo Manichæo depravata; aut certe ipsum Lactantium Manetis hæresi infectum fuisse. Demum et ipse tamen alibi saniorem de æternitate τοῦ λόγου sententiam tradidit. - - - P. 635.

SECT. IV. DE SUBORDINATIONE FILII AD PATREM.

THESIS PRIMA.

Decretum illud synodi Nicænæ, quo statuitur, Filium Dei esse Θεὸν ἐκ Θεοῦ, Deum de Deo, suo calculo comprobarunt doctores catholici, tum qui ante, cum qui post synodum illam scripsere. Nam illi omnes uno ore docuerunt, naturam perfectionesque divinas Patri Filioque

competere non collateraliter aut coordinate, sed subordinate; hoc est, Filium eandem quidem naturam divinam cum Patre communem habere, sed a Patre communicatam; ita scilicet ut Pater solus naturam illam divinam a se habeat, sive a nullo alio, Filius autem a Patre; proinde Pater divinitatis, quæ in Filio est, fons, origo ac principium sit. - - - - - P. 685.

THESIS SECUNDA.

Catholici doctores, tum qui synodo Nicæna anteriores fuere, tum qui postmodum vixerunt, unanimi consensu Deum Patrem etiam secundum divinitatem Filio majorem esse statuerunt; nempe, non natura quidem, aut perfectione aliqua essentiali, quæ in Patre sit, et non in Filio; sed auctoritate sola, hoc est origine; quoniam a Patre est Filius, non a Filio Pater. - - P. 704.

THESIS TERTIA.

Doctrinam de subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, ideo cognitu crebrituque perutilem ac plane necessariam esse, antiqui doctores existimarunt, quod hac imprimis ratione ita Filii divinitas adseratur, ut nihilominus Dei unitas, et monarchia divina, sarta tecta conservetur. Scilicet quamvis duobus, nempe Patri et Filio Dei, nomen et natura communis sit; tamen quoniam alter alterius est principium, a quo propagatur, idque interiori productione, non externa; fit, ut Deus esse unicus merito dicatur. Quam rationem pariter ad Spiritus Sancti divinitatem pertinere prisci illi crediderunt. - - - - P. 767.

ELENCHUS CAPITUM

CUJUSQUE SECTIONIS.

PROŒMIUM,

IN quo occasio, institutum, ac distributio universi operis proponitur. - - - - P. 1.

SECT. I. DE FILII τῇ Προϋπάρξει,

SIVE

PRÆEXISTENTIA ANTE B. MARIAM, ADEOQUE ANTE CONDITUM MUNDUM, ET DE CREATIONE MUNDI PER IPSUM.

CAP. I.

Thesis proponitur, ejusque pars prior, de Filii præexistentia ante B. Mariam, demonstratur. - P. 17.

CAP. II.

Confirmatur thesis pars altera, de Filii præexistentia ante conditum mundum, et de omnium creatione per ipsum. - - - - - P. 41.

Annotata ad §. 2. de S. Barnaba. - - P. 60.

Annotata ad §. 6. de S. Herma. - - P. 67.

SECT. II. DE FILII τῷ Ὁμοουσίῳ,

SIVE

CONSUBSTANTIALITATE.

CAP. I.

Thesis proponitur. Vox ὁμοούσιος fuse explicatur. Patres Nicæni in eo, quod vocabulo isto ad explicandam Filii veram Divinitatem usi sint, a καινοφωνίας suspicione liberantur. Ἀντιλογία synodorum Antiochenæ contra Paulum Samosatenum, et Nicænæ contra Arium conciliatur. Ab hæreticis τὸ ὁμοούσιον acceptum non fuisse ostenditur. Capita argumentorum, quibus Antenicæni doctores τὸ ὁμοούσιον confirmarunt, breviter recensentur. P. 69.

CAP. II.

Doctrina auctoris Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ, sive Pastoris, Ignatii Martyris, de vera Filii Divinitate, explicatur. - - - P. 103.

Annotata ad §. 1. seqq. de S. Barnaba. P. 124.

Ad §. 2. seqq. de S. Herma. - - P. 129.

Ad §. 6. de S. Ignatio. - - - P. 132.

CAP. III.

Clemens Romanus et Polycarpus ab auctoris Irenici et Sandii calumniis obiter vindicantur. - P. 132.
Annotata ad §. 3. seqq. de Clemente Romano. P. 168.
Testimonia pro Deitate Christi adducta ex Testamentis XII. patriarcharum. - - - P. 176.

CAP. IV.

Exponitur sententia Justini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni. Atque obiter fides de S. Trinitate Christianorum, Luciani ætate, ex ipso Luciano declaratur. - - - - P. 178.
Annotata ad §. 1. seqq. de S. Justino M. - P. 208.
Ad §. 10. de Tatiano et Theophilo Antiocheno. P. 211.

CAP. V.

Declaratur Irenæi doctrina de Filio Dei, Nicænam fidem apertissime confirmans. - - P. 212.
Annotata ad cap. 5. de S. Irenæo. - P. 233.
De Melitone. - - - - P. 237.

CAP. VI.

S. Clementis Alexandrini luculentissima testimonia, de vera ac summa Filii divinitate, adeoque de integra SS. Trinitate ὁμοουσίῳ, proferuntur. - - P. 239.
Annotata ad §. 2. seqq. de Clemente Alexandrino. P. 253.

CAP. VII.

Tertulliani sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, cum Nicæna fide omnino conspirans, explicatur. - P. 256.

CAP. VIII.

Confirmatur Nicæna fides, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, testimoniis Caii presbyteri, et S. Hippolyti celeberrimi episcopi et martyris. - - - - P. 269.
Annotata ad §. 1. de Caio. - - P. 279.

CAP. IX.

Origenis doctrinam, de Filii Dei vera divinitate omnino catholicam, et Nicænæ fidei plane consonam fuisse, præcipue ex indubitato ejus, et maxime incorrupto, atque

ab ipso jam sene accuratiori diligentia elucubrato opere contra Celsum, fuse et luculenter ostenditur. P. 286.

CAP. X.

De Cypriani martyris, Novatiani, sive auctoris libri de Trinitate inter opera Tertulliani, nec non Theognosti fide ac sententia. - - - - P. 363.

Annotata ad §. 1. seqq. de S. Cypriano et Novatiano. P. 381.

CAP. XI.

In quo consensus cum Patribus Nicænis Dionysiorum, Romani et Alexandrini, declaratur. - P. 389.

Annotata ad §. 5. et 6. de Dionysio Alexandrino. P. 414

CAP. XII.

De sententia et fide viri celeberrimi Gregorii Thaumaturgi, Neocæsareæ in Ponto episcopi. - P. 415.

Annotata ad §. 4. de Gregorii Thaumaturgi Confessione fidei. - - - - - P. 433.

CAP. XIII.

Sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ sex episcoporum Antiocheni concilii, qui ad Paulum Samosatensem Epistolam scripsere, nec non Pierii, Pamphili, Luciani, et Methodii martyrum, catholica, et Nicænæ fidei plane consona fuisse ostenditur. - - - P. 434.

Annotata de S. Luciano martyre, et S. Methodio P. 458.

CAP. XIV.

Sententia ac fides, de vera Filii divinitate, Arnobii Afri et Lactantii declaratur. Sectio secunda de τῷ ὁμοουσίῳ brevi epilogo concluditur. - - - P. 460.

Annotata de S. Petro, episcopo Alexandrino et martyre. P. 470.

SECT. III. DE FILII τῷ Συναϊδίῳ,

SIVE

COÆTERNA CUM DEO PATRE EXISTENTIA.

CAP. I.

Connexio sectionis tertiæ cum præcedenti. Proponitur de Filii æternitate thesis prima; quæ primum disertissimis Ignatii, viri apostolici, testimoniis confirmatur. No-

bilis ejusdem locus in Epistola ad Magnesios luculenta explicatione illustratur. Gnostici Arianorum parentes. P. 473.

CAP. II.

Justini Martyris, Irenæi, et Clementis Alexandrini doctrina de Filii æternitate explicatur. - - P. 510.

Annotata ad §. 1. seqq. de S. Justino Martyre. P. 521.

Ad §. 4. de Irenæo. - - - - - - P. 523.

CAP. III.

Origenis de Filii τῷ συναϊδίῳ luculentissima suffragia adducuntur. - - - - - - - - P. 525.

CAP. IV.

Decretum Nicænorum Patrum de Filii coæterna cum Patre suo existentia disertissimis Cypriani, Dionysiorum Romani et Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, sex episcoporum qui ex Antiochena synodo ad Paulum Samosatenum scripsere, Theognosti, Methodii, Pamphili Martyris, atque Arnobii testimoniis confirmatur. P. 535.

CAP. V.

Proponitur thesis secunda de Patribus illis, qui Filii æternitatem, cum negasse videantur, revera tamen confessi sunt. Athenagoræ sententia de Filii τῷ συναϊδίῳ accurate explicatur. - - - - - P. 551.

CAP. VI.

Tatiani doctrina de Filii æternitate fuse declaratur. P. 567.

CAP. VII.

Theophili Antiocheni sententia ac fides de Filii æternitate, in summa rei, sana, catholica, et Nicænæ fidei consona fuisse perspicue ostenditur. - - - P. 580.

CAP. VIII.

S. Hippolyti Martyris, et Novatiani, sive auctoris libri de Trinitate, inter opera Tertulliani, doctrina de Filii τῷ συναϊδίῳ declaratur. - - - - - P. 593.

CAP. IX.

Proponitur de Filii τῷ συναϊδίῳ thesis tertia, qua sententia Patrum Antenicænorum, de quibus in quatuor proxime præcedentibus capitibus actum est, testimoniis catholi-

corum doctorum, qui post exortam controversiam Arianam vixere, amplius illustratur. - - - P. 607.

CAP. X.

Thesis quarta. Examinatur Tertulliani, nec non Lactantii de Filii æternitate doctrina. Sectio tertia concluditur. P. 635.

SECT. IV. DE SUBORDINATIONE FILII AD PATREM, UT AD SUI ORIGINEM AC PRINCIPIUM.

CAP. I.

Proponitur thesis prima, de subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium. Quæ et unanimi veterum consensu confirmatur. Ostenditur, locutionem illam quorundam neotericorum, qua Filium dicunt *αὐτόθεον*, hoc est, *a seipso Deum*, sententiæ synodi ipsius Nicænæ, adeoque catholicorum doctorum omnium, tum qui ante, tum qui post istam scripsere synodum, prorsus repugnare. - - - - - - - P. 685.

Annotata ad §. 10. - - - - - P. 702.

CAP. II.

Proponitur et confirmatur thesis secunda, qua ostenditur, veteres uno ore docuisse, tum Deum Patrem, eo quod origo et principium ipsius sit, Filio majorem esse, tum *κατὰ φύσιν* æqualem esse Patri Filium. - P. 708.

CAP. III.

Objectioni adversus ea, quæ in præcedenti capite disputata sunt, ex iis veterum locis, in quibus Filii Dei immensitatem atque invisibilitatem negasse videantur, petitæ, late respondetur. - - - - - P. 730.

CAP. IV.

Proponitur thesis tertia, qua usus doctrinæ de subordinatione Filii explicatur. - - - - P. 766.

Epilogus operis universi. - - - - P. 797.

DEFEN

DEFENSIO

FIDEI NICÆNÆ, &c.

PROŒMIUM,

In quo occasio, institutum, ac distributio universi operis proponitur.

1. CONCILII primi œcumenici, Nicææ habiti[a], summa fuit semper apud catholicos omnes auctoritas atque existimatio; neque sane immerito. Nunquam synodum, quæ potius universalis aut libera dici mereretur, nunquam cœtum episcoporum atque antistitum ecclesiæ augustiorem et sanctiorem, post denatos apostolos, vidit Christianus orbis. "Scilicet in "conventu illo (referente Eusebio[b]) ex omnibus ec- "clesiis, quæ universam Europam, Africam atque "Asiam impleverant, τῶν τοῦ Θεοῦ λειτουργῶν τὰ ἀκρο- "θίνια, *ii qui inter Dei ministros principem locum* "*obtinebant*, simul convenere: unaque ædes sacra, "velut Dei nutu dilatata, Syros simul et Cilicas, "Phœnices et Arabes et Palæstinos, Ægyptios præ- "terea, Thebæos ac Libyas, aliosque ex Mesopota- "mia advenientes ambitu suo complexa est. Qui- "dam etiam ex Perside episcopus synodo interfuit: "nec vel Scytha abfuit ab hoc choro. Pontus item, "Galatia, Pamphylia et Cappadocia, Asia quoque et

[a] A. D. 325. Cave. Hist. Lit. Sec. Arian. BOWYER.

[b] De Vita Constant. III. 7, 8, 9.

" Phrygia lectissimum quemque ex suis præbuere. " Thraces quinetiam, Macedones, Achivi et Epi- " rotæ, et qui longissimo intervallo ultra hos positi " sunt, nihilominus adfuere. Ab ipsa quoque His- " pania vir ille multo omnium sermone celebratus " (Hosius) una cum reliquis aliis consedit. Aberat " quidem regiæ urbis[c] (Romæ scil.) antistes ob seni- " lem ætatem; sed præsto erant presbyteri, qui vices " ejus implerent. Hujusmodi coronam, pacis vin- " culo consertam et connexam, solus ab omni ævo " imperator Constantinus, velut divinum grati animi " monumentum pro victoriis, quas de hostibus et " inimicis retulerat, Christo Servatori suo dedicavit; " hoc amplissimo cœtu, tanquam imagine quadam " apostolici chori, convocato.——In hoc choro epi- " scopi quidem supra ducentos et quinquaginta ad- " fuerunt[d];" (Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Rufinus, Socrates, aliique complures, trecentos et octodecim episcopos in illa synodo consedisse narrant;) " presbyterorum vero qui eos comitati sunt, " diaconorum, acoluthorum, aliorumque complurium " numerus iniri vix potest. Porro ex his Dei mi- " nistris, alii sermone sapientiæ, alii gravitate vitæ " et laborum tolerantia eminebant; alii modestia et " comitate morum erant ornati. Ac nonnulli qui- " dem eorum ob provectam ætatem maximo in ho- " nore erant; nonnulli et corporis et animi juvenili " vigore enitebant, &c."

2. In hac synodo agebatur de summo Capite religionis Christianæ, nempe, de personæ Jesu Christi Servatoris nostri dignitate; sitne ille ut verus Deus colendus, an in creaturarum et rerum vero Deo sub-

[c] Vide Valesium in notis ad loc. [d] Ibid.

jectarum ordinem et censum redigendus. Si in hac maximi momenti quæstione toto cœlo errasse universos ecclesiæ rectores, erroremque suum plebi Christianæ persuasisse fingamus, quo pacto constabit fides Christi Domini nostri recipientis, se ad con- 2
summationem seculi apostolis, adeoque eorum successoribus, (nam cum promissio ad consummationem seculi se extendat[e], apostoli autem tamdiu victuri non essent, omnino Christus in apostolorum persona censendus est etiam successores ejus muneris compellasse,) adfuturum?

3. Hæc quoties mecum perpendo, toties fere non sine indignatione, adeoque horrore quodam, una recolo stupendam eorum inscitiam, seu potius impiam vesaniam, qui in venerandos Patres non veriti sunt palam debacchari, tanquam qui catholicam de persona Jesu Christi doctrinam, ab apostolis traditam, ac per tria prima secula in ecclesia conservatam, vel malitiose, vel certe per imperitiam ac temere depravaverint, novamque fidem orbi Christiano obtruserint. Hoc nomine (ut veteres taceam Arianos, notissimos fidei Nicænæ hostes et calumniatores) olim infamis fuit Sabinus, Macedonianæ factionis assecla; cujus de concilio Nicæno temerarium et inverecundum judicium refert et refutat Socrates Hist. Eccles. I. 8. Ubi optimus ecclesiæ historiographus, postquam se ideo Nicænæ synodi historiam retulisse dixerat, ut siqui forte concilium illud, tanquam in causa fidei lapsum, condemnare voluerint, iis minime attendamus, mox hæc subjicit[f]: Μὴ δὲ πιστεύσωμεν Σαβίνῳ κ. λ. "Nec Sabino Macedoniano "credamus, qui imperitos ac simplices vocat eos qui

[e] Matt. xxviii. 20. Bowyer. [f] P. 21, et 22. edit. Valesii.

" in eo concilio convenerunt. Nam Sabinus, Mace-
" donianorum apud Heracleam Thraciæ urbem epi-
" scopus, qui diversarum synodorum acta unum in
" corpus collegit, Nicæni quidem concilii sacerdotes
" quasi rudes ac simplices deridet; nec animadver-
" tit, se ipsum quoque Eusebium, qui fidem illam
" post diuturnæ inquisitionis examen amplexus est,
" ut imperitum simul criminari. Ac nonnulla qui-
" dem de industria prætermisit; quædam vero per-
" vertit atque immutavit: cæterum cuncta ad insti-
" tutum suum sensumque pertraxit. Et Eusebium
" quidem Pamphili, tanquam testem fide dignissi-
" mum laudat; imperatorem quoque ipsum præco-
" niis afficit, utpote qui Christianæ fidei dogmata
" apprime calleret. Fidem vero Nicææ expositam
" reprehendit, tanquam ab ignaris et imperitis ho-
" minibus conscriptam. Et quem sapientem virum
" et veracem testem nominat, ejus verba sciens ac
" prudens despicit ac contemnit. Eusebius enim
" scribit, ex ministris Dei qui Nicænæ synodo inter-
" fuerunt, alios sermone sapientiæ, alios vitæ con-
" stantia ac fortitudine excelluisse; et imperatorem
" ipsum, qui aderat, ad concordiam cunctos redu-
" centem unanimes et consentientes reddidisse."
Idem vero Socrates ejusdem libri cap. 9.[g] reprehendit Sabinum, quod non etiam secum reputaverit, Ὡς εἰ καὶ ἰδιῶται ἦσαν οἱ τῆς συνόδου, κατελάμποντο δὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου πνεύματος, οὐδαμῶς ἀστοχῆσαι τῆς ἀληθείας ἐδύναντο. i. e. " Eos, qui ad synodum
" illam convenerant, quamvis rudes essent atque im-
" periti, a Deo tamen et Spiritus S. gratia illustra-
" tos, nullatenus a veritate aberrare potuisse." Quippe sensisse videtur Socrates, concilio episcoporum vere

[g] Pag. 31.

universali semper adesse Spiritus Sancti gratiam illuminatricem, quæ ipsos ab errore, saltem in necessariis fidei articulis, liberos custodiat. Quam hypothesin si quis nolit admittere, poterit ad ipsum argumentatio Socratis ita institui ac formari: Patres Nicæni, ut imperiti et literarum rudes fuisse fingantur, pii tamen certe maximam partem fuere; incredibile autem est, tot viros sanctos et probatos, ex omnibus orbis Christiani regionibus convenientes, (qui qualicunque alias imperitia laboraverint, certe ignorare non poterant elementariam de SS. Trinitate doctrinam, etiam catechumenis tradi solitam, aut quid ipsi ea de re a majoribus accepissent,) nefarie conspirare potuisse ad hoc, ut receptam in ecclesia fidem de primario Christianismi articulo innovarent.

4. Verum, ut ad recentiores veniam, Patrum nostrorum memoria Faustus Socinus Senensis in Epist. 2.[h] ad Radecium affirmat, cognitionem veri de Deo dogmatis, nempe Patrem solum verum esse Deum, usque ad tempora concilii Nicæni perseverasse: "Cognitio," inquit, "ista sine ulla controversia us-"que ad tempora concilii Nicæni, et aliquanto post "inter eos, qui Christum profitebantur, esse non de-"siit. Per totum enim illud tempus, ut ex omnium, "qui tunc extiterunt, scriptis liquet, ille unus verus "Deus, quem passim sacra testimonia prædicant, "solus Pater Jesu Christi est creditus." Ubi cum dicit, veteres omnes usque ad concilium Nicænum credidisse, Patrem solum Jesu Christi esse unum illum verum Deum, si de Patris prærogativa, qua ipse solus a seipso Deus verus est, intelligatur, verissimum esse illud fatemur. Sed hoc pro Socino nihil

[h] [Op. ed. 1656. vol. I. p. 375.]

facit: et certum est, hujus dogmatis cognitionem non modo usque ad tempora concilii Nicæni, aut aliquanto post, sed semper in ecclesia Christi perseverasse. Sin propositio hæc, *Pater solus Jesu Christi est unus ille verus Deus*, prorsus exclusive accipiatur, ita ut Christo veritas divinitatis adimatur, et negetur, quod definivit synodus Nicæna, Filium nempe de Deo vero Deum verum esse; (quod Socinum voluisse nimis manifestum est;) tum aperte falsum esse contendimus, veteres omnes scriptores usque ad tempora concilii Nicæni ita credidisse. Imo Filium ejusdem esse cum Patre naturæ, ac proinde verum Deum perinde ac Patrem, omnes docuisse ostendemus. Unde ipse Socinus alibi, nempe in Epistola 3. ad eundem Matth. Radecium[i] (sibi, ut solet, contradicens) fatetur, "ab ipso ferme nascentis "ecclesiæ Christi initio, usque ad nostra tempora, "tot viros non minus pietate quam doctrina clarissi- "mos, tot ipsius Christi sanctissimos martyres, adeo "ut nullus sit numerus, eum alioqui gravissimum "errorem secutos fuisse, quod Christus sit unus ille "Deus, qui omnia creavit, aut certe ex illius propria "substantia genitus." Sane autem Filium Dei ex propria Dei substantia genitum, ac proinde de Deo vero Deum verum esse, summa est doctrinæ, quam Patres Nicæni contra Arium asseruerunt. 3

5. M. Simon Episcopius, theologus cætera doctissimus, sed in antiquitate ecclesiastica plane hospes, cum a Socino diversum senserit, quin et Filii τὴν προύπαρξιν non modo ante beatam Virginem, sed etiam ante conditum mundum, contra Socinum palam defenderit; de fide tamen sancita a Patribus Nicænis, plane indigna et intoleranda scripsit. Etenim in

[i] [Ib. p. 391.]

Nicænum, quæque cum eo conspirarunt symbola, post tertium seculum cusa et composita, (majori imperitia an ἀναιδείᾳ haud facile dixerim,) invehitur[k]: "Quod ad cætera," inquit, "post consecuta sym- "bola, quæ in conciliis œcumenicis, ut vocantur, "cusa fuerunt, ea, quia recentiora sunt, cum his" (nempe cum symbolis et confessionibus, quibus per tria prima secula, tanquam notis ac tesseris, Christiani et catholici ab infidelibus et hæreticis discernebantur) "comparari non merentur. Et si, quod res "est, dicendum est, ea ab episcopis inter se magna "cum æmulatione jurgantibus et contendentibus, ex "fervore, si non furore, partiumque studio insano "ac maleferiato, præcipitata potius videri debent, "quam a compositis animis profecta." Atque ut intelligas, Nicænum præcipue symbolum ab ipso hic perstringi, mox subdit, "Quis enim nescit, quam "acres in synodo Nicæna disceptationes, quam præ- "fracta jurgia inter episcopos excitata fuerint?" Quis vero, inquam ego, non sentiat, hæc ab animo haud satis sano aut composito profecta esse? adeone decuit virum sobrium ac modestum venerandos augustissimæ synodi antistites convitiis lacerare et proscindere? Sed ad rem. Symbolum Nicænum ab episcopis, ex furore partiumque studio insano ac maleferiato, præcipitatum fuisse non veretur dicere. At Constantinus imperator, qui synodo Nicænæ moderator ipse præfuit, in Epistola ad ecclesias de eadem synodo diserte testatur[l], quod se præsente in ea ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως, "Cuncta "competenti examine discussa fuerint." Idem in

[k] Institut. Theolog. IV. 34. [sect. 2.]

[l] Apud Euseb. de Vita Constant. III. 17. [p. 586.]

Epistola ad Alexandrinam ecclesiam proprie scripta[m] ait, Se inter Nicænos episcopos, velut ex eorum numero unum, et conservum ipsorum, præsentem veritatis examen ita suscepisse, ut ἠλέγχθη ἅπαντα, καὶ ἀκριβῶς ἐξήτασται, ὅσα ἡ ἀμφιβολίας (sic enim legendum esse, ex eadem clausula mox a Socrate repetita, satis liquet) ἡ διχονοίας πρόφασιν ἐδόκει γεννᾶν, i. e. "Cuncta, "quæ controversiæ aut dissensionis materiam exci- "tare videbantur, accurate discussa atque examinata "fuerint." Ad quam Constantini Epistolam hæc annotat Socrates[n]: Ὁ μὲν δὴ βασιλεὺς τοιαῦτα ἔγραφε τῷ Ἀλεξανδρέων δήμῳ, μηνύων ὅτι οὐχ' ἁπλῶς, οὐδὲ ὡς ἔτυχε γέγονεν ὁ ὅρος τῆς πίστεως· ἀλλ' ὅτι μετὰ πολλῆς συζητήσεως καὶ δοκιμασίας αὐτὸν ὑπηγόρευσαν· καὶ οὐχ' ὅτι τινὰ μὲν ἐλέχθη, τινὰ δὲ ἀπεσιγήθη, ἀλλ' ὅτι ὅσα πρὸς σύστασιν τοῦ δόγματος λεχθῆναι ἥρμοζε, πάντα ἐκινήθη· καὶ ὅτι οὐχ' ἁπλῶς ὡρίσθη, ἀλλ' ἀκριβῶς ἐξητάσθη πρότερον· i. e. "Et impe- "rator quidem hæc scripsit ad populum Alexandri- "num, docens definitionem fidei non leviter ac te- "mere, sed cum multa inquisitione ac diligenti exa- "mine dictatam fuisse: nec quædam in eo concilio "dicta, quædam silentio tradita, sed quæcunque ad "confirmationem dogmatis dici poterant, cuncta in "medium fuisse prolata; nec causam temere defini- "tam, sed prius accurate discussam fuisse." Imo ipse Eusebius, qui in Nicæno consessu primum locum post imperatorem tenuisse videtur[o], (scriptor integerrimus, et temperati ingenii, neque Arianis partibus iniquus,) expresse refert, fidei in eo concilio conscriptæ episcopos omnes οὐκ ἀνεξετάστως, non temere et inconsulto, sed post accuratum, delibera-

[m] Apud Socratem Hist. Eccles. I. 9. p. 30. ed. Vales.

[n] Pag. 31.

[o] Vid. not. Vales. ad Euseb. III. de Vita Const. c. 11.

tum et diligens singularum sententiarum (ac nominatim clausulæ de τῷ ὁμοουσίῳ) examen coram imperatore adhibitum, unanimi consensu subscripsisse. Vide Epistolam Eusebii ad homines suæ paroeciæ apud Socratem Hist. Eccles. I. 8. [p. 22, 23.] Initio quidem concilii non leves inter episcopos quosdam concertationes fuere; sed eæ mox pia et placida imperatoris oratione facile sedatæ et consopitæ, ut idem testatur Eusebius.

6. Anonymus auctor[p] libri, pridem editi, qui inscribitur *Irenicum Irenicorum*, &c. audacter pronunciat, Nicænos Patres "novæ fuisse fidei conditores;" quod et in toto opere, coacervatis ex Patrum monumentis, qui concilium Nicænum antecessere, testimoniis, Nicænæ fidei in speciem repugnantibus, probare nititur. Quod opus "irrefragabilia testimonia "et argumenta" continere dicit Steph. Curcellæus[q]. Eandem denuo telam nuperrime texuit Christophorus Christoph. Sandius in suo, quem vocat, Nucleo Historiæ Ecclesiasticæ, secundum edito, et copiosissima fabularum et contradictionum accessione locupletato; in quo totus in eo est inverecundus ille scriptor, ut imperitis lectoribus et in veterum scriptis minime versatis persuadeat, Patres Antenicænos ad unum omnes plane cum Ario sensisse. 4

7. Sed virum magnum atque omnigena literatura instructissimum Dionysium Petavium mirari satis nequeo, qui cum summam præ se ferat synodi Nicænæ reverentiam, fidemque in ea confirmatam contra Arianos pro vere apostolica et catholica se agnoscere ubique profiteatur, id tamen Arianis largitur,

[p] Pag. 84. [Daniel Zuickerus, v. Introduct. ad Prim. et Apost. Trad. §. 2.]

[q] Quat. Dissert. Theol. Dissert. I. 118. in fine.

quod, si verum sit, ad stabiliendam ipsorum hæresim, atque ad Nicænæ synodi fidem et auctoritatem elevandam, adeoque funditus evertendam, quam maxime faciat; nempe ecclesiæ præsules, et Patres plerosque omnes Antenicænos, prorsus idem quod Arius sensisse. Sic enim ille de Trin. I. 5, 7. "Igitur non-" nullis veterum illa de Divinitate ac Personarum in " ea diversitate insederat opinio, unum esse sum-" mum, ingenitum, neque aspectabilem Deum, qui " Λόγον id est *Verbum* vel *Sermonem*, quem ἐνδιάθε-" τον, *intus inclusum* tenebat, ex sese foras produx-" erit, vocalem et sonantem: nec tamen vocis instar " sonique transeuntem, ac dissipabilem; sed ejus-" modi, ut velut corporatus ac subsistens cætera " deinceps efficeret. Tum autem a supremo Deo ac " Patre productum esse dixerunt, cum hanc rerum " universitatem moliri statuit, ut illum velut admi-" nistrum adhiberet. Quam sententiam alii clarius, " obscurius alii significant. Sed isti fere, Athena-" goras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus, et Lac-" tantius. Tam ii vero quam reliqui, quos comme-" moravi [q]," (quem autem ex Patribus primævis non supra commemoraverat?) " ævo, dignitate ac poten-" tia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt; " ac tametsi de Patris esse substantia sive natura " Filium assererent; (qua una re ab cæteris, quæ " creaturæ proprie vocantur, illius conditionem di-" versam faciebant;) non minus tamen quam crea-" turas initium habuisse, hoc est, minime ex æterno " distinctam hypostasim fuisse putarunt." Planius autem loquitur ejusdem libri cap. 8. §. 2. " Planis-

[q] [Pro his verbis *reliqui quos commemoravi*, substituit Petavius in fine tomi, *aliqui alii, ut Origenes*; et locum ita emendatum citat ipse Bullus, infra, III. 4. 10.]

" sime constat," inquit, " germanum Platonicum " Arium extitisse, tum illorum veterum secutum " esse dogma, qui nondum patefacta constitutaquè " re ad eundem errorem offenderunt. Nam et illi " productum a Deo Patre Verbum, non tamen ex " æternitate, docuerunt, sed antequam mundum fa- " bricaret, ut illo administro ad hujus molitionem " operis uteretur. Non enim per sese ac sine inter- " jecto aliquo procreasse putabant omnia, quod et " Philo in libro *de Opifice Mundi* secutus est. Quam- " obrem quod Arium illius dogmatis architectum " fuisse, cujusmodi hactenus auditum non erat, Alex- " ander in Epistola queritur, aliique Patres, qui con- " tra hanc hæresim scripsere, oratorio more et per " exaggerationem dici arbitror; siquidem magna est " a nobis producta copia priscorum, qui idem quod " Arius ante tradiderunt."

8. Itaque si fides Petavio habenda sit, statuendum primo, Arii hæresim a Nicænis Patribus damnatam in summa rei cum communi veterum catholicorum doctorum, qui ipsum antecesserunt, sententia convenisse: secundo, dogma de Filii vera divinitate ante synodum Nicænam non fuisse constitutum et patefactum: tertio, Alexandrum et cæteros catholicos, qui Arium accusarunt, ut novi dogmatis et in ecclesia catholica antea inauditi auctorem, oratorio more et per exaggerationem illud dixisse: hoc est, (si res planius dicenda sit,) insigniter mentitos fuisse, more scilicet Jesuitico, ut catholicæ causæ inservirent. O infelicem Arium, quod nondum sua ætate natus fuerit Petavius, qui in Nicæno conflictu causæ ipsius patronus et advocatus fieret! quid autem Petavio, dum hæc scriberet, in mentem venerit, haud facile dixeris. Suspicantur nonnulli, ipsum

in sinu suo Arianam fovisse perfidiam, eamque callide aliis propinare voluisse. Ita judicavit Sandius ille, quem modo commemoravi, de Petavio hæc scribens [r]: "Cum autem considero, quod Petavius Patres "Antenicænos eadem cum Ario docuisse, et traditionibus articulos fidei probandos esse dicat, impossibile duco, quin Petavio persuasa fuerit conclusio ex his præmissis infallibiliter sequens, scilicet Trinitatem Arianorum esse articulum fidei, non "Trinitatem ὁμοούσιον. At quod conclusionem in "contrarium torserit, id eum duplici ratione fecisse "conjicio; 1. Ut declinaret adversa, quæ hominibus "ad Arianam sectam a Romano-catholica deficientibus inferri solent; 2. Ut Ariani ex societatis Jesu "Patre, tanquam adversario, firmiorem doctrinæ suæ "probationem petere possent; præsertim cum satis "sit probasse præmissas, ex quibus quivis sanæ "mentis talem conclusionem elicere potest, quæ "ejus sententiam de Trinitate declaret." Hæc ille: ego vero ex ipsis Petavii scriptis liquido liquere credo, hanc vanissimi hominis conjecturam plane falsam esse. Quod si subdolo aliquo consilio (non ex solita tantum sibi audacia ac temeritate in sanctis Patribus censendis et notandis) ista scripsisse dicendus sit Petavius, putarim hominem, Jesuitam scilicet, pontificiæ potius quam Arianæ causæ consultum voluisse. Ex eo enim quod catholici doctores trium primorum sæculorum plerique omnes eundem plane errorem errarunt, quem postea in Ario ut hæresim damnavit synodus Nicæna, (quod contendit Petavius,) hæc duo facile consequentur: 1. Patribus trium primorum sæculorum, quos imprimis appellare so-

[r] Sandius Enucl. Hist. Eccles. I. p. 156. edit. post.

lent catholici reformati, parum tribuendum esse; utpote quibus nondum satis perspecta et patefacta fuerunt præcipua Christianæ fidei capita. 2. Concilia œcumenica potestatem habere novos fidei articulos condendi, sive (ut Petavius loquitur) constituendi et patefaciendi; unde satis prospectum videatur additamentis illis, quæ regulæ fidei assuerunt, quæque Christiano orbi obtruserunt Patres Tridentini; quanquam ne sic quidem fides Romana stabit; cum Tridentina conventio quidvis potius quam generale concilium dicenda sit. Sed ita scilicet istius scholæ magistris nulla religio est, pseudo-catholicam suam fidem super fidei vere catholicæ ruinas ædificare. Ipsa oracula divina nimiæ obscuritatis condemnanda; sanctissimi primævæ ecclesiæ doctores, episcopi et martyres, hæreseos insimulandi sunt; ut quocunque modo degeneris ecclesiæ Romanæ fides atque auctoritas sarta tecta conservetur. Et hi tamen sophistæ (si Diis placet) nos tanquam Chamos maledictos, et venerandorum ecclesiæ Patrum irrisores et contemptores execrantur; se vero veterum doctorum fidem religiose sequi, eorumque scripta summopere revereri jactitant. Hoc autem nefario consilio ista scripsisse Petavium, non ausim certo affirmare, Deo καρδιογνώστῃ illud judicium permittens. Interim quod scripsit Jesuita, ut modernis Arianis pergratum, (qui ob id omnes tanquam patronum suum ipsum suspiciunt atque exosculantur,) ita veritati manifeste contrarium, atque in sanctos Patres, tam Nicænos quam Antenicænos, valde injuriosum et contumeliosum esse, fidenter pronuntiamus.

9. Scilicet hic operis et incœpti nostri scopus, hoc institutum est, ut clare ostendamus, quod de Filii divinitate contra Arium aliosque hæreticos statue-

runt Patres Nicæni, idem reipsa (quanquam aliis fortasse nonnunquam verbis, alioque loquendi modo) docuisse Patres ac doctores ecclesiæ probatos ad unum omnes, qui ante tempora synodi Nicænæ ab ipsa usque apostolorum ætate floruerunt.

Te vero, sanctissime Jesu, æterni Patris coæternum Verbum, ego peccatorum maximus, servorum tuorum minimus, supplex veneror, ut huic labori meo, in honorem tuum, sanctæque ecclesiæ tuæ utilitatem (te *καρδιογνώστην* testor) suscepto benedicere, meæque imbecillitati, in hoc gravissimo negotio, pro immensa tua misericordia, atque in tui amatores propensissima voluntate, subvenire atque opitulari digneris. Amen.

10. Symbolum Nicænum, prout ab Eusebio in Epistola ad suos Cæsarienses[s], ab Athanasio Epistola *de Fide* ad Jovianum[t], et ab aliis recitatur, sic habet:

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα, παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τάτε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, ἐρχόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον. Τοὺς δὲ λέγοντας, Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ

[s] Apud Socrat. H. E. I. 8. [p. 21, 22.]

[t] [§. 3. vol. I. p. 781. Athanasium sequitur Bullus.]

κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία· i. e. "Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, "omnium visibilium et invisibilium Creatorem; et "in unum Dominum Jesum Christum, natum de "Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; "Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum ex "Deo vero, genitum non factum, consubstantialem "Patri, per quem omnia facta sunt, et quæ in cœlo, "et quæ in terra; qui propter nos homines et prop- "ter nostram salutem descendit, et incarnatus est, "et homo factus est, passus est, et resurrexit tertia "die, et ascendit in cœlos, venturus inde ad judi- "candum vivos et mortuos; et in Spiritum Sanc- "tum. Eos autem qui dicunt, Erat, quando non 6
"erat, et priusquam nasceretur non erat, aut ex "nonexistentibus factus est, vel ex alia hypostasi "sive substantia, vel creatum, aut convertibilem, "aut alterabilem dicentes Dei Filium, hos anathe- "mate ferit catholica et apostolica ecclesia."

11. Doctrina de Filio Dei in hoc symbolo comprehensa, quatenus ad præsens nostrum institutum spectat, ad hæc capita revocari potest. Primum est, De Filii τῇ προϋπάρξει, sive præexistentia ante B. Mariam, adeoque ante conditum mundum, ac de creatione hujus universi per Filium. Secundum, De Filii τῷ ὁμοουσίῳ, sive consubstantialitate, quod non sit creatæ alicujus et mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ, hoc est, verus Deus. Tertium, De Filii τῷ συναϊδίῳ, i. e. coæterna cum Patre suo existentia. Quartum, De subordinatione Filii ad Patrem, tanquam ad sui auctorem ac principium; quæ a Patribus Nicænis bifariam ex-

primitur, quod Patrem vocent ἕνα Θεόν· deinde quod Filium dicant Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός· κ. λ.

De his omnibus fidem Patrum Antenicænorum cum Nicæna optime convenire, per singula capita, quo ordine a nobis modo proposita sunt, euntes, manifestum faciemus.

SECTIO I.

DE FILII τῇ Προϋπάρξει·

SIVE

PRÆEXISTENTIA ANTE B. MARIAM, ADEOQUE ANTE CONDITUM MUNDUM, ET DE CREATIONE MUNDI PER ILLUM.

CAP. I.

Thesis proponitur, ejusque pars prima, de Filii præexistentia ante B. Mariam, demonstratur.

1. QUID de Filii præexistentia senserint Patres catholici Antenicæni, hac thesi explicabimus:

THESIS.

Jesum Christum, hoc est, eum qui postea Jesus Christus dictus est, ante suam ἐνανθρώπησιν, sive ex beatissima Virgine secundum carnem nativitatem, in natura altera, humana longe excellentiori, extitisse; sanctis viris, velut in præludium incarnationis suæ, apparuisse; ecclesiæ, quam olim sanguine suo redempturus esset, semper præfuisse ac prospexisse; adeoque a primordio omnem ordinem divinæ dispositionis (ut Tertullianus loquitur) per ipsum decucurrisse; quin et ante jacta mundi fundamenta Deo Patri suo adfuisse, perque ipsum condita fuisse hæc universa, catholici doctores trium primorum sæculorum uno omnes ore docuerunt.

Hoc, cum nunquam negarint Ariani, contra alios tamen catholicæ de Servatore nostro doctrinæ oppugnatores paucis ac breviter demonstrasse, operæ fortasse pretium fuerit. Duo in hac thesi (quasi per incrementum quoddam) de Patribus primævis asserimus; nempe, credidisse et docuisse ipsos, Jesum Christum 1. ante suam ἐνανθρώπησιν extitisse, sanctis viris apparuisse, &c. 2. Deo Patri adfuisse ante jacta mundi fundamenta, perque ipsum condita fuisse hæc universa.

2. Quod ad thesis membrum prius attinet, Patres primorum sæculorum communiter docent, Filium Dei sanctis viris sub Veteri Testamento frequenter apparuisse; imo apparitiones illas universas, in quibus nomen Jehovæ et honores divini tribuuntur ei, qui apparet, (etsi alias fortasse angelus appelletur,) de illo ipso Dei Filio exponunt. In scriptis Patrum peregrinus est, cui id ignotum sit. Libet tamen in gratiam sanctæ theologiæ candidatorum, qui ad lectionem Patrum (a qua certe, secundum sacras Scripturas, studia sua theologica incepisse debuerant) nondum fortasse progressi sunt, testimonia quædam ex veterum illorum scriptis hic proferre.

8 3. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pluribus ostendit, Christum fuisse, qui ad ilicem Mamræ apparuit Abrahamo [u]; qui Dominus ille fuit, qui a Domino in cœlis, ἐκ Πατρὸς τῶν ὅλων, hoc est, ab universorum Parente accepit, ut ignis et sulphuris pluviam super Sodomam demitteret [x]; qui Jacobo apparuit in somnis, in specie hominis cum eodem fuit luctatus, eandem in exilio fuit consolatus; qui denique apparuit Mosi in rubo ardenti [y].

[u] Pag. 275. [56. p. 150.] [x] Pag. 277. [p. 152.]
[y] Pag. 280, 281, 282. [58, 59. p. 155-6.]

4. Irenæus de eo, qui Mosi et Abrahamo apparuit, idem sensit quod Justinus. Sic enim ille[z]: "Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic "est vivorum Deus, et Verbum (Λόγος) ejus, qui et "locutus est Moysi, qui et Sadducæos redarguit, qui "et resurrectionem donavit." Et ejusdem libri cap. 12. de Abrahamo: "In Abrahamo prædidicerat et "assuetus fuerat homo sequi Verbum Dei. Etenim "Abraham secundum fidem suam secutus præcep-"tum Verbi Dei prono animo unigenitum et dilec-"tum Filium suum concessit sacrificium Deo[a]." Et paulo post: "Non incognitus igitur erat Dominus "Abrahæ, cujus diem concupivit videre: sed neque "Pater Domini: didicerat enim a Verbo Domini, et "credidit ei, &c."

5. Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. II.[b] eum, qui Adamo mox a lapsu visus est, Filium Dei fuisse asserit, qui ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρὸς καὶ Κυρίου τῶν ὅλων παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὡμίλει τῷ Ἀδάμ. i. e. "Assumens perso-"nam Patris et Domini universorum venit in pa-"radisum sub persona Dei, et colloquebatur cum "Adamo." Fateor, ibidem loqui videri Theophilum minus honorifice de Filio Dei; sed de eo alias.

6. Clemens Alexandrinus eadem ferme cum Justino tradit, Pædag. I. 7.[c] ubi dicit Pædagogum (per quem Christum ubique intelligit) apparuisse Abrahamo, visum fuisse Jacobo, cum eo quoque colluctatum, se denique Mosi manifestasse. Idem

[z] Adv. Hæres. IV. 11. ed. Par. 1639. [c. 5. p. 232.]

[a] [Nonnulla ex his verbis Græce extant:—προθύμως τὸν ἴδιον μονογενῆ καὶ ἀγαπητὸν παραχωρήσας θυσίαν τῷ Θεῷ.]

[b] Ad calcem Just. Mart. ed. Par. 1615. p. 100. [c. 22. p. 365.]

[c] Ed. Par. 1641. p. 110. [p. 131.]

alibi docet, Christum dedisse mundo legem tam scriptam Mosis quam naturæ, Strom. VII.[d] Διὸ καὶ τὰς ἐντολὰς ἃς ἔδωκεν, τάς τε προτέρας τάς τε δευτέρας ἐκ μιᾶς ἀρυττόμενος πηγῆς ὁ Κύριος, οὔτε τοὺς πρὸ νόμου ἀνόμους εἶναι ὑπεριδὼν, οὔτ' αὐτοὺς[e] μὴ ἐπαίοντας τὰ βαρβάρου φιλοσοφίας ἀφηνιάσαι συγχωρήσας. τοῖς μὲν γὰρ ἐντολὰς, τοῖς δὲ φιλοσοφίαν παρασχὼν, συνέκλεισεν τὴν ἀπιστίαν εἰς τὴν παρουσίαν κ. λ. i. e. "Quocirca dedit præcepta, et pri-" ora et posteriora, ex uno fonte hauriens Domi-" nus;" (Christum hic etiam intelligit, ut ex antecedentibus apparet;) "nec eos, qui erant ante legem, " sine lege esse nihili pendens: nec eos, qui non au-" diebant barbaram philosophiam, ferri effrænatos " permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his " vero præbuisset philosophiam, incredulitatem con-" clusit in adventum, &c."

7. Similiter Tertullianus contra Judæos cap. 9.[f] " Qui ad Mosen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui " et semper videbatur[g]." Sed apertissime hac de re ac plenissime loquitur lib. adv. Prax. cap. 16.[h] " Fi-" lius est qui ab initio judicavit, turrim superbissi-" mam elidens, linguasque dispertiens, orbem totum " aquarum violentia puniens, pluens super Sodomam " et Gomorram ignem et sulphurem, Dominus a Do-" mino. Ipse enim et ad humana semper colloquia " descendit, ab Adam usque ad patriarchas et pro-" phetas in visione, in somnio, in speculo, in ænig-" mate, ordinem suum præstruens ab initio semper, " quem erat persecuturus in finem. Ita semper edis-

[d] Pag. 705. [c. 2. p. 834.] [[e] αὖ τοὺς Sylburg.] [f] [Pag. 194.]

[g] Vide eundem lib. de Carne Christi cap. 6. [p. 311.] et cont. Marcion. II. 27. [p. 395.] et III. 6. [p. 400.] et contra Prax. cap. 14. [p. 507.]

[h] [Pag. 509.]

" cebat, et Deus in terris cum hominibus conversari " non alius potuit, quam Sermo, qui caro erat futu- " rus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, " ut facilius crederemus Filium Dei descendisse in " seculum, si et retro tale quid gestum cognosce- " remus."

8. Testimonia quæ supersunt, quod brevitati studeam, indicasse sufficiat. Vide Origen. contr. Cels. III. p. 119.[i] et VI. p. 329.[k] Novat. de Trinit. cap. 25, 26, 27.[l] Cyprian. Tract. 3. de Simplic. Prælat.[m]. Cum Patribus Antenicænis hic consentiunt catholici ecclesiæ doctores, qui post concilium Nicænum floruerunt. Vide Athanas. Orat. IV. contr. Arianos, Hilarium lib. IV. et XII. de Trinit. Philastrium Hæres. 84. Chrysost. Homil. ad Pop. Antioch. cap. 8. et in cap. vii. ad Hebræos, Ambros. lib. I. de his qui initiantur, cap. 3. Augustin. Epist. 99, 111, et 112. Leonem Epist. 17. Theodoret. Quæst. 68. in Genes. &c.

9. Haud me fugit esse, qui hæc, ut mera bonorum Patrum somnia ac deliramenta rident, sibique ipsis nimium placent, pro certo statuentes, Angelum, qui patriarchis et viris sanctis olim apparuit, et ab ipsis adoratus fuit, duntaxat angelum fuisse creatum, pro summo Deo legati officio fungentem, ipsiusque nomen ac personam sustinentem. Quibus respondeo, 1. Ut demus hic errasse Patres, illud tamen fixum ac ratum manet, credidisse ipsos, Jesum Servatorem nostrum ante suam secundum carnem ex 9
beatissima Virgine nativitatem revera extitisse; quod instituto nostro sufficit. Dices: At qui in præmissis

[i] Ed. Cant. 1658. [§. 14. p. 456.] [k] [§. 78. p. 691.]
[l] [Pag. 723, &c.] [m] [Hic tract. Cypriano abjudicatur.]

errarunt, verosimile est in conclusione etiam deceptos fuisse. Fateor, si hisce tantummodo præmissis, quæ falsæ essent, conclusionem istam superstruxissent; atqui hic plane aliter se res habet. Patres enim, etsi alicubi Filii præexistentiam hoc adstruant argumento, passim tamen significant, se in istam sententiam adductos tum ex aliis Scripturæ apertissimis testimoniis, tum ex apostolorum traditione; quod suo postea loco ac tempore liquido probabimus. Verum 2. religio mihi est eritque contra torrentem omnium Patrum ac veterum doctorum S. Scripturas interpretari, nisi quando me argumenta cogunt evidentissima; quod nunquam eventurum credo. Multis enim certe probabilitatum ac verosimilium rationum momentis præponderare debet consentiens (primævæ præsertim) antiquitatis judicium. Atqui, inquies, rationes, cur aliter sentiamus, hic sunt evidentissimæ. Age, videamus.

10. Primo objiciunt, Exod. iii. 4. legitur, Deum locutum fuisse Mosi ex rubo ignis; et Exod. xix. 20. et xx. 1. Deum ipsi legem dedisse; cum tamen ex aliis Scripturis liqueat, Angelum fuisse creatum, qui in utroque loco Mosi apparuit et locutus est. Nam lex dicitur a scriptore Epistolæ ad Hebræos ii. 2. *Sermo per angelos dictus;* confer Gal. iii. 19; atque etiam Stephanus Act. vii. clare dicit, Angelum apparuisse Mosi in rubo, ver. 30. et legem per angelorum dispositiones administratam fuisse, ver. 53. Addunt, In illustri illa apparitione Abrahamo facta ad Mamren Gen. xviii. 1, 2. etsi unus ex tribus Jehovæ nomine insigniatur, constat tamen omnes tres fuisse angelos; cum auctor Epistolæ ad Hebræos aperte dicat, angelos fuisse, quos Abrahamus et Lotus hospitio exceperunt, xiii. 2.

11. Respondeo: Cum Patres communiter asserunt, Angelum, qui Abrahamo et Mosi apparuit, cuique nomen Jehovæ et divini honores tribuuntur, fuisse Dei Filium, duplicem id sensum admittit; nempe, vel fuisse Deum, i. e. Filium Dei, nomine Angeli significatum, quia ipse corpus assumpserit, sive speciem visibilem, qualem angeli usurpare solent; vel Filium Dei fuisse in Angelo, hoc est, Angelum fuisse, qui corpus assumpsit, et Filium Dei fuisse in Angelo, per assistentiam nempe et præsentiam singularem. Ex priori hypothesi solvitur objectio proposita, dicendo, Filium Dei etiam Angelum appellari, Angelum nempe Fœderis; et in apparitionibus illis Angelum dici, quia imitabatur modum et rationem, in qua hominibus angeli apparebant; falsum autem esse, angelum creatum fuisse, qui Mosi locutus est in rubo et monte Sinai: neque id evinci, quia a Stephano et ab auctore Epistolæ ad Hebræos dicitur, per angelos in plurali numero legem Mosis datam fuisse: nihil enim obstare, quominus ipse Deus in Sinai præsens fuerit, sed stipatus angelorum multitudine ad indicandam majestatem suam; imo inter myriadas illas angelorum in monte Sinai ipsum Deum speciali præsentia adfuisse, certissime constare ex Deut. xxxiii. 2. et Psal. lxviii. 17. in apparitione vero trium illorum, qui ad Abrahamum diverterunt, duos quidem fuisse angelos creatos, et hoc ad salvandam veritatem dicti apostolici Heb. xiii. 2. sufficere; tertium vero Dei Filium fuisse, utpote in quo etiam Abrahamus agnovit majestatis divinæ notas, ideoque cum eo egit tanquam cum Judice supremo, ut, si fieri posset, urbium Pentapoleos destructionem remoraretur. Atque hunc fere in modum ad objectionem respondet inter alios

Cl. Andreas Rivetus Comment. in Hos. xii. 4, 5, 6. Alteram vero hypothesin amplexi sunt multi ex veteribus, tam Judæis quam Christianis. Trypho Judæus apud Justinum contendit [n], duos simul adfuisse in ἐπιφανείᾳ Mosi facta in rubo ardenti, Deum et Angelum; et Angelum quidem in ignis flamma apparuisse; Deum autem, nempe in Angelo, cum Mose collocutum esse. Cui respondet Justinus, id salva hypothesi sua, nempe Dei Filium Mosi allocutum esse, concedi posse; quanquam mox solum Dei Filium Mosi apparuisse conetur ostendere. Ac sane Tryphonis sententia videtur fuisse inter antiquiores Judæos recepta et probata. Nam et ipse Stephanus non obscure docet, Angelum fuisse, qui Mosi in rubo apparuit, Act. vii. 30; ipsum vero Deum Mosi locutum verba ista, *Deus ego sum Patrum tuorum*, &c. ibid. ver. 31, 32; confer Exod. iii. 2. cum ver. 4, 5, 6. Clemens Alexandrinus, idem qui affirmat, qui populo Israelitico præfuit in deserto, Pædagogum, sive Filium Dei fuisse, diserte docet [o], idque eodem in loco, quod is, qui Mosen ducebat, Angelus fuerit, τὴν εὐαγγέλιον καὶ ἡγεμόνιον ἐπιστήσας τοῦ λόγου δύναμιν, *Evangelicam et principalem Verbi potentiam adducens*, et τὸ ἀξίωμα τὸ κυριακὸν φυλάττων, *Dominicam conservans dignitatem*. Et paulo post dicit, quod sub Veteri Testamento λόγος ἄγγελος ἦν, *Verbum Angelus erat*, hoc est, per angelos hominibus apparuit. Quo etiam sensu Filium mox vocat μυστικὸν ἄγγελον, *mysticum Angelum*; quippe qui tum temporis sub angelo divinam suam majestatem quasi occultarit. Idem senserunt multi ex Patribus, qui post concilium Nicænum

[n] Dialog. cum Tryphon. p. 282, 283. [c. 60. p. 156, &c.]

[o] Pædagog. I. 7. p. 110, 111. [p. 133.]

scripsere. Sic Athanasius Orat. IV. contr. Arianos [p] de Angelo Mosi in rubo apparente, Ὁ μὲν φαινόμενος ἦν ἄγγελος· ὁ δὲ Θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει. i. e. *Qui apparuit quidem, Angelus erat; sed Deus in ipso loquebatur.* Hieronymus in cap. iii. ad Galat. [q] "Quod "autem ait, *lex ordinata per angelos*, hoc vult "intelligi, quod in omni Veteri Testamento, ubi "Angelus primum visus refertur, et postea quasi "Deus loquens inducitur, Angelus quidem vere ex "ministris pluribus, quicunque sit, visus; sed in illo "Mediator loquatur, qui dicat, *Ego sum Deus* "*Abraham*, &c." Augustinus contra Maximin. lib. III. prope finem [r]: "Quæro," inquit, "quis appa- "ruerit Mosi in igne, quando rubus inflammatur et "non urebatur? quanquam et illic Angelum appa- "ruisse Scriptura ipsa declarat, dicens, *Apparuit* "*autem illi Angelus Domini in flamma ignis de* "*rubo*; in Angelo autem Deum fuisse quis dubi- "tat?" Gregorius Præfat. in Job. ii. [s] "Angelus, "qui Mosi apparuisse describitur, modo Angelus, "modo Dominus memoratur; *Angelus* videlicet "propter hoc, quod exterius loquendo serviebat; "*Dominus* autem dicitur, quia interius præsidens "loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo lo- "quens ab interiori regitur, et per obsequium An- "gelus, et per inspirationem Dominus nominatur." His consentiunt Fulgentius contra Maximum, aliique; atque hanc veterum sententiam omnino confirmare mihi videtur locus ille Exod. xxiii. 20. ubi Deus, hoc est Filius Dei, ut sensit antiquitas omnis

[p] Tom. I. p. 467. [Orat. III. 14. p. 563.]
[q] Ed. Par. 1627. [tom. VII. p. 441.]
[r] [Lib. II. 11. vol. VIII. p. 742.]
[s] [Greg. M. p. 8. vol. I.]

primæva, Mosi locutus promittit, Se Angelum præmissurum populo suo per desertum, et *futurum nomen suum* בקרבו *in medio ejus*. Fuit itaque revera Angelus, qui populo Israelitico præivit ad terram promissam; sed Angelus tamen, in quo Filius Dei nomen, sive virtutem ac potentiam suam divinam posuit, hoc est, in quo ipse singulari modo præsens fuit. Cæterum ex verbis Tryphonis apud Justinum, quæ modo adduximus, liquet, veteribus Judæis nunquam in mentem venisse commentum illud, quod nostro sæculo viris quibusdam doctis inter Christianos placuit; nempe eum, qui Mosi in rubo et monte Sinai apparuit et locutus est, merum fuisse angelum, qui se Deum Abrahami appellaret, Deique nomine cultum divinum sibi adhibitum libenter admitteret. Nimirum absurda nimis et plane horrenda est illa sententia. Quippe nefas est cogitare, histrioniam aliquando exercuisse angelos, et Deum incommunicabile nomen ipsis communicasse, aut talem repræsentationem, in qua creatura omnia, quæ Dei sunt, sibi attribuat. Recte etiam doctissimus Camero [t], "Sane," inquit, "patroni clientum personas sæpe "induunt; at ne fando quidem unquam auditum "est, ullum legatum, cum principis sui mandata "proponit, aliter loqui quam in tertia persona; "*Princeps meus hæc dicit;* cujus rei illustre testi"monium habemus apud prophetas, apud quos ni"mirum solennis formula est, *Dicit Dominus*. Imo "in visionibus angeli profitentur se missos [u]." Hinc ipse Grotius alicubi [x] fatetur, illum, qui veterem

[t] In Annot. ad Heb. ii. 2.

[u] Vide Athanas. Orat. IV. cont. Arian. p. 466. [Orat. III. 12. vol. I. p. 561.]

[x] Ad Gal. iii. 19.

legem in Sinai promulgavit, Angelum quidem fuisse singularem, aliis angelis stipatum; non vero merum angelum, sed cui adfuerit ὁ λόγος.

12. Esto igitur, inquies; fuerit Deus, qui in Veteri Testamento, sive per angelum, sive sub angelica repræsentatione sanctis viris apparuit et locutus est; at qua demum ratione adducti crediderunt doctores, fuisse Dei Filium? Respondeo: Ratione, ni fallor, optima, quam ex traditione apostolica edidicerant. Scilicet Deus Pater, quemadmodum per Filium suum mundum primitus condidit creavitque, ita per eundem Filium se deinceps mundo patefecit. Proinde Filius Dei, etsi ultimis demum temporibus per incarnationis dispensationem familiariter cum hominibus conversatus fuerit, semper tamen et ab ipsis ejus incunabulis ecclesiæ præfuit, seque viris sanctis etiam sub V. T. (occulta quidem atque arcana οἰκονομίᾳ) ingessit. Clemens. Alexand. Pædag. I. 11.[y] Πάλαι μὲν οὖν διὰ Μωσέως ὁ λόγος ἐπαιδαγώγει, ἔπειτα καὶ διὰ προφητῶν. i. e. "Olim itaque per Mosen Verbum "Pædagogi fungebatur officio, deinde etiam per "prophetas." Origenes contra Celsum lib. VI.[z] Οὐχ' ὥσπερ ἀπὸ μακροῦ ὕπνου διαναστὰς ὁ Θεὸς ἔπεμψε τὸν Ἰησοῦν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, τὴν μὲν κατὰ τὴν ἐνσωμάτωσιν οἰκονομίαν νῦν δι' εὐλόγους αἰτίας ἐπικληρώσαντα, ἀεὶ δὲ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἐνεργετήσαντα· οὐδὲν γὰρ τῶν ἐν ἀνθρώποις καλῶν γεγένηται, μὴ τοῦ θείου λόγου ἐπιδημήσαντος ταῖς ψυχαῖς τῶν κἂν ὀλίγον καιρὸν δεδυνημένων δέξασθαι τὰς τοιάσδε τοῦ θείου λόγου ἐνεργείας. i. e. "Non velut e longo somno "experrectus Deus ad humanum genus Jesum misit, "qui, etsi justis de causis nunc demum incarnationis

[y] Pag. 132. [p. 155.]

[z] Pag. 329. [§. 78. p. 691.] vide et lib. III. p. 119. [§. 14. p. 456.] et lib. IV. p. 165. [§. 6. p. 506.]

" dispensationem suscepit, semper tamen in homines
" fuit beneficus: nihil enim unquam inter homines
" boni gestum est, nisi Dei Verbo animis eorum præ-
" sente, quantulocunque tempore capacium ejus ener-
" giæ." Apertissime autem ac plenissime Tertullia-
11 nus adv. Prax. c. 15. [p. 509.] " Filius visus est
" semper, et Filius operatus est semper, ex auctori-
" tate Patris et voluntate, quia Filius nihil a semet-
" ipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem,
" &c. Sic omnia per Filium facta sunt, et sine illo
" factum est nihil. Nec putes sola opera mundi per
" Filium facta, sed et quæ a Deo exinde gesta sunt."
Mox cap. 16. sequuntur verba, quæ paulo superius adduximus, " Deus in terris cum hominibus conver-
" sari non alius potuit, quam Sermo, qui caro erat
" futurus."

13. Restat altera objectio, quam ut invictam venditant viri quidam doctissimi, a nobis paucis expedienda. Obtendunt igitur, hanc Patrum sententiam disertissimis S. Scripturæ verbis velut e diametro oppositam esse. Etenim, inquiunt, divinus auctor Epistolæ ad Hebræos i. 1, 2. aperte dicit, Deum, qui multis olim modis locutus fuit Patribus ac prophetis, novissimis demum temporibus locutum esse per Filium suum: per tempus autem novissimum intelligi constat tempus evangelii; ergo ante istud tempus nunquam fuerat locutus Filius Dei, aut Deus per Filium suum; alias non recte opponeret auctor tempus novissimum evangelii tempori antiquo veteris legis, si in utroque apparuerit et locutus fuerit Filius Dei, aut Deus per Filium.

14. Hanc objectionem proponit Ludovicus de Tena, eique ipsi respondet hisce fere verbis [a]; " Pau-

[a] In cap. i. Epist. ad Heb. difficult. 2. §. 2. [p. 32.]

" lus ponit discrimen inter solum hanc ultimam ap-
" paritionem Filii Dei, et priores V. T. quia istæ
" fiebant in creatura corporali, non hypostatice unita
" Filio Dei; et ita medio supposito creato corporeo,
" imo et angelico, loquebatur Filius Dei. At vero in
" illa apparitione Verbi incarnati, de qua asserit, *no-*
" *vissime locutus est nobis in Filio*, non mediat ali-
" quod suppositum creatum, neque corporeum, neque
" angelicum; sed Verbum divinum immediate imme-
" diatione suppositi loquebatur hominibus. Neque
" obstat, quod hoc fuerat media humana natura, quia
" hæc caruit proprio supposito, et immediate fuit
" unita supposito Verbi. Et hic est legitimus sensus
" horum verborum, et sic manet recte explicata dicta
" contrapositio, et excellentia evangelii supra legem
" veterem." Hæc viri eruditissimi responsio, ad verba quidem quod attinet, (pro more scholæ,) barbara, sensu tamen sana ac solida est, veterumque Patrum menti consentanea, ut ex testimoniis paulo superius allatis apparet. Quibus et hæc addas; Justinus Martyr in Apologia pro Christianis, quæ in vulgatis editionibus prima dicitur, cum revera secunda sit, sic de Verbo sive Filio Dei loquitur[b]: Λόγος γὰρ ἦν καί ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου καὶ διδάξαντος ταῦτα. i. e. " Verbum fuit et est in universo
" existens: qui et per prophetas, quæ futura erant,
" prædixit, et per seipsum hæc, passionibus nobis
" similis factus, docuit." Ubi docet, Verbum sive Filium Dei se quidem sub Veteri Testamento prophetis, et per illos aliis, quodammodo manifestasse; in ultimis vero temporibus per seipsum, assumpta natura nostra, cœlestem nobis doctrinam tradidisse,

[b] Pag. 48, 49. [Apol. II. 10. p. 95.]

et in hoc excellentiam evangelii supra legem veterem præcipue consistere. Huic concinit Clemens Alexandrinus Pædag. I. 7.[c] Καὶ γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς διὰ μὲν Μωσέως παιδαγωγὸς ὁ Κύριος τοῦ λαοῦ τοῦ παλαιοῦ· δι' αὐτοῦ δὲ, τοῦ νέου καθηγεμὼν λαοῦ, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. i. e. "Revera enim erat Dominus per Mosen Pæda-"gogus veteris populi; per seipsum autem populi "novi Dux, facie ad faciem." Et paulo post: Τὸ μὲν οὖν πρότερον τῷ πρεσβυτέρῳ λαῷ πρεσβυτέρα διαθήκη ἦν, καὶ νόμος ἐπαιδαγώγει τὸν λαὸν μετὰ φόβου, καὶ λόγος ἄγγελος ἦν· καινῷ δὲ καὶ νέῳ λαῷ καινὴ καὶ νέα διαθήκη δεδώρηται, καὶ ὁ λόγος γεγένηται, καὶ ὁ φόβος εἰς ἀγάπην μετατέτραπται, καὶ ὁ μυστικὸς ἐκεῖνος ἄγγελος Ἰησοῦς τίκτεται. i. e. "Prius "itaque veteri populo vetus erat testamentum, et "lex cum metu populum erudiebat, et Verbum erat "Angelus: novo autem et recenti populo novum ac "recens testamentum datum est, et Verbum fuit "genitum, et metus in dilectionem conversus est, et "mysticus ille Angelus Jesus paritur." Neque aliud voluit Tertullianus, cum in loco paulo superius allato[d] docet, "Filium Dei ad humana colloquia de-"scendisse ab Adam usque ad patriarchas in visione, "in somnio, in speculo, in ænigmate, &c."

15. Itaque veterum Patrum sententiæ nihil solidi obduci potest e sacro codice. Dispiciamus, annon eidem S. Scripturæ satis aperte faveant. Paulus Angelum, qui populo Israelitico in deserto præfuit, (de quo dictum est,[e] *Cave tibi a facie ejus, audi verba ejus, ne irrites eum: non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata; nomen enim meum est in illo,*) Dei Filium fuisse, qui postea Christus dictus est, aperte docet 1 Cor. x. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν

[c] Pag. 110, 111. [p. 132.] [d] [§. 7.] [e] Exod. xxiii. 20, &c.

Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. i. e. *Neque tentemus Christum, quemadmodum et quidam eorum tentarunt, et serpentibus perierunt.* Saltem hæc verba ostendunt, Christum populo Israelitico adfuisse in deserto, ab iisque tentatum fuisse. Nam quod hic excipit Socinus hæreticus, scriptum quidem a Paulo, *ne tentemus Christum, sicut nonnulli eorum tentarunt*, at non esse 12
scriptum, *sicut nonnulli eorum tentarunt Christum;* ideoque sententiam commode suppleri posse per aliam vocem, nempe *Deum;* id vero futile est plane. Nam hujus ellipticæ locutionis plurima extant exempla in Scripturis; sic Joan. viii. 56. *Abraham concupivit videre diem meum, et vidit;* non est repetitum, *et vidit diem meum;* sed subintelligitur. Sed appositissimum hujuscemodi locutionis exemplum habemus Deut. vi. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentasti in loco tentationis;* ubi posteriorem orationis partem ad eum, cujus nomen paulo ante expressum est, nempe *Dominum Deum*, sine ulla ejusdem repetitione referri manifestum est. Præterea nos possemus vicissim quærere ab hæretico, cur non additum fuerit, *sicut quidam eorum tentarunt Deum*[f]?" Certe si ea est hujus versus sententia, quam ei affingit hæreticus, non potest reddi ratio hujus ellipseos: at si ea est sententia loci, ut est, quam nos tradimus, ratio ellipseos quam facillime reddi potest. Multo enim insolentior locutio fuisset, si repositum fuisset nomen *Christi.* Denique magnam hic habet vim particula καὶ, quæ ostendit, necessario sic accipienda esse verba apostoli, ac si vellet, *Christum tentatum fuisse ab Israelitis in deserto.* Quorsum enim attinuisset dixisse, *quemad-*

[f] Vide Cameron. in loc.

et in hoc excellentiam evangelii rem præcipue consistere. Huic Alexandrinus Pædag. I. 7.[c] Καὶ γ μὲν Μωσέως παιδαγωγὸς ὁ Κύριος τοῦ λ αὐτοῦ δὲ, τοῦ νέου καθηγεμὼν λαοῦ, πρόσ i. e. "Revera enim erat Dominus "gogus veteris populi; per seips "novi Dux, facie ad faciem." Et] οὖν πρότερον τῷ πρεσβυτέρῳ λαῷ πρεσβι νόμος ἐπαιδαγώγει τὸν λαὸν μετὰ φόβοι ἦν· καινῷ δὲ καὶ νέῳ λαῷ καινὴ καὶ νέα δ ὁ λόγος γεγένηται, καὶ ὁ φόβος εἰς ἀγ καὶ ὁ μυστικὸς ἐκεῖνος ἄγγελος Ἰησοῦς τί "itaque veteri populo vetus erat "lex cum metu populum erudieba "Angelus: novo autem et recenti "recens testamentum datum est "genitum, et metus in dilectionem "mysticus ille Angelus Jesus parit voluit Tertullianus, cum in loco] lato[d] docet, "Filium Dei ad hun "scendisse ab Adam usque ad patr "in somnio, in speculo, in ænigma

15. Itaque veterum Patrum sen obduci potest e sacro codice. D eidem S. Scripturæ satis aperte fav gelum, qui populo Israelitico in de quo dictum est,[e] *Cave tibi a facie ejus, ne irrites eum: non enim remittet tibi peccata; nomen ei illo,*) Dei Filium fuisse, qui post est, aperte docet 1 Cor. x. 9. M

[c] Pag. 110, 111. [p. 132.] [d] [§. 7.]

modum et, cum in priori membro nulla *Dei*, sed *Christi* tantum mentio facta fuerit? Itaque Grotius[g] pro acumine suo hanc Socinistarum cavillationem plane insulsam esse perspiciens, aliud ipse quæsivit effugium: "Omnino," inquit, "legendum est, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεόν." Itane vero? omnino? cedo rationem. "Ita," inquit, "legit vetustissimus ille "manuscriptus," nempe Alexandrinus[h]. At certe vetustissimi illi codices, quibus usi sunt Interpres Syrus, Arabs, vetus Latinus, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, omnes habent Χριστὸν, non Θεόν· quam etiam lectionem sequuntur alia omnia, quotquot nobis Biblia S. Polyglotta repræsentarunt, exemplaria; nisi quod Lincolniense habeat Κύριον, quod etiam in N. T. est Christi nomen[i]. Neque tantæ auctoritatis est codex Alexandrinus, ut tanto consensui opponi mereatur. Sed et aliam profert rationem vir maximus: "Christus," inquit, "est nomen "hominis, quem tum temporis non extitisse certum "est." Responsio est facillima. Christus hic ponitur pro Filio Dei, qui postea in plenitudine temporis, assumpta natura humana, dictus est Christus; ut sit hic synecdoche quasi integri, quemadmodum et in

[g] In loc.

[h] Et Æthiop. Vers. Nov. Test. *Mill. in loc.* Certe cum editis congruant non solum Irenæus, Theodotus in ἐπιτομαῖς ac scriptores Gr. Lat. complures, sed et exemplaria MSS. universim, et quidem *Clar.* Gr. Lat. *Ger.* Gr. Lat. quique Marcionis tempora præcessisse videtur, Interpres Vulgatus; omnino crediderim ab apostolo ipso scriptum Χριστὸν, mutatum autem hoc in Θεὸν, ab audaculo quodam studioso, cui minus verum, si placet, quod ex recepta lectione dicitur, Israelitas tentasse *Christum* in deserto. *Id. ib.* BOWYER.

[i] MS. penes J. Covel. S. T. P. Theodoret. et Epiphan. habent Κύριον. BOWYER. [Versio Slavonica Θεὸν confirmat; et in pluribus MSS. Κύριον reperiri testatur Griesbach.]

aliis Scripturæ locis[j]. Eodem autem sophismate idem Grotius vim eludit apertissimi pro Deitate Filii testimonii, nempe Coloss. i. 16. "Certum est," inquit, "per Verbum creata omnia; sed quæ præcedunt, "ostendunt, hic de *Christo* agi, quod hominis est "nomen. Itaque rectius est ἐκτίσθη hic interpretari, "*ordinata sunt*, novum quendam statum sunt conse- "cuta." At si ista apostoli verba de creatione proprie dicta non loquantur, crediderim S. Scripturas inexplicabili difficultate laborare, ac nihil certi ex ipsarum verbis, licet in speciem disertissimis, concludi posse.

16. Ex his autem manifestum est, quæ de apparitionibus τοῦ λόγου, sive Filii Dei, patriarchis et viris sanctis sub Veteri Testamento factis, tradiderunt Patres primævi, non illorum vana fuisse commenta, sed ab ipsa apostolica doctrina derivata. Addo, (quod et tanquam observatu apprime utile lectori propono,) neque Christi apostolos ista primum docuisse, sed ex antiqua Judæorum cabala sive traditione hausisse; vel certe, quæ apostoli ea de re per Spiritum S. edocti fuerunt, cum traditione illa optime convenire. Nam Philo Judæus Angelum, qui in deserto præfuit populo Israelitico, juxta cum Paulo exponit de τῷ λόγῳ et primogenito Dei Filio, per quem Deus universum mundum regit et gubernat. Locus disertissimus est in libro *de Agricultura*[k]: *Καθάπερ γάρ τινα ποίμνην, γῆν, καὶ ὕδωρ, καὶ ἄερα, καὶ πῦρ, καὶ ὅσα ἐν τούτοις φυτά τε αὖ καὶ ζῶα, τὰ μὲν θνητὰ, τὰ δὲ θεῖα, ἔτι δὲ οὐρανοῦ φύσιν, καὶ ἡλίου καὶ σελήνης περιόδους, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τροπάς τε αὖ καὶ χορείας ἐναρμονίους, ὡς ποιμὴν καὶ βασιλεὺς ὁ Θεὸς ἄγει κατὰ δίκην καὶ νόμον, προστησάμενος*

j Vide Vossii Instit. Orat. IV. 7.

k Pag. 195. edit. Par. 1640. [vol. I. p. 308.]

τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, εἴτά τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. καὶ γὰρ εἴρηταί που· Ἰδοὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μου εἰς πρόσωπόν σου τοῦ φυλάξαι σὲ ἐν τῇ ὁδῷ. i. e. " Nam sicut quendam gregem, terram, aquam, aërem, " ignem, et quicquid in his continetur vel stirpium, " vel animalium, mortalium divinorumque, adhæc " cœli naturam, solis ac lunæ circuitus, revolutiones " cæterorum siderum choreasque concinnissimas, " tanquam pastor et rex Deus regit jure legeque, " præfecto his recto suo Sermone, primogenito suo " Filio, qui curam sacri hujus gregis, tanquam magni " Regis Vicarius, in se recipiat. Dictum est enim ali- " cubi [l], *Ecce ego sum, mittam Angelum meum ante* " *faciem tuam, ut custodiat te in via.*" Idem Philo Deum, qui Adamo post lapsum in paradiso, qui Mosi in rubo, qui denique Abrahamo apparuit, cum veteribus Christianis τὸν λόγον intelligit. Sic enim ille
13 libro *de Somniis* [m]: Ὁ ἱερὸς λόγος τοῖς μὲν ὡς βασιλεὺς ἃ χρὴ πράττειν ἐξ ἐπιτάγματος παραγγέλλει· τοῖς δὲ ὡς γνωρίμοις διδάσκαλος τὰ πρὸς ὠφέλειαν ὑφηγεῖται· τοῖς δὲ ὡς σύμβουλος γνώμας εἰσφερόμενος τὰς ἀρίστας, τοὺς τὸ συμφέρον ἐξ ἑαυτῶν οὐκ εἰδότας μέγα ὠφελεῖ· τοῖς δὲ ὡς φίλος ἐπιεικῶς καὶ μετὰ πειθοῦς πολλὰ καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἀναφέρει, ὧν οὐδὲν αὐτῶν ἀτέλεστον ἐπακοῦσαι θέμις· ἔστι δ' ὅτε καὶ συνβάίνεταί τινων, ὥσπερ τοῦ Ἀδὰμ τὸ, Ποῦ εἶ; —— ἐπειδὰν μέν τοι πρὸς τὸ τῶν φίλων ἔλθῃ συνέδριον, οὐ πρότερον ἄρχεται λέγειν, ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἀνακαλέσαι καὶ ὀνομαστὶ προσειπεῖν, ἵνα τὰ ὦτα ἀθροίσαντες, ἡσυχίᾳ καὶ προσοχῇ χρώμενοι, τῶν θεσμωδουμένων εἰς ἄληστον μνήμην ἀκούωσιν· ἐπεὶ καὶ ἑτέρωθι λέγεται, Σιώπα καὶ ἄκουε· τοῦτον τὸν τρόπον ἐπὶ τῆς βάτου Μωσῆς ἀνακαλεῖται. ὡς γὰρ εἶδε, φησὶν, ὅτι προσάγει ἰδεῖν,

[l] Exod. xxiii. 20.

[m] Pag. 593, 594. [vol. I. p. 649.]

ἐκάλεσεν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐκ τῆς βάτου, λέγων· Μωϋσῆ, Μωϋσῆ· ὁ δὲ εἶπε· Τί ἐστιν; Ἀβραάμ δὲ, κ. λ. i. e. "Sacer Sermo "aliis ut rex facienda imperat: alios ut præceptor "familiares discipulos utiliter instituit: alios item "tanquam consiliarius sententiis optimis instruit, et "non valentes ipsos sibi consulere multum juvat: "rursum cum aliis tanquam amicus amanter secreta "consilia communicat, quæ profanos audire nefas est: "interdum scitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo "illud, Ubi es?——Cæterum quando Sermo ille ve-"nit in amicorum consistorium, non prius incipit di-"cere quam unumquemque nominatim appellet, ut "arrectis auribus attenti quietique audiant oracula "ad perpetuam memoriam: quoniam et alicubi di-"citur, *Sile et audi.* Ad hunc modum e rubo Moses "vocatur. *Ut vidit*, inquit, *eum accedere ad rem "visendam propius, vocavit eum e rubo Deus, di-"cens, Moses, Moses*; qui respondit; *Quid est?* "Sic et Abraham, &c." Idem in eodem libro [n] Dominum, qui pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem, cum sanctis ecclesiæ Patribus eundem τὸν λόγον fuisse sensit. Nam postquam citasset verba illa Geneseos, *Sol exortus est super terram, et Lot intravit in Segor; et Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulfur et ignem*; hæc continuo subjicit: Ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὅταν ἐπὶ τὸ γεῶδες ἡμῶν σύστημα ἀφίκηται, τοῖς μὲν ἀρετῆς συγγενέσι καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀποκλίνουσιν ἀρήγει καὶ βοηθεῖ, ὡς καταφυγὴν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς πορίζειν παντελῆ· τοῖς δὲ ἀντιπάλοις ὄλεθρον καὶ φθορὰν ἀνίατον ἐπιπέμπει. i. e. "Cum enim Dei Ver-"bum in terrenam istam nostram compagem perve-"nit, virtutis cognatis sectatoribusque ita auxilia-

[n] Pag. 578. [p. 633.]

primæva, Mosi locutus promittit, Se Angelum præmissurum populo suo per desertum, et *futurum nomen suum* בקרבו *in medio ejus.* Fuit itaque revera Angelus, qui populo Israelitico præivit ad terram promissam; sed Angelus tamen, in quo Filius Dei nomen, sive virtutem ac potentiam suam divinam posuit, hoc est, in quo ipse singulari modo præsens fuit. Cæterum ex verbis Tryphonis apud Justinum, quæ modo adduximus, liquet, veteribus Judæis nunquam in mentem venisse commentum illud, quod nostro sæculo viris quibusdam doctis inter Christianos placuit; nempe eum, qui Mosi in rubo et monte Sinai apparuit et locutus est, merum fuisse angelum, qui se Deum Abrahami appellaret, Deique nomine cultum divinum sibi adhibitum libenter admitteret. Nimirum absurda nimis et plane horrenda est illa sententia. Quippe nefas est cogitare, histrioniam aliquando exercuisse angelos, et Deum incommunicabile nomen ipsis communicasse, aut talem repræsentationem, in qua creatura omnia, quæ Dei sunt, sibi attribuat. Recte etiam doctissimus Camero [t], "Sane," inquit, "patroni clientum personas sæpe "induunt; at ne fando quidem unquam auditum "est, ullum legatum, cum principis sui mandata "proponit, aliter loqui quam in tertia persona; "*Princeps meus hæc dicit;* cujus rei illustre testi"monium habemus apud prophetas, apud quos ni"mirum solennis formula est, *Dicit Dominus.* Imo "in visionibus angeli profitentur se missos [u]." Hinc ipse Grotius alicubi [x] fatetur, illum, qui veterem

[t] In Annot. ad Heb. ii. 2.

[u] Vide Athanas. Orat. IV. cont. Arian. p. 466. [Orat. III. 12. vol. I. p. 561.]

[x] Ad Gal. iii. 19.

legem in Sinai promulgavit, Angelum quidem fuisse singularem, aliis angelis stipatum; non vero merum angelum, sed cui adfuerit ὁ λόγος.

12. Esto igitur, inquies; fuerit Deus, qui in Veteri Testamento, sive per angelum, sive sub angelica repræsentatione sanctis viris apparuit et locutus est; at qua demum ratione adducti crediderunt doctores, fuisse Dei Filium? Respondeo: Ratione, ni fallor, optima, quam ex traditione apostolica edidicerant. Scilicet Deus Pater, quemadmodum per Filium suum mundum primitus condidit creavitque, ita per eundem Filium se deinceps mundo patefecit. Proinde Filius Dei, etsi ultimis demum temporibus per incarnationis dispensationem familiariter cum hominibus conversatus fuerit, semper tamen et ab ipsis ejus incunabulis ecclesiæ præfuit, seque viris sanctis etiam sub V. T. (occulta quidem atque arcana οἰκονομίᾳ) ingessit. Clemens. Alexand. Pædag. I. 11.[y] Πάλαι μὲν οὖν διὰ Μωσέως ὁ λόγος ἐπαιδαγώγει, ἔπειτα καὶ διὰ προφητῶν. i. e. "Olim itaque per Mosen Verbum "Pædagogi fungebatur officio, deinde etiam per "prophetas." Origenes contra Celsum lib. VI.[z] Οὐχ' ὥσπερ ἀπὸ μακροῦ ὕπνου διαναστὰς ὁ Θεὸς ἔπεμψε τὸν Ἰησοῦν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, τὴν μὲν κατὰ τὴν ἐνσωμάτωσιν οἰκονομίαν νῦν δι' εὐλόγους αἰτίας ἐπικληρώσαντα, ἀεὶ δὲ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εὐεργετήσαντα· οὐδὲν γὰρ τῶν ἐν ἀνθρώποις καλῶν γεγένηται, μὴ τοῦ θείου λόγου ἐπιδημήσαντος ταῖς ψυχαῖς τῶν κἂν ὀλίγον καιρὸν δεδυνημένων δέξασθαι τὰς τοιάσδε τοῦ θείου λόγου ἐνεργείας. i. e. "Non velut e longo somno "experrectus Deus ad humanum genus Jesum misit, "qui, etsi justis de causis nunc demum incarnationis

[y] Pag. 132. [p. 155.]

[z] Pag. 329. [§. 78. p. 691.] vide et lib. III. p. 119. [§. 14. p. 456.] et lib. IV. p. 165. [§. 6. p. 506.]

" dispensationem suscepit, semper tamen in homines
" fuit beneficus: nihil enim unquam inter homines
" boni gestum est, nisi Dei Verbo animis eorum præ-
" sente, quantulocunque tempore capacium ejus ener-
" giæ." Apertissime autem ac plenissime Tertullia-
11 nus adv. Prax. c. 15. [p. 509.] " Filius visus est
" semper, et Filius operatus est semper, ex auctori-
" tate Patris et voluntate, quia Filius nihil a semet-
" ipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem,
" &c. Sic omnia per Filium facta sunt, et sine illo
" factum est nihil. Nec putes sola opera mundi per
" Filium facta, sed et quæ a Deo exinde gesta sunt."
Mox cap. 16. sequuntur verba, quæ paulo superius adduximus, " Deus in terris cum hominibus conver-
" sari non alius potuit, quam Sermo, qui caro erat
" futurus."

13. Restat altera objectio, quam ut invictam venditant viri quidam doctissimi, a nobis paucis expedienda. Obtendunt igitur, hanc Patrum sententiam disertissimis S. Scripturæ verbis velut e diametro oppositam esse. Etenim, inquiunt, divinus auctor Epistolæ ad Hebræos i. 1, 2. aperte dicit, Deum, qui multis olim modis locutus fuit Patribus ac prophetis, novissimis demum temporibus locutum esse per Filium suum: per tempus autem novissimum intelligi constat tempus evangelii; ergo ante istud tempus nunquam fuerat locutus Filius Dei, aut Deus per Filium suum; alias non recte opponeret auctor tempus novissimum evangelii tempori antiquo veteris legis, si in utroque apparuerit et locutus fuerit Filius Dei, aut Deus per Filium.

14. Hanc objectionem proponit Ludovicus de Tena, eique ipsi respondet hisce fere verbis[a]; " Pau-

[a] In cap. i. Epist. ad Heb. difficult. 2. §. 2. [p. 32.]

" lus ponit discrimen inter solum hanc ultimam ap-
" paritionem Filii Dei, et priores V. T. quia istæ
" fiebant in creatura corporali, non hypostatice unita
" Filio Dei; et ita medio supposito creato corporeo,
" imo et angelico, loquebatur Filius Dei. At vero in
" illa apparitione Verbi incarnati, de qua asserit, *no-*
" *vissime locutus est nobis in Filio*, non mediat ali-
" quod suppositum creatum, neque corporeum, neque
" angelicum; sed Verbum divinum immediate imme-
" diatione suppositi loquebatur hominibus. Neque
" obstat, quod hoc fuerat media humana natura, quia
" hæc caruit proprio supposito, et immediate fuit
" unita supposito Verbi. Et hic est legitimus sensus
" horum verborum, et sic manet recte explicata dicta
" contrapositio, et excellentia evangelii supra legem
" veterem." Hæc viri eruditissimi responsio, ad verba quidem quod attinet, (pro more scholæ,) barbara, sensu tamen sana ac solida est, veterumque Patrum menti consentanea, ut ex testimoniis paulo superius allatis apparet. Quibus et hæc addas; Justinus Martyr in Apologia pro Christianis, quæ in vulgatis editionibus prima dicitur, cum revera secunda sit, sic de Verbo sive Filio Dei loquitur[b]: *Λόγος γὰρ ἦν καί ἐστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, καὶ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι' ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου καὶ διδάξαντος ταῦτα.* i. e. " Verbum fuit et est in universo
" existens: qui et per prophetas, quæ futura erant,
" prædixit, et per seipsum hæc, passionibus nobis
" similis factus, docuit." Ubi docet, Verbum sive Filium Dei se quidem sub Veteri Testamento prophetis, et per illos aliis, quodammodo manifestasse; in ultimis vero temporibus per seipsum, assumpta natura nostra, cœlestem nobis doctrinam tradidisse,

[b] Pag. 48, 49. [Apol. II. 10. p. 95.]

et in hoc excellentiam evangelii supra legem veterem præcipue consistere. Huic concinit Clemens Alexandrinus Pædag. I. 7.[c] Καὶ γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς διὰ μὲν Μωσέως παιδαγωγὸς ὁ Κύριος τοῦ λαοῦ τοῦ παλαιοῦ· δι' αὑτοῦ δὲ, τοῦ νέου καθηγεμὼν λαοῦ, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. i. e. "Revera enim erat Dominus per Mosen Pæda-"gogus veteris populi; per seipsum autem populi "novi Dux, facie ad faciem." Et paulo post: Τὸ μὲν οὖν πρότερον τῷ πρεσβυτέρῳ λαῷ πρεσβυτέρα διαθήκη ἦν, καὶ νόμος ἐπαιδαγώγει τὸν λαὸν μετὰ φόβου, καὶ λόγος ἄγγελος ἦν· καινῷ δὲ καὶ νέῳ λαῷ καινὴ καὶ νέα διαθήκη δεδώρηται, καὶ ὁ λόγος γεγένηται, καὶ ὁ φόβος εἰς ἀγάπην μετατέτραπται, καὶ ὁ μυστικὸς ἐκεῖνος ἄγγελος Ἰησοῦς τίκτεται. i. e. "Prius "itaque veteri populo vetus erat testamentum, et "lex cum metu populum erudiebat, et Verbum erat "Angelus: novo autem et recenti populo novum ac "recens testamentum datum est, et Verbum fuit "genitum, et metus in dilectionem conversus est, et "mysticus ille Angelus Jesus paritur." Neque aliud voluit Tertullianus, cum in loco paulo superius allato[d] docet, "Filium Dei ad humana colloquia de-"scendisse ab Adam usque ad patriarchas in visione, "in somnio, in speculo, in ænigmate, &c."

15. Itaque veterum Patrum sententiæ nihil solidi obduci potest e sacro codice. Dispiciamus, annon eidem S. Scripturæ satis aperte faveant. Paulus Angelum, qui populo Israelitico in deserto præfuit, (de quo dictum est,[e] *Cave tibi a facie ejus, audi verba ejus, ne irrites eum: non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata; nomen enim meum est in illo,*) Dei Filium fuisse, qui postea Christus dictus est, aperte docet 1 Cor. x. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν

[c] Pag. 110, 111. [p. 132.] [d] [§. 7.] [e] Exod. xxiii. 20, &c.

Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. i. e. *Neque tentemus Christum, quemadmodum et quidam eorum tentarunt, et serpentibus perierunt.* Saltem hæc verba ostendunt, Christum populo Israelitico adfuisse in deserto, ab iisque tentatum fuisse. Nam quod hic excipit Socinus hæreticus, scriptum quidem a Paulo, *ne tentemus Christum, sicut nonnulli eorum tentarunt,* at non esse 12
scriptum, *sicut nonnulli eorum tentarunt Christum;* ideoque sententiam commode suppleri posse per aliam vocem, nempe *Deum;* id vero futile est plane. Nam hujus ellipticæ locutionis plurima extant exempla in Scripturis; sic Joan. viii. 56. *Abraham concupivit videre diem meum, et vidit;* non est repetitum, *et vidit diem meum;* sed subintelligitur. Sed appositissimum hujuscemodi locutionis exemplum habemus Deut. vi. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentasti in loco tentationis;* ubi posteriorem orationis partem ad eum, cujus nomen paulo ante expressum est, nempe *Dominum Deum,* sine ulla ejusdem repetitione referri manifestum est. Præterea nos possemus vicissim quærere ab hæretico, cur non additum fuerit, *sicut quidam eorum tentarunt Deum*[f]?" Certe si ea est hujus versus sententia, quam ei affingit hæreticus, non potest reddi ratio hujus ellipseos: at si ea est sententia loci, ut est, quam nos tradimus, ratio ellipseos quam facillime reddi potest. Multo enim insolentior locutio fuisset, si repositum fuisset nomen *Christi.* Denique magnam hic habet vim particula καὶ, quæ ostendit, necessario sic accipienda esse verba apostoli, ac si vellet, *Christum tentatum fuisse ab Israelitis in deserto.* Quorsum enim attinuisset dixisse, *quemad-*

[f] Vide Cameron. in loc.

modum et, cum in priori membro nulla *Dei*, sed *Christi* tantum mentio facta fuerit? Itaque Grotius[g] pro acumine suo hanc Socinistarum cavillationem plane insulsam esse perspiciens, aliud ipse quæsivit effugium: "Omnino," inquit, "legendum est, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεόν." Itane vero? omnino? cedo rationem. "Ita," inquit, "legit vetustissimus ille "manuscriptus," nempe Alexandrinus[h]. At certe vetustissimi illi codices, quibus usi sunt Interpres Syrus, Arabs, vetus Latinus, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, omnes habent Χριστὸν, non Θεόν· quam etiam lectionem sequuntur alia omnia, quotquot nobis Biblia S. Polyglotta repræsentarunt, exemplaria; nisi quod Lincolniense habeat Κύριον, quod etiam in N. T. est Christi nomen[i]. Neque tantæ auctoritatis est codex Alexandrinus, ut tanto consensui opponi mereatur. Sed et aliam profert rationem vir maximus: "Christus," inquit, "est nomen "hominis, quem tum temporis non extitisse certum "est." Responsio est facillima. Christus hic ponitur pro Filio Dei, qui postea in plenitudine temporis, assumpta natura humana, dictus est Christus; ut sit hic synecdoche quasi integri, quemadmodum et in

[g] In loc.

[h] Et Æthiop. Vers. Nov. Test. *Mill. in loc.* Certe cum editis congruant non solum Irenæus, Theodotus in ἐπιτομαῖς ac scriptores Gr. Lat. complures, sed et exemplaria MSS. universim, et quidem *Clar.* Gr. Lat. *Ger.* Gr. Lat. quique Marcionis tempora præcessisse videtur, Interpres Vulgatus; omnino crediderim ab apostolo ipso scriptum Χριστὸν, mutatum autem hoc in Θεὸν, ab audaculo quodam studioso, cui minus verum, si placet, quod ex recepta lectione dicitur, Israelitas tentasse *Christum* in deserto. *Id. ib.* BOWYER.

[i] MS. penes J. Covel. S. T. P. Theodoret. et Epiphan. habent Κύριον. BOWYER. [Versio Slavonica Θεὸν confirmat; et in pluribus MSS. Κύριον reperiri testatur Griesbach.]

aliis Scripturæ locis[j]. Eodem autem sophismate idem Grotius vim eludit apertissimi pro Deitate Filii testimonii, nempe Coloss. i. 16. "Certum est," inquit, "per Verbum creata omnia; sed quæ præcedunt, "ostendunt, hic de *Christo* agi, quod hominis est "nomen. Itaque rectius est ἐκτίσθη hic interpretari, "*ordinata sunt*, novum quendam statum sunt conse-"cuta." At si ista apostoli verba de creatione proprie dicta non loquantur, crediderim S. Scripturas inexplicabili difficultate laborare, ac nihil certi ex ipsarum verbis, licet in speciem disertissimis, concludi posse.

16. Ex his autem manifestum est, quæ de apparitionibus τοῦ λόγου, sive Filii Dei, patriarchis et viris sanctis sub Veteri Testamento factis, tradiderunt Patres primævi, non illorum vana fuisse commenta, sed ab ipsa apostolica doctrina derivata. Addo, (quod et tanquam observatu apprime utile lectori propono,) neque Christi apostolos ista primum docuisse, sed ex antiqua Judæorum cabala sive traditione hausisse; vel certe, quæ apostoli ea de re per Spiritum S. edocti fuerunt, cum traditione illa optime convenire. Nam Philo Judæus Angelum, qui in deserto præfuit populo Israelitico, juxta cum Paulo exponit de τῷ λόγῳ et primogenito Dei Filio, per quem Deus universum mundum regit et gubernat. Locus disertissimus est in libro *de Agricultura*[k]: Καθάπερ γάρ τινα ποίμνην, γῆν, καὶ ὕδωρ, καὶ ἄερα, καὶ πῦρ, καὶ ὅσα ἐν τούτοις φυτά τε αὖ καὶ ζῶα, τὰ μὲν θνητὰ, τὰ δὲ θεῖα, ἔτι δὲ οὐρανοῦ φύσιν, καὶ ἡλίου καὶ σελήνης περιόδους, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τροπάς τε αὖ καὶ χορείας ἐναρμονίους, ὡς ποιμὴν καὶ βασιλεὺς ὁ Θεὸς ἄγει κατὰ δίκην καὶ νόμον, προστησάμενος

j Vide Vossii Instit. Orat. IV. 7.

k Pag. 195. edit. Par. 1640. [vol. I. p. 308.]

τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, οἷά τις μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. καὶ γὰρ εἴρηταί που· Ἰδοὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μου εἰς πρόσωπόν σου τοῦ φυλάξαι σὲ ἐν τῇ ὁδῷ. i. e. "Nam sicut quendam gregem, terram, aquam, aërem, "ignem, et quicquid in his continetur vel stirpium, "vel animalium, mortalium divinorumque, adhæc "cœli naturam, solis ac lunæ circuitus, revolutiones "cæterorum siderum choreasque concinnissimas, "tanquam pastor et rex Deus regit jure legeque, "præfecto his recto suo Sermone, primogenito suo "Filio, qui curam sacri hujus gregis, tanquam magni "Regis Vicarius, in se recipiat. Dictum est enim ali-"cubi [l], *Ecce ego sum, mittam Angelum meum ante "faciem tuam, ut custodiat te in via.*" Idem Philo Deum, qui Adamo post lapsum in paradiso, qui Mosi in rubo, qui denique Abrahamo apparuit, cum veteribus Christianis τὸν λόγον intelligit. Sic enim ille
13 libro *de Somniis* [m]: Ὁ ἱερὸς λόγος τοῖς μὲν ὡς βασιλεὺς ἃ χρὴ πράττειν ἐξ ἐπιτάγματος παραγγέλλει· τοῖς δὲ ὡς γνωρίμοις διδάσκαλος τὰ πρὸς ὠφέλειαν ὑφηγεῖται· τοῖς δὲ ὡς σύμβουλος γνώμας εἰσηγούμενος τὰς ἀρίστας, τοὺς τὸ συμφέρον ἐξ ἑαυτῶν οὐκ εἰδότας μέγα ὠφελεῖ· τοῖς δὲ ὡς φίλος ἐπιεικῶς καὶ μετὰ πειθοῦς πολλὰ καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἀναφέρει, ὧν οὐδὲν αὐτῶν ἀτέλεστον ἐπακοῦσαι θέμις· ἔστι δ' ὅτε καὶ συνθάνεταί τινων, ὥσπερ τοῦ Ἀδὰμ τὸ, Ποῦ εἶ; —— ἐπειδὰν μέν τοι πρὸς τὸ τῶν φίλων ἔλθῃ συνέδριον, οὐ πρότερον ἄρχεται λέγειν, ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἀνακαλέσαι καὶ ὀνομαστὶ προσειπεῖν, ἵνα τὰ ὦτα ἀθροίσαντες, ἡσυχίᾳ καὶ προσοχῇ χρώμενοι, τῶν θεσμοδουμένων εἰς ἄληστον μνήμην ἀκούωσιν· ἐπεὶ καὶ ἑτέρωθι λέγεται, Σιώπα καὶ ἄκουε· τοῦτον τὸν τρόπον ἐπὶ τῆς βάτου Μωσῆς ἀνακαλεῖται. ὡς γὰρ εἶδε, φησὶν, ὅτι προσάγει ἰδεῖν,

[l] Exod. xxiii. 20.

[m] Pag. 593, 594. [vol. I. p. 649.]

ἐκάλεσεν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐκ τῆς βάτου, λέγων· Μωϋσῆ, Μωϋσῆ· ὁ δὲ εἶπε· Τί ἐστίν; Ἀβραάμ δὲ, κ. λ. i. e. " Sacer Sermo " aliis ut rex facienda imperat: alios ut præceptor " familiares discipulos utiliter instituit: alios item " tanquam consiliarius sententiis optimis instruit, et " non valentes ipsos sibi consulere multum juvat: " rursum cum aliis tanquam amicus amanter secreta " consilia communicat, quæ profanos audire nefas est: " interdum scitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo " illud, Ubi es?——Cæterum quando Sermo ille ve- " nit in amicorum consistorium, non prius incipit di- " cere quam unumquemque nominatim appellet, ut " arrectis auribus attenti quietique audiant oracula " ad perpetuam memoriam: quoniam et alicubi di- " citur, *Sile et audi.* Ad hunc modum e rubo Moses " vocatur. *Ut vidit,* inquit, *eum accedere ad rem* " *visendam propius, vocavit eum e rubo Deus, di-* " *cens, Moses, Moses*; qui respondit; *Quid est?* " Sic et Abraham, &c." Idem in eodem libro [n] Dominum, qui pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem, cum sanctis ecclesiæ Patribus eundem τὸν λόγον fuisse sensit. Nam postquam citasset verba illa Geneseos, *Sol exortus est super terram, et Lot intravit in Segor; et Dominus pluit super Sodomam et Gomorram sulfur et ignem;* hæc continuo subjicit: Ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὅταν ἐπὶ τὸ γεῶδες ἡμῶν σύστημα ἀφίκηται, τοῖς μὲν ἀρετῆς συγγενέσι καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀποκλίνουσιν ἀρήγει καὶ βοηθεῖ, ὡς καταφυγὴν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς πορίζειν παντελῆ· τοῖς δὲ ἀντιπάλοις ὄλεθρον καὶ φθορὰν ἀνίατον ἐπιπέμπει. i. e. " Cum enim Dei Ver- " bum in terrenam istam nostram compagem perve- " nit, virtutis cognatis sectatoribusque ita auxilia-

[n] Pag. 578. [p. 633.]

" tur, ut refugium et salutem ipsis præbeat plenissi-
" mam; adversariis vero immittat perniciem inevi-
" tabilem."

17. His non obstat, quod a Grotio observatum, ipsos creatos angelos a Philone passim τοὺς λόγους appellari; quod nempe et ipsi pro suo modulo divinæ voluntatis nuncii ad homines atque interpretes sint. Quanquam enim illud verissimum sit, constat tamen, a Philone in locis allegatis, (quibus et multa alia in proclivi est adjicere,) τὸν λόγον designari singularem quendam, et κατ' ἐξοχὴν sic dictum, qui sit primogenitus Dei Filius, angelis omnibus adeoque universo mundo superior. Si autem idem Philo de illo Dei Sermone ac primogenito Filio haud satis dignas ipsius majestate voces alicubi protulerit; illud ætati, qua nondum Judæis plene patefactum fuerit SS. Trinitatis mysterium, facile condonandum. Imo mirandum potius, hominem in tantis tenebris tam clare vidisse. Nam lib. II. Leg. Allegor.[o] dicit, hunc Dei Sermonem esse ὑπεράνω παντὸς τοῦ κόσμου, καὶ πρεσβύτατον καὶ γενικώτατον τῶν ὅσα γέγονε. i. e. " Superiorem
" universo mundo, antiquius quid generaliusque cre-
" aturis omnibus." Et lib. *de Mundi Opificio*[p] eundem appellat Θεοῦ λόγον κοσμοποιοῦντα, " Sermonem
" Dei, mundum condentem[q]." Et mox[r], τὸν ἀόρατον καὶ νοητὸν θεῖον λόγον, καὶ Θεοῦ λόγον, ὑπερουράνιον ἀστῆρα, πηγὴν τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων. i. e. " invisibilem illum et
" intelligibilem divinum Sermonem, et Dei Sermo-
" nem, supercœlestem stellam, fontem stellarum sen-

[o] Pag. 93. [lib. III. vol. I. p. 121.] [p] Pag. 5. [vol. I. p. 5.]

[q] [In his citandis errat aliquantum vir summus. Philonis verba hæc sunt: εἰ δέ τις ἐθελήσειε γυμνοτέροις χρήσασθαι τοῖς ὀνόμασιν, οὐδὲν ἂν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν εἶναι κόσμον ἢ Θεοῦ λόγον ἤδη κοσμοποιοῦντος.]

[r] Pag. 6.

" sibilium[s]." Quin et in libro *de Confusione Linguarum*[t] ipsum dicit esse non modo Dei λόγον τὸν πρεσβύτατον καὶ τὸν ἱερώτατον, " Sermonem antiquissimum " et sacratissimum," sed et τὴν ἀΐδιον εἰκόνα, " sempi- " ternam imaginem."

18. Ne quis autem Philonem in his πλατωνίζειν suspicetur, (quod multi, Judaicæ imperiti literaturæ, opinati sunt; cum potius existimandum, Platonem φιλωνίζειν, hoc est, sua περὶ τοῦ λόγου ex Judæorum disciplina, quæ Philoni, ut ita dicam, vernacula fuit, hausisse,) auctor Judæus libri *Sapientiæ Solomonis* inscripti (quem Philone longe antiquiorem, non ipsum fuisse Philonem, ut quidam somniarunt, evidentissimis argumentis constat) eadem de τῷ λόγῳ philosophatur. Nam xviii. 15. de angelo, qui Ægyptiorum primogenitos percussit, locutus ait: ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων ἀπότομος πολεμιστὴς εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς. i. e. " Omni- " potens Sermo tuus a cœlis ex thronis regalibus " asper bellator in medium terræ exitio destinatæ " desiliit;" ubi loqui auctorem de λόγῳ ἐννποστάτῳ clare liquet. Neque minus manifestum est, designari hic personam divinam, non angelum aliquem ministrantem, ut vult Grotius; quod hunc Sermonem vocet auctor *omnipotentem;* deinde quod *thronum ipsi in cœlis regalem* tribuat. Quibus addas quod mox ver. 16. de eodem ait: Καὶ στὰς ἐπλήρωσε 14
τὰ πάντα θανάτου, καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ

[s] [Hic quoque Philonis verba parum accurate citat: τὸν δὲ ἀόρατον καὶ νοητὸν θεῖον λόγον καὶ Θεοῦ λόγον εἰκόνα λέγει Θεοῦ, καὶ ταύτης εἰκόνα τὸ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο, ὁ θείου λόγου γέγονεν εἰκὼν τοῦ διερμηνεύσαντος τὴν γένεσιν αὐτοῦ· καὶ ἔστιν ὑπερουράνιος ἀστὴρ, πηγὴ τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων.]

[t] Pag. 341. [vol. I. p. 427.]

γῆς· i. e. "Et stans omnia morte implevit, ac cœlum "quidem attingebat, descenderat vero in terram." Quibus verbis significatur ejus magnitudo ac potentia, qui occupat omnia, suamque vim in cœlo et in terra explicat. In eo fortasse erravit auctor, (fortasse, inquam; neque enim id ausim certo affirmare,) quod angelum τὸν ὀλεθρεύοντα exposuerit de τῷ λόγῳ· utpote quem merum fuisse angelum doctissimi plerique interpretes existimarunt. Interim hinc constat, sensisse scriptorem antiquum et venerandum, ipsum τὸν λόγον nonnunquam angeli specie e throno suo in cœlis regali, a Deo Patre missum, ad homines descendisse, proptereaque angeli nomine in Scripturis vocari. Citat etiam in eandem sententiam Masius ex Judæorum Rabbinis librum pervetustum Tanchumam, et Rab. Gerundensem, quorum verba recitat pluribus in Commentario suo in Josuam ad cap. v. ver. 13, 14.

19. Sed inprimis animadvertendum hic, (quod viri docti dudum observarunt,) Chaldaicas Paraphrases, quoties fere in Scripturis V. T. de Deo nobiscum loquente, nobis auxiliante, aut nobiscum denique versante sermo est, nomen Dei reddere מֵימְרָא vel מֵימַר *Verbum;* significantes nimirum agi istis in locis de Filio Dei, qui Verbum appellatur, et cujus proprium est loqui nobiscum. Sic Gen. iii. 8. pro *audiverunt vocem Domini Dei,* Targum Onkelos et Targum Jonathani ascriptum habent, "Audi- "verunt vocem Verbi Domini Dei." Ibidem ver. 9. pro *Et Deus vocavit Adamum,* Targum Hierosolymitanum, "Et Verbum Domini vocavit Ada- "mum:" plane quemadmodum Philonem locum intellexisse supra vidimus. Gen. xxi. 20. pro *Et Deus fuit cum illo,* Onkelos, "Et Verbum Domini

"fuit illi auxilio;" et ver. 22. *Deus est tecum*, Onkelos, "Verbum Domini est tibi subsidio;" Osee i. 7. pro *Et servabo eos per Jehovam Deum ipsorum*, Targum Jonathanis habet, "Et servabo eos "per Verbum Dei Domini sui." Quem locum et veteres Christiani scriptores de salute populi Dei per Christum procuranda communiter exposuerunt. Ut hæc loca (quibus Targumim consimilia passim suppeditant[u]) eludant, quidam observant מימרא sive מימר nonnunquam usurpari pro αὐτὸς, *ipse*[x]. Sed frustra illi sunt; ut enim concedamus id verum esse, eum tamen loquendi modum hic locum habere merito negamus. Nam præterquam quod testimoniis, ex Philone et libro Sapientiæ modo adductis, constet veteres Hebræos agnovisse λόγον quendam Dei Patris, revera distinctam ab ipso Deo Patre hypostasin, qui ad homines descendisse et cum ipsis loqui solitus est; sunt etiam in Paraphrasibus Chaldaicis loca nonnulla, quæ istam interpretationem omnino respuant. Gen. xx. 3. ubi textus Hebræus habet, *Et venit Deus ad Abimelech*, Targum Onkelos (cui consentit Targum Jonathanis) vertit, "Et venit מימר מן קדם יי Verbum a facie Dei ad "Abimelech;" quod certe non potest intelligi, Et venit ipse Deus a facie Dei. Sic cum Psalm. cx. 1. Targum Jonathanis, testibus Petro Galatino III. 28. et viro doctissimo integerrimoque Paulo Fagio in Deut v. (nam Targum illud in Psalmos hodie aut omnino periit, aut certe nusquam extat typis impressum,) ita παραφράζει "Dixit Dominus,

[u] De his plura videas apud Pol. Syn. Crit. in Evan. Jo. i. 1. Bowyer.

[x] De causa ejus locutionis vide Jacob. Capel. in Annot. ad Joan. i. 1.

"לִמִימִרוֹ, Verbo suo, Sede a dextris meis," nullo modo potest id intelligi, Dixit Dominus sibimet ipsi, &c. Sed de his satis.

20. Ex his vero tandem liquet, quanta auctoritate veteres ecclesiæ doctores affirmarint, qui olim sub V. T. sanctis viris apparuit, Jehovæ nomine insignitus, atque ab iisdem cultu divino honoratus, Dei fuisse Filium. Observabit autem attentus lector, me hic, dum Filii præexistentiam ante Mariam ex allatis testimoniis probare volui, etiam ejusdem τὸ ὁμοούσιον eadem opera non parum confirmasse. Quippe ex iis, quæ hactenus disseruimus, manifestissimum est, Patres Antenicænos unanimi consensu docuisse, (suffragantibus S. Scripturis N. T. et veterum Hebræorum magistris,) illum, qui Mosi in rubo ardenti et in monte Sinai apparuit et locutus est, qui Abrahamo se exhibuit, &c. Dei fuisse τὸν λόγον, sive Filium. Certum autem est, illum, qui apparuit, dici Jehovam, Eum qui est, Deum Abrahami, Isaaci, et Jacobi, &c. quæ elogia nulli creaturæ competere, sed veri Dei propria esse constat. Atque ipsa hæc est ratio, qua Patres communiter utuntur, ad probandum, in istis apparitionibus non merum angelum creatum, sed Filium Dei adfuisse: quod nempe ei, qui apparuit, nomen Jehovæ et cultus divinus tribuantur; ista vero creaturæ incommunicabilia sint, soliusque veri Dei propria; unde sequitur, credidisse omnes, Filium esse verum Deum. Verum hæc sicco pede prætereunda sunt, donec ad secundæ sectionis demonstrationem veniamus. Interim ad reliqua, quæ thesim jam propositam spectant, progrediamur.

CAP. II.

Confirmatur thesis pars altera, de Filii præexistentia ante conditum mundum, et de omnium creatione per ipsum.

1. PERGO ad alterum thesis nostræ membrum, nempe, ut ostendamus, sensisse primorum sæculorum doctores, Filium a Deo Patre genitum fuisse ante jacta mundi fundamenta, perque ipsum condita fuisse hæc universa. Non necesse est, ut hic diu immoremur; siquidem ad sequentes sectiones plura loca allegabimus ex istis scriptoribus, quæ de Filio Dei longe excellentiora pronuntient. Hic contentus ero paucis testimoniis scriptorum, qui vel in ipsa apostolica ætate, vel in prima apostolorum διαδοχῇ floruerunt: quibus præcipue temporibus, impudenter jactitant moderni Photiniani, sententiam suam in ecclesia Christi obtinuisse.

2. Extat Epistola, quæ primum hoc nostro sæculo typis impressa est [y], Sancti Barnabæ inscripta. Ejus auctorem Barnabam apostolum fuisse senserunt doctissimus Hammondus noster, vir summus Isaacus Vossius, et alii [z]; hac imprimis ratione adducti, quod ipsam sub Barnabæ nomine sæpius citent Clemens Alexand. Origenes, aliique veterum. Neque aliud habent adversæ sententiæ patroni [a], quod his opponant, præterquam quod auctor Epistolæ loca nonnulla Veteris Testamenti mystice nimis exposuisse videatur. Sed hujus rei probabilem rationem reddit Hammondus in Diss. I. contra Blondellum [b]; ubi, postquam in præcedentibus capitibus Gnosticorum cha-

[y] [Paris. 1645. cum notis Menardi et Dacherii.]

[z] [Pearson, Cave, Du Pin, Wake.]

[a] [Basnage, Jones, (de Canone N. T. q. v.)]

[b] Cap. 7. §. 4, 5. p. 22, 23.

racterem tradiderat, " Apostoli Barnabæ," inquit, " quæ non ita pridem prodiit, Epistola, ex hoc uno " Gnosticorum charactere commode explicari pot- " erit; alias, (ut complicatum et prolixum ænigma,) " certissimam lectoribus crucem factura. Isti quippe " Simonis asseclæ, γνῶσιν, i. e. Scripturæ Sacræ mys- " tice interpretandæ facultatem sibi arrogantes, multa " Veteris Testamenti mysteria ad impuros usus suos " accommodabant. ——— Hinc Barnabas hac fere " universa Epistola sua veteris instrumenti loca " quamplurima, mystice etiam et cabalistice expo- " sita, Gnosticorum doctrinis opponit." Et in sequentibus ostendit, quam tota illa Epistola refellendis Gnosticorum deliriis egregie inserviat. Utut vero illud sit, certe auctorem primæ antiquitatis fuisse evincunt dicta veterum testimonia, phrases ab eo usurpatæ apostolicæ ætati propriæ, styli simplicitas, ac denique hæreses ab ipso impugnatæ, illæ tantum, quæ sub ipsis apostolis pullularunt. Jam auctor ille non longe ab initio Epistolæ, juxta veterem translationem Latinam, (nam Græca ibi desiderantur,) de Servatore nostro sic loquitur cap. 5.[c] " Et ad hoc Dominus " sustinuit pati pro anima nostra, cum sit orbis ter- " rarum Dominus, cui dixit die" (forte legendum, Deus) " ante constitutionem sæculi, *Faciamus ho-* " *minem ad imaginem et similitudinem nostram.*" Et paulo post Solem dicit opus manuum Filii Dei. Locus illustris est in eod. cap.[d] Τότε ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν υἱὸν Θεοῦ εἶναι· εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν ἐν σαρκὶ, πῶς ἂν ἐσώθημεν ἄνθρωποι βλέποντες αὐτόν; ὅτι τὸν μέλλοντα μὴ εἶναι ἥλιον, ἔργον χειρῶν αὐτοῦ ὑπάρχοντα, βλέποντες οὐκ ἰσχύουσιν εἰς ἀκτῖνας αὐτοῦ ἀντοφθαλμῆσαι. i. e. " Tunc

[c] Pag. 217, 218. ed. Voss. ad calcem Ignat. Lond. 1680. [p. 60.]

[d] Pag. 218, 219. [p. 16.]

" ostendit se esse Filium Dei; Si enim non venisset " in carne, quomodo homines ipsum videntes salvi " esse possent? cum videntes solem, qui aliquando " esse desierit, et est opus manuum ejus, non possint " radios ejus diutius intueri." Denique cap. 12. hæc de Servatore nostro habet[e]: Ἔχεις καὶ ἐν τούτῳ τὴν δόξαν τοῦ Ἰησοῦ, ὅτι ἐν αὐτῷ πάντα καὶ εἰς αὐτόν. i. e. " Habes et in hoc gloriam Jesu, quod per ipsum et " propter ipsum omnia."

3. Hermas, sive auctor libri qui inscribitur *Pastor*, eandem de Servatore nostro doctrinam disertissime tradit. Si de scriptoris antiquitate quæris, audi Grotium[f]: " Hermas," inquit, " qualiscunque auctoritatis, certe vetustatis primæ est; ut ex Irenæo " et Clemente, ejus verbis utentibus, apparet." Ac sane constat, auctorem Clementi Romano fuisse σύγχρονον[g]. Sic enim in Visione secunda sub finem[h] loquitur ipsi anus: " Scribes ergo duos libellos; et " mittes unum Clementi, et unum Graptæ. Mittet " autem Clemens in exteras civitates; illi enim per- " missum est, &c." Ad fidem autem ejus atque auctoritatem quod attinet, quanquam Blondellus[i], quasi œstro percitus, in auctorem ejusque scripta 16
mirum in modum debacchetur; scripta quidem ejus " larvati prophetæ somnia," ipsum vero scriptorem " impurum dogmatisten, Novatianorum et Pelagia- " norum fontem, Montanisticarum superstitionum " gurgitem" appellans: (quid ipsi bilem hanc moverit, si quæris, puto male hominem habuisse, quanquam

[e] Pag. 238. [p. 40.] [f] In Annot. ad Marc. ii. 8.

[g] Clementem sedem Romanam tenuisse ab an. 64 vel 65 ad 81 vult Dodwellus; ab an. 69 ad 82 Cestrensis. *Cave Hist. Lit. in Herm.* BOWYER.

[h] [Lib. I. p. 78.] [i] Apol. p. 16, 17.

id dissimulet, quod episcoporum ordinem supra presbyteros, contra quam ipse vellet, non uno in loco diserte agnoverit Pastor[k]:) de utrisque tamen longe aliter sensit primæva ecclesia; præ cujus judicio, Blondelli, viri licet doctissimi, censuram levissimam, imo nullius esse ponderis, merito existimamus. Libellus Pastoris citatur sub nomine *Scripturæ* ab Irenæo IV. 37.[l] "Bene ergo," inquit, "pronuntiavit Scriptu-"ra: Primo omnium crede, quoniam unus est Deus, "qui omnia constituit et consummavit, et fecit ex eo "quod non erat; &c." Ubi per *Scripturam* Pastoris librum denotari observavit Eusebius E. H. V. 8. et locus, quem citat Irenæus, totidem verbis reperitur in scriptis Hermæ, quæ hodie extant, lib. II. Mand. I. Apposite autem hic notat Bellarminus[m], "Irenæum "*Scripturam* absolute non vocaturum fuisse librum "auctoris sui temporis, et qui apostolus vel aposto-"lorum auditor non fuisset." Citat etiam Hermam sæpe Clemens Alexandrinus, qui et expresse agnovit θείως τὴν δύναμιν τὴν τῷ Ἑρμᾷ κατ' ἀποκάλυψιν λαλοῦσαν, "potestatem illam, quæ divinitus Hermæ locuta est "in revelatione," Strom. I. prope finem[n]. Tertullianus, dum catholicus, in libri *de Oratione* cap. 12. [p. 134.] quibusdam, qui Hermæ scripta allegabant pro consuetudine quadam ipsi improbata, ita respondet, ut scripturæ illius auctoritatem nequaquam reji-

[k] Vid. Hermæ vis. III. et simil. IX. [i. e. l. I. Vis. III. 5. p. 80. et l. III. sim. IX. 15. p. 119.]

[l] [c. 20. p. 253. Græca exhibent Eus. V. 8. et alii. καλῶς οὖν εἶπεν ἡ γραφὴ, ἡ λέγουσα, Πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα.]

[m] Bellarm. de Script. Eccles. de auctore libri, qui *Pastor* inscribitur. [vol. VII. p. 25. Op. ed. 1601—1617.]

[n] [Pag. 426.]

ciat; sed ejus verba commoda interpretatione, prout in aliis S. Scripturis expendendis fieri solet, evadere conetur. Quin et in libro *de Pudicitia* c. 20. [p. 572.] postquam in Montani hæresim delapsus est, quanquam Pastori subinfensus sit, ipsumque adeo satis inverecunde *apocryphum Pastorem mœchorum* vocet, (quod nempe cum universa Scriptura mœcho et fornicatori secundam pœnitentiam concesserit,) proinde canonicam ejus auctoritatem neget; ita tamen id facit, ut non contemnendum ipsi elogium tribuere sanis omnibus videatur: "Receptior," inquit, "apud ecclesias Epistola Barnabæ" (Epistolam intelligit ad Hebræos, quam Barnabæ esse putavit) "illo apocrypho Pastore mœchorum." Certe bene erit Pastori, si post Epistolam ad Hebræos secundæ ipsi deferantur. Cum igitur Tertullianus in ejusdem libri cap. 10. scripturam Pastoris *falsam et adulteram* vocat, ita omnino intelligendus est, ut id tantum negasse videatur, librum illum *divino instrumento meruisse incidi;* quemadmodum et totidem verbis ibidem seipsum explicat. Citatur quoque Pastor ab Origene sæpissime; qui etiam in Rom. xvi.° scripturam illam judicavit non modo *valde utilem*, sed et *divinitus inspiratam*. Allegatur præterea ab Eusebio ex Irenæo E. H. V. 8. ab Athanasio item *de Incarnatione Verbi* P, qui itidem librum vocat *utilissimum;* quod magni doctoris judicium facile approbabit, quisquis librum ipsum attente et sine præjudicio legerit. Rufinus in Symbol. cap. 38. Pastori eum locum in Novo Testamento concedit, quem in veteri obtinuerunt libri Tobiæ, Judith, et Macchabæorum. Denique Hieronymus in Prolog. Galeat. librum, qui *Pastor* inscribitur, inter eccle-

° [vol. IV. p. 683.] P [§. 3. vol. 1. p. 49.]

siasticos recenset cum libro Judith et Tobiæ: et de Script. Eccles.[p] "Pastor," inquit, "apud quasdam "Græciæ ecclesias jam publice legitur: revera utilis "liber, multique de eo scriptorum veterum usur- "pavere testimonia." Qui plura volet de antiquitate et auctoritate hujus libri, adeat doctissimi viri, Joannis Pearsoni, nunc Cestriensis ecclesiæ dignissimi antistitis, Vindicias Epistolarum S. Ignatii[q].

4. Cum autem non parum referre putem, ut huic apostolico scriptori sua constet auctoritas atque existimatio, quam in veteri ecclesia obtinuit; visum est hic obiter et paucis præcipuas rationes expendere, quibus adducti fuerunt neoterici quidam theologi, maxime inter reformatos, ut ipsum e catalogo probatorum ecclesiæ doctorum prorsus eliminarent, atque optimum Pastorem ab ovili ecclesiæ, tanquam lupum gregi Christiano inimicum, longe abigerent. Objiciunt ipsi dogmata, quæ apostolorum discipulo parum conveniant. Quænam vero sunt ista? primo, inquit Scultetus, quem et Rivetus sequitur, "Pur- "gatorium ab anu quadam Visione tertia profertur." Sed (quod pace tantorum virorum dictum sit) multum illi falluntur. Proferantur loci verba. Quærenti Hermæ, an iis, qui in visione ista extra turrim in ignem ejecti essent, pœnitentiæ gratia et locus iterum in turre possit obtingere? respondet anus[r]: "Habent pœnitentiam; sed in hac turre non pos- "sunt convenire. Alio autem loco ponentur multo
17 "inferiore, et hoc, cum cruciati fuerint et impleve- "rint dies peccatorum suorum. Et propter hoc "transferentur, quoniam perceperunt Verbum jus-

[p] [c. 10. vol. II. p. 833.]

[q] Pearson. Vindic. part. I. [c. 4.] p. 39. et sequent.

[r] [§. 7. p. 80.

" tum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, " si ascenderint in corda ipsorum opera, quæ operati " sunt scelesta. Quod si non ascenderint in corda " ipsorum, non erunt salvi propter duritiam cordis " sui." Quibus gemina sunt quæ habentur Simil. 6. prope finem[s]: " Etenim iracundus satisfaciens mo- " ribus suis percipit voluptatem suam; et adulter, et " ebriosus, et detractor, et mendax, et cupidus, et " fraudator, et quicunque iis simile aliquid admittit, " morbo suo parens, percipit ex ea re voluptatem. " Hæ omnes dulcedines ac voluptates noxiæ sunt " servis Dei: propter has itaque cruciantur et pati- " untur pœnas. Sunt etiam voluptates, salutem ho- " minibus afferentes. Multi enim opera bonitatis " facientes percipiunt voluptatem, dulcedine sua " tracti. Hæc ergo voluptas utilis est servis Dei, et " vitam parat hujusmodi hominibus. Illæ vero noxiæ, " quæ supra dictæ sunt, tormenta et pœnas pariunt. " Quicunque vero permanserint in illis, nec admisso- " rum suorum egerint pœnitentiam, mortem sibi ac- " quirent." Certum habeo, hisce in locis non agi de purgatorio pontificio, (merum illud figmentum est monachorum, de quo nemo veterum, qui tribus primis sæculis floruerunt, vel per somnium cogitavit[t],) sed de pœnis purgatricibus, sive afflictionibus, quas Deus ex misericordia sua peccatoribus in ipsorum emendationem in hac vita immittere solet. Sic enim Pastor seipsum disertissime explicat in Similitudine illa sexta[u], ante verba modo allegata; ibi narrat Hermas, " Visa sibi pecora, quæ pastor quidam com- " pellebat in præcipitem locum quendam ac spino-

[s] [§. 5. p. 110. quæ partim Græce exhibentur in ed. Coteler.]

[t] [Vid. quæ annotavimus ad Serm. 2. vol. I. p. 33.]

[u] [§. 2. p. 109. vid. Græca apud Coteler.]

" sum, tribulisque consertum, usque adeo ut de spi-
" nis et tribulis se non possent explicare; sed im-
" plicita ibi pascebantur spinis et tribulis, et graves
" cruciatus experiebantur ex verbis[x] ejus: agebat
" enim ea, et nec consistendi eis locum ante[y] tempus
" permittebat." Deinde sic pergit Hermas: " Cum
" viderem ergo sic ea flagellari, et miserias experiri,
" dolebam pro eis, quia valde cruciabantur, nec ulla
" requies eis dabatur. Dico ad Pastorem illum, qui
" erat mecum: Quis est, Domine, hic pastor tam
" implacabilis, et tam amarus, qui nullo modo mise-
" ratione movetur adversus hæc pecora? Hic, inquit,
" Pastor pro justis quidem nuntius est, sed præposi-
" tus pœnæ. Huic ergo traduntur qui a Deo aber-
" raverunt, et servierunt desideriis ac voluptatibus
" sæculi hujus. Punit ergo eos, sicut meruit unus-
" quisque eorum, sævis variisque pœnis. Vellem,
" inquam, nosse, Domine, varias has pœnas, cujus-
" modi sunt. Audi, inquit; variæ pœnæ atque tor-
" menta hæc sunt, quæ homines quotidie IN VITA
" SUA patiuntur. Alii enim detrimenta patiuntur;
" alii inopiam; alii diversas ægrimonias. Quidam
" inconstantiam, alii injurias ab indignis patientes,
" multaque alia exercitia et incommoda.——Cum
" igitur perpessi fuerint omnem vexationem et omne
" incommodum, tunc traduntur mihi ad bonam ad-
" monitionem, et firmantur in fide Domini, et per
" reliquos dies vitæ serviunt Domino mente pura.
" Et cum cœperint delictorum agere pœnitentiam,
" tunc ascendunt in præcordia eorum opera sua, in
" quibus se nequiter exercuerunt. Et tunc dant
" Deo honorem, dicentes justum Judicem eum esse,

[x] [s. verberibus.] [y] [s. aut.]

" meritoque se omnia esse perpessos secundum facta
" sua. In reliquum vero serviunt Deo mente pura,
" et successum habent in negotiis suis omnibus, ac-
" cipientes a Domino quæcunque poscunt. Et tunc
" gratias agunt Domino, quod sint mihi traditi, nec
" jam quidquam crudelitatis patiuntur, &c." Quid hac explicatione clarius? imo ea apud Hermam nostrum legas, quæ purgatorium pontificium funditus evertant. Sic enim ille in visione tertia [z]: Qui ergo
" pœnitentiam acturi sunt, si egerint pœnitentiam,
" fortes erunt in fide, si NUNC pœnitentiam egerint,
" dum ædificatur turris. Nam si consummata fuerit
" structura, jam quis non habet locum, ubi ponatur,
" sed erit reprobus. Solummodo autem hoc habe-
" bit, qui JAM ad turrim positus est." Quod præterea objiciunt iidem viri docti, ab Herma asseri liberum arbitrium, frivolum est. Nam liberum arbitrium cum gratia et sub gratia agens, cujusmodi tantum asserit Hermas, et S. Scripturæ et omnes catholici doctores primorum sæculorum pariter asserunt. Gravius est, quod tum reformati tum pontificii theologi Hermæ exprobrant, ab ipso nempe lapsis, post acceptam in baptismo Spiritus Sancti gratiam, in atrociora peccata, unam tantummodo pœnitentiam concedi. Sed rursus audiamus ipsa Pastoris verba; sic igitur ille lib. II. mand. 4.[a] prope finem: " Dico
" tibi, quod post vocationem illam magnam et sanc-
" tam siquis tentatus fuerit a Diabolo, et peccaverit,
" unam pœnitentiam habet. Si autem subinde pec-
" cet, et pœnitentiam agat, non proderit homini talia
" agenti; difficile enim vivit Deo." Loqui videtur Pastor de iis, qui post acceptam gratiam regenerantem lapsi, et per pœnitentiam restituti, iterum sub-

[z] [§. 5. p. 80.] [a] [§. 3. p. 91.]

inde, i. e. *sæpe*, in eadem graviora peccata aut paria relabuntur, ac toties pœnitentiam agunt. Hanc desultoriam, ut ita dicam, pœnitentiam nihil homini prodesse, merito affirmat. Neque tamen de horum salute omnino desperat; sed tantum asserit, istius-
18 modi homines, ita quasi per vices peccantes et pœnitentiam agentes, difficile Deo vivere; quod verissimum est. Sic et supra in eodem capite[a] opponit Pastor uni pœnitentiæ τὸ *sæpe peccare*. Nam ostendens, quomodo vir se gerere debeat adversus uxorem, ob adulterium dimissam, quæ de peccato pœnitentiam agat, et recipi iterum a viro petat, sic ait; "Debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, "sed non sæpe; servis enim Dei pœnitentia una "est." Quod si *subinde* interpreteris *deinde*, et Pastoris mentem ita accipias, quasi voluerit semel tantum lapsis, post acceptam gratiam Spiritus Sancti, pœnitentiam quidem concedi, non vero iterum lapsis, scil. in peccata graviora; tum loqui censendus est Pastor de pœnitentia coram ecclesia peragenda, et absolutione consequenti, quam lapsis istiusmodi severior disciplina ejus ætatis multis in locis semel tantum concedebat; cum interim eos, qui iteratis vicibus lapsi essent, non omnino excluderet a spe remissionis apud Deum obtinendæ. Sic ipsorum Novatianorum sententiam, de semel tantum lapsis post baptismum in peccatum ad mortem, explicat Acesius apud Socratem, Eccles. Hist. I. 10. Ὡς ἄρα οὐ χρὴ τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἡμαρτηκότας ἁμαρτίαν, ἣν πρὸς θάνατον καλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαὶ, τῆς κοινωνίας τῶν θείων μυστηρίων ἀξιοῦσθαι· ἀλλ' ἐπὶ μετάνοιαν μὲν αὐτοὺς προτρέπειν· ἐλπίδα δὲ τῆς ἀφέσεως μὴ παρὰ τῶν ἱερέων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐκδέχεσθαι, τοῦ δυναμένου καὶ ἐξουσίαν ἔχοντος

[a] [§. 1. p. 88, 89.]

συγχωρεῖν ἁμαρτήματα. i. e. "Eos scilicet, qui post bap-
"tismum ejusmodi crimen admiserint, quod pecca-
"tum ad mortem divinæ Scripturæ pronuntiant, ad
"divinorum mysteriorum communionem admitti non
"oportere: sed ad pœnitentiam quidem invitandos
"esse; remissionis vero spem non a sacerdotibus
"expectare eos debere, verum a Deo, qui jus pote-
"statemque habet dimittendi peccata." Sane quo-
modocunque alias interpreteris locum Hermæ, illud certum est, lapsos, de quibus loquitur, ab ipso non prorsus excludi a spe vivendi apud Deum; siquidem ait tantum, ut modo notavi, eos *difficile Deo vivere*. Cæterum ob similem locum diu erat, priusquam Epistola ad Hebræos ab ecclesia Romana in canonem recepta fuerit. Vide omnino, quæ ad ejus Epistolæ cap. vi. ver. 4. et seqq. erudite adnotavit Grotius. Hæc autem, ὡς ἐν παρόδῳ, in Hermæ defensionem, cujus et infra auctoritate adversus Arianos pugnabimus, semel dicenda existimavi.

5. Jam audiamus venerandi hujus et apostolici scriptoris illustrissimum testimonium de Filii præexistentia. Sic igitur ille in similitudine nona [b] de Filio Dei loquitur: "Filius quidem Dei omni crea-
"tura antiquior est, ita ut in consilio Patri suo ad-
"fuerit ad condendam creaturam." Hunc Hermæ locum agnoscit auctor Irenici Irenicorum, et de scriptoris antiquitate et auctoritate nobiscum sentit. Tamen, ut absurdissimam suam sententiam tueatur, (qua statuit scil. Justinum fuisse, qui primus dogma de Filii præexistentia ante conditum mundum, et de creatione mundi per ipsum, e Platonis schola in ecclesias Christianas introduxerit,) testimonium eludere conatur ad hunc modum: "Incertum," inquit [c],

[b] [§. 12. l. III. Sim. ix. 12. p. 118.] [c] Iren. Irenic. p. 21.

" prorsus est, utrum, dum in similitudine nona Fi-
" lium Dei omni creatura antiquiorem esse ait, per
" Filium Dei Christum intelligat." Itane vero? incertum? incertum prorsus? tum, inquam ego, sceptici omnium mortalium sapientissimi fuere, nihilque in rebus humanis certum est. " Imo," inquit anonymus, " Spiritus Sanctus ab Herma, tum in simil. 5.
" tum alibi Filius Dei appellatur." Sed hic toto cœlo errat hæreticus, et suam, ut solet, " primæ an-
" tiquitatis, fideique primorum Christianorum" (quam tamen se " clarius quam unquam ante hæc ob oculos
" posuisse" gloriatur [d]) inscitiam nimis manifeste prodit. Nusquam Hermas Spiritum Sanctum, tertiam divinitatis personam, Filium Dei nuncupat. Verba ejus, quæ respicit anonymus, in simil. 5.[e] hæc sunt: " Filius Dei Spiritus sanctus est [f];" ubi quidem Filius Dei appellatur Spiritus sanctus; non vero Spiritus Sanctus (si tertiam divinitatis personam intelligas) titulo Filii Dei insignitur: quod locum inspicienti facile patebit. Scil. totus ibi Hermæ sermo est de Filio Dei, qui ob nostram salutem servus factus est, et corpus, quod serviliter conversatum fuit, assumpsit. Atqui, inquies, qua ratione Christus Filius Dei ab Herma Spiritus sanctus appellatur? Respondeo, τῆς θείας φύσεως, seu divinitatis, respectu; quod scil. ex Deo Patre, Spiritu sanctissimo, Spiritus ipse sanctissimus existat: quo sensu titulus Spiritus sancti singulis personis sacro-sanctissimæ Trinitatis tribui potest. Nimirum tertiæ divinitatis ὑπο-

[d] Pag. 13. [e] [§. 5. p. 107.]

[f] [Hermæ verba sunt, " Filius autem Spiritus Sanctus est;
" Servus vero ille Filius Dei;" et quisquis totam similitudinem legat, percipiet, *Filium* et *Servum* duas esse personas; non igitur inquit Hermas *Filium Dei Spiritum Sanctum esse.* Sed locum adeat lector.]

στάσει Spiritus Sancti appellatio proprie tribuitur, non φύσεως seu naturæ respectu; (nam sic et Pater [g] Spiritus sanctus est, et Filius quoque;) sed ratione ineffabilis spirationis, qua ex Patre per Filium ipsa 19
procedit. Quanquam veteres scriptores ecclesiastici neque istam distinctionem inter Filii generationem et Spiritus Sancti processionem per modum spirationis semper ita accurate tenuerunt; quemadmodum verissime observavit vir summus Hugo Grotius in Notis suis ad Marc. ii. 8. his verbis: "Vocatur "ἡ θεῖα ἐν Χριστῷ φύσις *Spiritus*, non tantum διὰ τὸ "ἀσώματον, quomodo Patri id nomen convenit, sed "etiam quia quod ad distinctionem Verbi et Spi-"ritus Sancti vocatur *generare*, Græcis interdum et "ἀπαυγάζειν, id laxiori vocabulo etiam *spirare* appel-"labant, qualemcunque emanationem, aut, ut Ter-"tullianus loquitur, προβολὴν eo nomine indicantes; "nam et *procedere* Filium non minus quam deri-"vari Tertullianus adversus Praxeam dixit." Utcunque illud, certissimum est, Filium Dei, secundam Deitatis hypostasin, in scriptis Patrum [h] titulo *Spiritus* et *Spiritus Dei* et *Spiritus Sancti* passim insigniri. Si quis in veterum scriptis adeo peregrinus est, ut id nesciat, consulat, quem modo commemoravi, Hugonem Grotium in loco indicato; ubi illud ipsum multis iisque apertissimis testimoniis demonstratum, et in ista citationum copia nominatim hunc Hermam nostrum, ut patronum ejusdem locutionis, allegatum reperiet. Iis vero, quæ Grotius

[g] Τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ κατὰ τὸ ἴσον ἥτε τοῦ πνεύματος καὶ ἡ τοῦ ἁγίου κλῆσις παρὰ τῆς γραφῆς ἐφαρμόζεται. Gregor. Nyssen. Orat. I. contr. Eunom. p. 57. edit. Paris. 1615. [Orat. II. vol. II. p. 485.]

[h] Quibus concinunt S. Scripturæ. Vide Marc. ii. 8. Rom. i. 3, 4. 1 Tim. iii. 16. Heb. ix. 14. 1 Pet. iii. 18, 19, 20. Vide et Joan. vi. 63. coll. 56.

attulit, duo loca insignia adjiciam ipse ex antiquissimis ecclesiæ scriptoribus; auctore nempe Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, et Ignatio. Prior in Epistolæ suæ cap. 7. [p. 21.] de Christo sic loquitur: *αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἤμελλε σκεῦος τοῦ Πνεύματος προσφέρειν θυσίαν.* i. e. "Ipse pro peccatis nostris inci-"piebat vas Spiritus offerre hostiam." Ubi *vas Spiritus* est humana Christi natura, in qua ejus divinitas, quæ *Spiritus* dicitur, tanquam in vase recepta fuerit. Nam vas illud mox diserte exponit auctor de carne Christi. Unde (ut obiter id notem) facile colligitur, si aliunde non pateret, mens auctoris Epistolæ ad Hebræos ix. 14. ubi dicitur Christus obtulisse se inculpatum Deo *διὰ Πνεύματος αἰωνίου*, *per Spiritum æternum.* Scilicet sensus verborum est, æternam Christi divinitatem, sive divinam Filii Dei personam, sibi personaliter, ut loquuntur, unitam humanam naturam in ara crucis Deo obtulisse. Ignatius autem in ipsa inscriptione Epistolæ ad Smyrnæos[h] optat ipsis *ἐν ἀμώμῳ πνεύματι, λόγῳ Θεοῦ, πλεῖστα χαίρειν.* i. e. "In immaculo Spiritu, Verbo Dei, plu-"rimum gaudere;" ubi *ὁ λόγος*, qui est Filius Dei, aperte dicitur *immaculatus*, sive sanctus, *Spiritus*[i].

6. Sed quid multis opus est in re manifesta? quisquis perversissimo hoc anonymi scrupulo commotus adhuc dubitat, quid in citato loco per Filium Dei, qui omni creatura antiquior est, Hermas voluerit, consulat ille locum ipsum, prout in similitudine ista nona integre habetur, dubitationem omnem, ni fallor, illico depositurus. Sub initium similitudinis repræsentaverat Hermæ Pastor suus campum latissimum duodecim montibus circumdatum; in medio vero campo petram ingentem et pervetustam, duo-

[h] [Pag. 33.] [i] [Vid. infra II. 10. 2.]

decim istis montibus altiorem, cui nova erat porta, quæ nuper videbatur exculpta, et solem splendore superabat. Postquam autem similitudinem totam absolvisset Pastor ille, tandem Hermas quærit interpretationem similitudinis, ac de petra et porta primum interrogat[k]: "Primum omnium Domine," inquit, "hoc mihi demonstra, petra hæc et porta "quid sunt?" respondet Pastor: "Petra hæc et "porta Filius Dei est." Pergit interrogando Hermas: "Quonam pacto," inquit, "Domine, petra ve-"tus est, porta autem nova?" cui Pastor, "Audi," inquit, "insipiens, et intellige. Filius quidem Dei "omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patri "suo adfuerit ad condendam creaturam. Porta au-"tem propterea nova est, quia in consummatione in "novissimis diebus apparuit, ut qui assecuturi sunt "salutem, per eam intrent in regnum Dei." Tum in illustrationem similitudinis de porta exemplum proponit civitatis muro cinctæ, unamque tantummodo portam habentis, subjungens, "Sicut ergo in "illam urbem non potest intrari, quam per portam "ejus; ita nec in regnum Dei potest aliter intrari, "nisi per nomen Filii ejus; qui est ei carissimus:" et paulo post; "Porta vero Filius Dei est, qui solus "est accessus ad Deum; aliter ergo nemo intrabit "ad Deum, nisi per Filium ejus." Deum immortalem! fierine potest, ut quis in tam clara luce non videat? ecquis Christianus est, qui nescit, quis sit Filius ille Dei Patri cărissimus, qui in novissimis diebus apparuit, qui porta est unica, per quam ad Deum Patrem nobis peccatoribus accessus pateat, atque in regnum cœlorum introitus? et tamen plura alia in eadem similitudine mox sequuntur, quæ et-

[k] [§. 12. p. 118.]

iam manifestissime doceant, quis sit Filius ille Dei, de quo Pastor loquitur. Ostendit enim Pastor, super petram, Dei Filium, turrim, quæ est ecclesia, ædificatam esse. Ac de variis donis gratiisque Spiritus Sancti (quas in similitudine per virgines adumbraverat) locutus ait[l], "Ii, qui crediderunt Deo "per Filium ejus, induti sunt Spiritum hunc;" ubi etiam Filium a Spiritu Dei, nempe tertia divinitatis persona, manifeste distinguit. Tum aliquanto post apostolos commemorat et doctores (per lapides in similitudine repræsentatos) qui prædicaverunt adventum Filii Dei. Denique de gentibus, ad fidem Filii Dei conversis, (quas in similitudine per *montes* significaverat,) his verbis loquitur[m]: "Universæ na-"tiones, quæ sub cœlo sunt, audierunt et credide-"runt, et uno nomine filii Dei vocati sunt." Ecquis rursus adeo cœcus est, ut non statim videat, hæc omnia ad Filium Dei, qui est Christus, pertinere? certe nemo pius est, qui anonymi non ex animo detestetur extremam impudentiam, asserentis, "Prorsus incertum esse, utrum Hermas, dum ait in "similitudine nona, Filium Dei omni creatura an-"tiquiorem esse, per *Filium Dei* Christum intelli-"gat." Ac de Herma hactenus.

7. Hermæ succedat Ignatius, qui per ipsos apostolos constitutus fuit Antiochiæ episcopus[n]. Ejus genuinas esse Epistolas septem Eusebio memoratas, ab reverendissimo Usserio Latine primum ex duobus MSS. in Anglia nostra repertis, dein ab eruditissimo Isaaco Vossio e Medicæo codice (excepta tantum ad Romanos Epistola) Græce editas, contra Blondellum satis probarunt Vossius ille et Ham-

[l] [§. 13. p. 118.] [m] [§. 17. p. 120, 121.]

[n] Circa an. 67. *Cave in Ignat.* BOWYER.

mondus; adversus Dallæum vero ita copiosissime et evidentissime demonstravit, quem superius commemoravi, episcopus Cestriensis [o], ut apud æquos arbitros lis illa de Ignatianis et controversia tota jam definita videatur. Neque enim quenquam φιλαληθῆ, qui in hoc literarum genere vel mediocriter versatus sit, de Epistolis illis tantillum dubitare facient sophisticæ Observationes, quas in Pearsonum auctor anonymus [p] anno 1674. Rothomagi edidit. Frustra omnino vir ille dispersos ac profligatos Dallæi sui ordines restituere atque instaurare nititur. Is igitur Ignatius in Epistola ad Magnesios, prius de Christo locutus, hæc subjicit [q]; ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ Πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. i. e. "Qui ante sæcula apud Patrem "erat, et in fine apparuit." Sed ex Ignatio inferius plura et illustriora proferemus.

8. Justinus philosophus aliquot annis ante finitam apostolorum primam διαδοχὴν et vixit et scripsit [r], et Martyrio coronatus fuit [s]. Nam prima apostolorum successio, ut recte observavit præstantissimus Henricus Valesius [t], usque ad tempora Marci Antonini producitur; siquidem eo imperante Polycarpus Joannis apostoli discipulus jam centenario major

[o] [Jo. Pearsonus.]

[p] [Libri titulus est, *Observationes in Ignatianas Pearsonii Vindicias, et in Annotationes Beveregii in Canones S. Apostolorum. Rothomagi*, 1674. Auctor anonymus primum latebat; deinde D. Alix in suspicionem venit, ut videtur ex exemplari in Bibl. Bodl. asservato. Verum autem auctorem fuisse Matthæum Larroquanum satis probavit Placcius. I. p. 149.]

[q] Pag. 33. [§. 6. p. 19.]

[r] Apologiam primam Antonino Pio obtulit circa an. 140. *Cave in Just. Mart.* BOWYER.

[s] Circa an. 164. BOWYER.

[t] In Annot. ad Euseb. pag. 34. [II. 23.]

coronam martyrii reportavit, nempe, juxta Martyrologium Romanum, die 26. Januarii anno Christi 167. At Justinus Antonino Pio, qui decessit anno æræ Christianæ 161. utramque Apologiam scripsit [u]; eodemque imperante pro Christiana religione sanguinem suum effudit, quemadmodum idem Valesius [v] contendit. Omnes vero consentiunt, virum sanctum ante an. 167. pro Christi fide mortem oppetiisse. Hinc ipse Justinus se ἀποστόλων μαθητὴν, *apostolorum discipulum* appellat in Epistola ad Diognetum. Jam antiquissimus ille Pater et martyr gloriosissimus doctrinam de Filii τῇ προϋπάρξει ante conditum mundum, et de hujus universi per ipsum creatione, idque ut communem et receptam ecclesiæ sui temporis sententiam, contra Judæos, contra gentes libere passim in scriptis suis professus est ac strenue propugnavit. Duo hic loca attulisse sufficiat; in Apologia, quæ in editionibus prima dicitur, prius de Deo Patre locutus, hæc de Filio subjungit [x]: Ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, κ. λ. "Porro Filius ejus, "qui solus proprie dicitur Filius, Verbum simul cum "illo ante creaturas existens et nascens, quoniam "primitus per eum cuncta condidit et ornavit, &c." In Dialogo cum Tryphone [y]: Ἀλλὰ τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ Πατρὸς προβληθὲν γέννημα πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνὴν τῷ Πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ Πατὴρ προσομιλεῖ. i. e. "Verum hæc ipsa a Patre revera edita progenies

[u] [Prima Apologia Antonino Pio, A. D. 140, secunda post aliquot annos M. Antonino oblata est. LARDNER.]

[v] In Annot. ad Euseb. pag. 66, 67. [IV. 16.]

[x] Pag. 44. [Apol. II. 6. p. 92.]

[y] Pag. 285. [§. 62. p. 159.]

" ante creaturas omnes cum Patre fuit; et cum eo " Pater colloquitur:" nempe in verbis illis, quæ supra citaverat, *Faciamus hominem*, &c.

9. Tatianus, Justini discipulus [z], in Oratione contra Græcos communem Christianorum sui temporis de Filio Dei sententiam explicans ait [a], Τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν. i. e. " Hunc scimus mundi Principium:" et paulo post [b], Λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος, Πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως, 21
κατὰ τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν Πατρὸς μίμησιν εἰκόνα τῆς ἀθανασίας τὸν ἄνθρωπον ἐποίησε. i. e. " Verbum igitur illud " cœleste, Spiritus a Patre genitus, et Ratio ex ratio- " nali potentia, ad imitationem sui Genitoris fecit ho- " minem immortalitatis imaginem:" et rursus paucis interjectis, Ὁ μὲν οὖν λόγος πρὸ τῆς τῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς ἀγγέλων δημιουργὸς γίνεται. i. e. " Verbum igitur " ante creatos homines angelorum erat conditor."

10. Athenagoras Atheniensis, Justini suppar [c], philosophus doctissimus et eximium Christianæ professionis ornamentum, in Legatione pro Christianis (quam Marco Aurelio Antonino ejusque in imperio collegæ scripsit) Confessionem Christianorum de sanctissima Trinitate edens, et de Deo Patre prius locutus, subjungit [d], Ὑφ' οὗ γεγένηται τὸ πᾶν διὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου, καὶ διακεκόσμηται, καὶ συγκρατεῖται. i. e. " A " quo facta sunt omnia per Verbum ipsius, per quod " et adornata sunt et stabiliuntur." Idem mox Filium dicit πρῶτον γέννημα τοῦ Πατρὸς, ὡς συμπάντων ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθόν. i. e. " Primigenitam Patris

[z] Claruit circa an. 172. *Cave in Tat.* BOWYER. [Scripsit circa an. 165. LARDNER.]

[a] Pag. 145. ad calcem Just. Mart. Par. 1615. [§. 5. p. 247.]

[b] Pag. 146. [§. 7. p. 249.]

[c] Floruit circa an. 177. *Cave in Athen.* BOWYER.

[d] Ad calcem Just. Mart. Par. 1615. p. 10. [§. 10. p. 286.]

" progeniem, ex ipso prodeuntem, ut rerum cunc-
" tarum idea et energia foret."

11. Denique Irenæus[e], (qui in adolescentia sua Polycarpi diligens auditor fuit, ideoque merito ab Eusebio[f] primam apostolorum successionem contigisse dicitur,) lib. III. cap. 8.[g] hæc de Verbo sive Filio Dei habet; " Sed nec quidquam ex his, quæ
" constituta sunt; et in subjectione sunt, compara-
" bitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui
" est Dominus noster Jesus Christus. Quoniam
" enim sive angeli, sive archangeli, sive throni, sive
" dominationes, ab eo, qui super omnes est Deus, et
" constituta sunt et facta per Verbum ejus, Joannes
" quidem sic significavit. Cum enim dixisset de
" Verbo Dei, quoniam *erat in Patre*, adjecit, *Om-*
" *nia per eum facta sunt, et sine eo factum est*
" *nihil.*" Idem IV. 17.[h] " Hæc enim Filius, qui est
" Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente
" Patre angelis, uti faceret conditionem, et formaret
" hominem, propter quem et conditio fiebat."

Cæteros Patres trium primorum sæculorum eandem doctrinam de Servatore nostro tradidisse, probe norunt omnes, qui in scriptis eorum versati sunt; non versati nobis credant, donec ipsorum testimonia, longe majora istis de Filio Dei pronuntiantia, a nobis ad sequentes sectiones citanda, suis ipsi oculis usurpaverint. Atque hactenus de Filii τῇ προϋπάρξει.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. II. 2.

DE S. BARNABA.

1. PRÆEXISTENTIAM Filii Dei ante conditum mun-

[e] Natus an. 97. scripsit adv. Hæreses an. 175. *Cave.* BOWYER.
[f] Hist. Eccles. V. 20. [g] [Pag. 183.] [h] [cap. 7. p. 236.]

dum reverendus Bullus in hoc capite aliquot Barnabæ et Hermæ testimoniis solide confirmavit. Nactus vero est adversarium, qui fictum, nisi fallor, nomen sibi imponens, Londini 1697. libellum in 8°. edidit inscriptum, *Fides primorum Christianorum ex Barnaba, Herma, et Clemente Romano demonstrata, Defensioni Fidei Nicænæ D. Georgii Bulli opposita, Auctore Luca Melliero, V. D. M.* in quo cum singula dictorum Patrum apostolicorum testimonia in hac et sequenti sectione allegata, atque argumenta inde deducta eludere conatus sit; haud ingratum lectori fore spero, si præcipuas ejus responsiones sub examen revocavero, et quam frivolæ pleræque sint breviter ostendero.

2. Quod itaque primum supra §. 2. recitatum attinet locum Barnabæ cap. 5. Epistolæ, ubi ait Christo Domino die ante constitutionem seculi dictum esse, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, adversus illum tria reposuit Mellierus. 1. Barnabam hæc mystico tantum sensu, respectu novæ creationis, ultimis temporibus per Christum factæ, prolata citasse. 2. Non Deo cum Filio sermocinanti, sed Scripturæ de Christo prædicenti ea verba tribuisse. 3. Posito, quod Barnabas ipsum Deum in veteri creatione Filio ista dicentem repræsentaverit, ea tamen non nisi in prophetico sensu, tanquam ad Christum futurum pertinentia, minime vero velut ad Filium jam tum vere existentem atque præsentem spectantia exposuisse. Primum probat Mellierus ex cap. 6. ubi illa verba de nova creatione tantum exposita contendit, ac proinde cap. 5. quoque mystice vult accipienda. Verum illo licet posito, neque tamen concesso, hoc prorsus non sequitur; quippe potuit Barnabas eundem locum modo in literali modo in mystico sensu citare; imo hoc fecisse colligo ex eo, quia cap. 5. de quo controversia est, non simpliciter ait, Filio dictum esse, *Faciamus hominem ad imaginem* &c. sed id *die ante constitutionem seculi* factum. Atqui tunc de veteri, non nova agebatur creatione. Non hanc igitur sed illam ibi respexisse Barnabam, omnino sum persuasus. Sed etsi istic quoque mysticum sensum admitterem, hic tamen in literali fundatur; ac proinde haud potuit Barna- 22

bas illa verba, veluti ratione novæ creationis, ad Filium pertinentia exponere, nisi eidem in veteri creatione a Deo Patre dicta supposuerit.

3. A Deo Patre, inquam. Quod enim Mellierus 2. excipit, non Deum, sed Scripturam hæc Christo dixisse, id frivolum omnino est, ac merito illi opponuntur propria ejus verba p. 5. "Manifestum est, Deum hæc dixisse die sex-"to, qui præcedebat consummationem seculi, die septimo "factam." Audiamus vero ejus argumentationem; "Sic "enim," inquit, "habet" (Barnabas) "superius cap. 4. "p. 16.[i] *Dicit enim Scriptura, Væ illis, qui sibi solis in-"telligunt.* Cap. 5. p. 20.[k] *Dicit autem sic,* (nempe eadem "Scriptura,) *Vulneratus est propter iniquitates nostras.* "Deinde: *Dicit autem,* (eadem scilicet Scriptura,) *Non "injuste tenduntur retia avibus.* Et statim: *Cui dixit ante "constitutionem seculi,* (profecto eadem Scriptura.)" Sed hoc est, quod pernego; siquidem alia est ratio antecedentium locorum, utpote quæ continent enuntiationes prophetarum de aliis in tertia persona, (ut grammatici appellant,) non verba unius ad alterum in prima; quale est hoc Dei Patris ad Filium, non *statim* aut continuo post, sed interjectis duabus periodis allegatum, *Faciamus hominem,* &c. Quod Filio a Scriptura dictum esse, et quidem die sexto creationis mundi, si non perabsurde, saltem admodum improprie a Barnaba scriptum fuisset; ac posito hoc, explicandum tamen istud omnino foret ex ejusdem Epist. cap. 6.[l] ubi ait, Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ, ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν τὸν ἄνθρωπον· "Dicit enim Scriptura de nobis, sicut dicit Filio," (nempe Deus Pater,) "*Faciamus hominem secundum imaginem "et similitudinem nostram.*" Equidem Mellierus p. 8. ὡς λέγει τῷ υἱῷ, quæ a veteri Latina Barnabæ interpretatione absunt, existimat "in Græcum textum a sciolo aliquo esse "injecta, et plane superflua; quia ipse Barnabas, post-"quam alia verba, *Crescite et multiplicamini,* adduxisset, "adjicit, *Hæc ad Filium.* Quid ergo," inquit, "necesse "erat ibi dicere, Sicut dicit Filio?" Sed respondeo, ista

[i] [Pag. 59, 60.] [k] [Pag. 60.] [l] [Pag. 19.]

quoque, *ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν, non apparere,* ut ipse p. 9. observat, *in veteri interprete,* ac omnino delenda esse, tum illius auctoritate, tum re ipsa id exigente. Nam verba illa, *Crescite et multiplicamini, et replete terram,* a Deo ad protoplastos dicta esse Moses Gen. i. 28. ait, et ipse pluralis numerus indicat. Quis igitur crederet, Barnabam adeo absurdum fuisse, ut ea ad Filium, qui singularis est persona, directa fuisse scriberet? Et sane hæc phrasis, *Ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν,* simillima est notæ, quam vocant, marginali, qua quispiam monere voluit, Barnabam ista Dei verba, *Faciamus hominem* &c. (quæ cui dicta sint, Moses haud expressit,) ad Filium retulisse. Unde posthæc ab ignaro scriba illa textui, et quidem incommodo loco, inserta fuit. Sed licet ipse Barnabas citatæ divinæ protoplastorum benedictioni, *Crescite et multiplicamini,* subjunxisset, *Ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν,* tamen illa, *ὡς λέγει τῷ υἱῷ,* aliis Dei verbis, *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* diversa in periodo citatis præfixa, haud omnino forent superflua. Quippe S. Barnabas adversus Judæos, (de quibus vide Justini M. Dialogum cum Tryphone, p. 285.[m]) hanc Epistolam scribens, Deum Patrem Filio illa locutum esse asseruit. Nihil autem vetabat, quin posthæc, interjecto proprio commate, aliud Dei dictum allegans hunc in modum, "Et Dominus videns bonam figuram nostram dixit, *Cres-*"*cite,* &c." addiderit, hæc quoque verba, licet ad protoplastos prolata, ad Filium tamen pertinere. Sed, uti jam monui, absurde hoc a Barnaba factum fuisset, ac proinde, *ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν,* dicta vel alia forte occasione in Græcum textum irrepsisse, omnino statuendum est. Contra illa, *ὡς λέγει τῷ υἱῷ,* non a sciolo quodam Græcis addita, sed Latinis dempta videntur, sive ab interprete, sive ab imperito scriba, quod repetitio verbi *λέγει* in tam brevi com- 23
mate, *Λέγει γὰρ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ,* tautologiam ei sonaret. Maneat igitur firmum ratumque, Barnabam ista verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* non Scripturæ ad Filium loquenti absurde adscripsisse, sed Deo Patri, (cui Moses in primæva creatione pro-

[m] [§. 62. p. 159.]

lata ea tribuit,) licet illius nomen non expresserit, id lectori ut notissimum subintelligendum relinquens, prout aliis quoque in locis fecit. Sed fac tandem, Melliere, Barnabam utroque loco scripsisse, "Scripturam Filio dixisse, *Facia-* "*mus hominem ad imaginem nostram;*" nemo tamen, nisi vel ipse sit ineptissimus, vel Barnabam talem imaginetur, id aliter acceperit, quam hoc sensu, "Scripturam memo- "rare, quod Deus Pater Filio dixerit, *Faciamus*, &c." Quod enim Scripturam locutam *ad Filium* explicat *de Filio*, adeo contortum est, ut refutatione sit indignum; et ratione prioris loci, ubi id *die ante constitutionem seculi* factum dicitur, adeo absurdum, ut insanire sit putandus, qui Scripturam tunc de Filio quædam prædixisse diceret, cum nondum in rerum natura existeret. Missa itaque secunda exceptione, ad tertiam progredior discutiendam.

4. Fingit nimirum 3. adversarius, posito quod Barnabas repræsentaverit Deum Filio suo loquentem, *Faciamus hominem*, prophetice tamen ad Christum futurum, nondum vero existentem, verba illa facta existimasse; adeo ut illa, *Cui dixit Deus*, nihil aliud denotent, quam hoc, *Quem in mente habens et cogitans dixit*, uti pag. 13. explicat. "Nam," inquit ibidem, "etiam nobis, id est, Christianis "Deum dixisse asserit, *Crescite et multiplicamini, et do-* "*minamini bestiis*, in fine capitis 6. Quis vero putabit "Barnabam credidisse, Christianos, cum ista Deus ipsis "diceret, præsentes et existentes fuisse?" Sed subdole adversarius, qui ubique ipsa S. Barnabæ verba recitare solet, hic ea omisit. Sunt vero sequentia [n], Προείρηκε δὲ ἐπάνω, ὅτι αὐξανίσθωσαν καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων· "Jam vero præ- "dixit superius, *Crescant et præsint piscibus.*" Quibus in verbis haud asserit apostolus, Deum nobis Christianis dixisse, *Crescite et multiplicamini;* sed prædixisse de nobis, quod incrementum et imperium super creaturas simus habituri. Quæ duo sunt diversissima. Etiamsi autem S. Barnabas scripsisset, Deum protoplastis benedicentem dixisse nobis, *Crescite et multiplicamini*, ne id quidem ad rem quicquam faceret. Nam protoplasti typum nostri gerebant,

[n] [Pag. 20.]

ac proinde quæ Deus ad ipsos loquebatur, ad nos *typice* dicta commode dici poterant. Ast nemo in veteri creatione Christum repræsentabat, cui Pater respectu novæ creationis in typo diceret, *Faciamus hominem*, &c. ideoque ipse Christus tunc Patri suo præsens adfuisse a Barnaba creditus est, aut is incommode, imo perabsurde scripsit, Deum ipsi dixisse, *Faciamus*, &c. Neque reliqua, quæ Mellierus pag. 14. ex Barnaba allegavit, ejusdem cum loco controverso sunt generis. Dei enim mandata per prophetas prolata non solum ad tunc præsentes, sed et alios eorum successores omnino pertinebant, inque nostrum usum scripta sunt, Rom. xv. 4. ac idcirco Deum *nobis* illa dixisse Barnabas recte scribere poterat. Sed aliam prorsus esse rationem istius, *Faciamus hominem*, &c. quis non videt? reliqua, in antecedentibus et sequentibus a Melliero prolata, brevitati studens prætereo, quod vel ad propositum parum aut nihil faciant, vel responsionem haud mereantur.

5. Progredior itaque ad vindicandum a corruptela sequens S. Barnabæ dictum, a reverendo Bullo citatum, quo docet, solem esse ἔργον χειρῶν αὐτοῦ, *opus manuum ejus*, nempe Filii, de quo ibi agitur. Objicit Mellierus pag. 18. veterem interpretem reddidisse *opus manus Dei*, ac proinde in Græco legisse, χειρὸς Θεοῦ. Sed 1. etiamsi vetus interpres ita legerit, non tamen sequitur, quod S. Barnabas ita scripserit; cum ex pluribus locis constet, illum corrupto ac mutilo exemplari usum esse, aut ipsum fœde corruptum ac mutilatum esse. Quidni igitur in hoc loco idem fieri potuerit? Imo vero 2. fatetur Mellierus, Latinam interpretationem hic mutilam esse. Quare ergo non potius ex Græco textu perfecto Latinam versionem imperfectam, ac simul mentem suam corruptissimam, corrigit et integritati restituit? Sed et corruptam illam statuendam esse in his ipsis verbis, *opus manus Dei*, potius quam Græcum textum, inde probo, quia *opus manuum Dei* in S. scriptoribus sæpius, vix autem *opus manus Dei*, in singulari, occurrit; et facilius loco *manuum ejus*, superscripto per abbreviaturam vel deleto τῶν *us*, legi, indeque scribi potuit *manus Dei*, quam ex χειρὸς Θεοῦ fieri χειρῶν αὐτοῦ. Denique

3. posito, neque tamen concesso, Barnabam scripsisse Θεοῦ, non αὐτοῦ, et sic tamen firmissimum ex ejus textu pro Deitate Christi necti posset argumentum. Nam tunc ratiocinium ejus tale foret: Si homines solem, qui est opus manuum Dei sive creatura, oculis suis intueri non valent, multo minus potuissent Christi aspectum sustinere, nisi in carne venisset. Insulsum autem idem foret, si Christus, perinde ut sol, esset opus manuum Dei sive crea-
24 tura. Non igitur pro creatura, sed Creatore Christum *extra carnem* habuit S. Barnabas. Vidit hoc forte adversarius noster, ideoque in præcedentibus testimonii hujus verbis, pro βλέποντες αὐτὸν reponit βλέποντες Θεὸν, ac Deum Patrem ibi intelligendum contendit pag. 19. non solum citra omnem rationem ac auctoritatem, (Latina quippe interpretatio hic eum non juvat, cum sit mutila, et nil habeat verbis istis respondens,) sed et contra omnem rationem ipsamque S. Barnabæ mentem. Illis enim verbis, *Quomodo possent homines* sanari, videntes *eum?* manifeste indicat, se de Filii, non Patris, visione hic agere, ac respicere figuram ænei serpentis, quam cap. 12. prolixius explicavit, eum expresse τύπον τοῦ Ἰησοῦ appellans, quoniam *cum ipse sit exanimis*, qualis Christus in cruce factus fuit, *potest alios sanare, et sine mora curabitur*, qui scilicet intuitus fuerit; καὶ παραχρῆμα σωθήσεται, perinde uti hic, Πῶς ἂν ἐσώθησαν ἄνθρωποι, οἱ βλέποντες αὐτόν; male igitur ultimam hanc vocem in Θεὸν mutavit Mellierus, ac crimen depravationis verborum S. Barnabæ, quod orthodoxis temere pag. 20. intentavit, in caput ejus recidit. Possem pluribus absurditatem lectionis ac interpretationis ibi allatæ ostendere, sed brevitatis causa abstineo, ideoque et ad aliud Barnabæ dictum cap. 12. quod ἐν αὐτῷ καὶ εἰς αὐτὸν, *in ipso et in ipsum*, nempe Christum, *sint omnia*, tribus tantum verbis respondeo, violentam prorsus esse ejus expositionem ab adversario allatam pag. 22. "Quoniam omnes ejusmodi typi et "prophetiæ in ipso impletæ, et in ipsum vel propter ipsum "institutæ sunt." Neque ullum sive Barnabæ sive alius sacri scriptoris locum ad hunc sensum confirmandum adduxit; ego vero pro explicatione textus Barnabæ de "crea-

" tione ac conservatione omnium per et in ipsum," allego parallela prorsus S. Pauli verba Coloss. i. 16. Ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα· et mox, Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται· ac vers. 17. Τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. Sic splendidam atque amplam *habes gloriam Jesu;* quam Socinianus tenebrio impie obscuravit, et arctius, quam fieri debebat, restrinxit.

AD SECT. 6.

DE S. HERMA.

Ad pervertendum Hermæ locum, ubi " Filium Dei omni " creatura antiquiorem" dixit, exemplo Zwickeri adducit Mellierus alia ejusdem verba lib. I. visione 2.° ubi de ecclesia ait, quod "omnium prima creata est," id est, juxta illius explicationem, " quod primo decreta et prædestinata " a Deo fuerit:" qua ratione et Christum " omni creatura " antiquiorem" appellatum putat. Sed quicquid de hoc loco statuatur, certum est, in nostro non prædestinatum Filium, sed jam reapse existentem intelligendum esse, quia Hermas addit, quod " in consilio Patri suo adfuerit ad conden- " dam creaturam." Anne igitur Deo Patri tanquam consiliarius in creatione mundi adfuit, qui nondum fuit aut in rerum natura extitit? absurdum! A mente vero Hermæ alienum prorsus et detortum, quod Mellierus p. 31. commentus est, Filium ideo dictum Patri in consilio adfuisse ad condendam creaturam, " quia Pater tunc, cum ad con- " dendam creaturam se accingeret, Filium futurum in " mente et consilio suo sapientissimo habebat." Cæterum genuinum sensum istorum Hermæ de ecclesia verborum, " Omnium prima creata est, ideo anus; et propter illam " mundus factus est," suppeditare mihi videntur gemina plane verba Pseudo-Clementis lib. I. Recognit. §. 28. "Post " hæc" (quinque dierum opera) " autem omnia hominem " fecit, propter quem cuncta præparaverat: cujus interna " species" (anima vel spiritus) " est antiquior, et ob cujus " causam omnia quæ sunt, facta sunt." Quibus præexis-

° [Pag. 78.]

tentiam animarum ante corpus conditum insinuat, uti Cotelerius ibi recte annotavit. Atqui hanc etiam Hermas credidisse, ideoque ecclesiam, quæ est congregatio ac communio non tam corporum quam animarum fidelium, omni creatura antiquiorem dixisse videtur. Sed de hoc nunc satis.

SECTIO II.

DE FILII τῷ Ὁμοουσίῳ.

SIVE

CONSUBSTANTIALITATE.

CAP. I.

Thesis proponitur. Vox ὁμοούσιος fuse explicatur. Patres Nicæni in eo, quod vocabulo isto ad explicandam Filii veram Divinitatem usi sint, a καινοφωνίας suspicione liberantur. Ἀντιλογία synodorum Antiochenæ contra Paulum Samosatenum, et Nicænæ contra Arium conciliatur. Ab hæreticis τὸ ὁμοούσιον acceptum non fuisse ostenditur. Capita argumentorum, quibus Antenicæni doctores τὸ ὁμοούσιον confirmarunt, breviter recensentur.

1. IN quæstione de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, siquidem in ipsa cardo controversiæ inter catholicos et Arianos vertitur, diutius immorabimur. Hic scil. thesim hanc fusissime illustrandam et confirmandam proponimus.

THESIS.

Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον, sive consubstantialem, hoc est, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ et incommutabilis, proinde Deum verum de Deo vero esse, catholicorum doctorum, qui tribus primis sæculis floruerunt, constans concorsque fuit sententia.

Priusquam autem thesis probationem aggrediamur, quædam de vero sensu et antiquo usu vocis ὁμοουσίου, a Nicænis Patribus in symbolo suo positæ, necessario præmittenda. De vocabulo illo mire olim paratragœdiarunt Arii sectatores, in tantum ut etiam catholici tandem non pauci pacis amantes, ipsorum clamoribus delassati, vocem improbare inceperint; id quod ab Hilario in libro de Synodis et aliis discimus. Causabatur impia illa et inquieta hominum factio, τὸ ὁμοούσιον nunc Sabellianismo patrocinari; nunc, contraria plane ratione, partitionem divinæ essentiæ statuere; nunc denique substantiam aliquam inducere (proh nugæ!) et Patre et Filio priorem, cujus deinde Pater et Filius ex æquo participes fierent. Sed hanc λογομαχίαν immerito ab ipsis excitatam fuisse liquido ostendam.

26 2. Ὁμοούσιον a probatis Græcis scriptoribus id dicitur, quod ejusdem cum altero substantiæ, essentiæ, sive naturæ est; quem etiam sensum manifeste præ se fert ipsum vocis etymon: Porphyrius *de Abstinentia ab Esu Animalium* lib. I. n. 19. εἴγε ὁμοούσιοι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ἡμετέραις. i. e. "Siquidem animæ "animalium sunt ejusdem cum nostris essentiæ." Anonymus auctor celebrium de Anima Opinionum, una cum Origenis Philocalia editus, citat locum ex Aristotele, ubi dicit, Ὁμοούσια δὲ πάντα ἄστρα, id est, "Omnia astra sunt ejusdem essentiæ, sive naturæ." Eodem sensu sæpius voce ista utitur Irenæus in explicandis Valentinianorum placitis; sic lib. I. cap. 1.[p] dicit, hæreticos docuisse, "id quod spirituale "erat, haudquaquam ab Achamoth informari po- "tuisse, ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ." i. e. "quoniam "ejusdem cum ipsa essentiæ erat." Et mox: "Pri-

[p] Pag. 22. [c. 5. p. 23.]

" mum ipsam (Achamoth) ex animali substantia pa-
" rentem et regem omnium, τῶν τε ὁμοουσίων αὐτῷ, tam
" eorum quæ eandem cum ipso essentiam habent,
" quam eorum quæ ex passione et materia procreata
" sunt, informasse." Rursus in eodem capite post aliquammulta [q]: " Hylicum juxta imaginem esse
" παραπλήσιον μὲν, ἀλλ' οὐχ' ὁμοούσιον τῷ Θεῷ Deo qui-
" dem persimilem, verum non ejusdem cum eo essen-
" tiæ." Et pauculis interjectis: " Partum matris
" Achamoth, quem ex angelorum eorum, quibus
" Servatoris latus cinctum erat, contemplatione pro-
" tulit, ne ipsum quidem Demiurgum cognitum ha-
" buisse, ὁμοούσιον ὑπάρχον τῇ μητρὶ πνευματικὸν, quod
" ejusdem cum matre essentiæ, ac spiritualis esset."
Eadem quoque vox eodem sensu a gnosticis usurpata legitur in Excerptis ex Theodoto ad calcem operum Clementis Alexandrini [r]. Atque (ut obiter id dicam) omnino censeo, hæreticos istos, ut alia multa, ita etiam hoc vocabulum, jam tum a catholicis de SS. Trinitate usurpatum, ad suos Æonas accommodasse. Quod et ex eo non leviter confirmatur, quod auctor libri, qui Ποιμάνδρης inscribitur, scriptor inter Christianos [s] antiquissimus, et a gnosticorum deliriis (utcunque alias deliraverit) satis alienus, τὸν λόγον seu Filium Dei Patri ὁμοούσιον diserte dixerit; ut infra ostendemus. Sed e diverticulo in viam. Auctor libri, *Quæstiones Græcanicæ ad Christianos* inscripti, inter opera Justini, sic de anima scribit [t];

[q] Pag. 24. [§. 5. p. 27.]

[r] Pag. 796, 797. [c. 42. p. 979.]

[s] Claruisse videtur circa an. 120. *Cave in Herm.* BOWYER. [Hunc non Christianum fuisse, sed Ptolemæo Philadelpho rege floruisse, contendit editor Dionysii Alex. operum, præf. p. xxxvii.]

[t] Pag. 203. [p. 538.]

" Dicimus animam rationalem spiritum esse mente " præditum, vitalem et per seipsum mobilem; ἧς " ὁμοουσίους εἶναι φαμὲν τούς τε ἀγγέλους καὶ τοὺς δαίμονας, " cui consubstantiales dicimus et angelos et dæ- " mones;" ubi ὁμοούσιος jungitur cum genitivo casu, ut etiam in Excerptis ex Theodoto; cum frequentius dativum regat. Agapius apud Photium (Bibliothec. Cod. CLXXIX.) inter alia impia dogmata docuisse dicitur, Τὴν ψυχὴν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ. i. e. " Animam Deo consubstantialem esse." Postea ibidem de eodem Agapio ait Photius: Ἥλιον δὲ καὶ σελήνην ἀναισχύντως θεολογεῖ, καὶ ὁμοούσια κηρύττει Θεῷ. i. e. " De sole præterea et luna sine pudore velut " de Diis disserit, ejusdemque cum Deo esse naturæ " prædicat." Denique Theodoretus in Dialogo Ἀσυγχυτος affert locum ex Apollinari, ubi dicit: Οἱ ἄνθρωποι τοῖς ἀλόγοις ζώοις ὁμοούσιοι κατὰ τὸ σῶμα τὸ ἄλογον· ἑτερούσιοι δὲ, καθὸ λογικοί. id est, " Homines consubstan- " tiales sunt brutis secundum corpus irrationale; " quatenus autem rationales, alterius plane substan- " tiæ sunt."

3. Hoc ipso sensu Filium Patri ὁμοούσιον dixisse Nicænos antistites, æquis omnibus ac non plane contentiosi ingenii hominibus ex ipsis symboli Nicæni verbis manifestum fiet. Nam postquam Patres dixissent Filium Dei γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, " Natum de Patre unigenitum," mox addunt hæc verba; τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, " hoc est, ex " substantia Patris." Deinde quid illud sit, verbis sequentibus ostendunt: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα. i. e. " Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex " Deo vero; genitum, non factum." Demum illud subjiciunt, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, " Patri consubstantia-

"lem;" tanquam complectens omnia, quæ de Filio prius dicta fuerant. Rursus in fine symboli satis declarant, quid per τὸ ὁμοούσιον intelligi voluerint, dum anathemate feriunt Arianos, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ. i. e. "Ex alia hypostasi sive "essentia, vel creatum, aut convertibilem, aut alte-"rabilem Filium Dei esse dicentes." Scilicet episcopi Nicæni Filium Dei dixerunt Patri ὁμοούσιον, *consubstantialem*, sensu Arianorum blasphemiis opposito: hoc est, non creatæ alicujus, aut alienæ a Patre, aut mutabilis essentiæ esse, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ et incommutabilis. Ita omnino τὸ ὁμοούσιον interpretati sunt catholici illi doctores, quos par est credere Nicænorum Patrum mentem ac sententiam optime calluisse. Sic enim magnus Athanasius, contra Arianos illos disserens, qui falso prætenderent, se fidem Nicænam cætera amplexos fuisse, et ὁμοουσίου tantummodo vocabulum, tanquam novum et periculosum, exhorruisse[a]: Εἰ δὲ καὶ μετὰ τοσαῦτα, μετὰ καὶ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀρχαίων ἐπισκόπων, καὶ μετὰ τὴν ὑπογραφὴν τῶν ἰδίων πατέρων, προσποιοῦνται, ὡς ἀγνοοῦντες, τὴν λέξιν φοβεῖσθαι τοῦ ὁμοουσίου, εἰπάτωσαν καὶ φρονείτωσαν ἁπλούστερον μὲν καὶ ἀληθῶς τὸν υἱὸν, φύσει υἱὸν, ἀναθεματισάτωσαν δὲ, ὡς παρήγγειλεν ἡ σύνοδος, τοὺς λέγοντας κτίσμα ἢ ποίημα, ἢ ἐξ 27
οὐκ ὄντων, ἢ, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· καὶ ὅτι τρεπτὸς καὶ ἀλλοιωτός ἐστι, καὶ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως· καὶ οὕτως φευγέτωσαν ἀπὸ τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως, καὶ θαῤῥοῦμεν, ὅτι γνήσιως ταῦτα ἀναθεματίζοντες ὁμολογοῦσιν εὐθὺς, ἐκ τῆς οὐσίας καὶ ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ Πατρί. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ οἱ πατέρες εἰρηκότες ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν ἐπήγαγον εὐ-

[a] In Epist. ad African. Episcop. tom. I. p. 940. edit. Paris. 1627. [§. 9. vol. I. p. 898.]

θὺς, Τοὺς δὲ λέγοντας κτίσμα, ἢ ποίημα, ἢ ἐξ οὐκ ὄντων, ἢ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· ἵνα διὰ τούτων γνωρίσωσιν, ὅτι ταῦτα σημαίνει τὸ ὁμοούσιον· καὶ ἡ τοῦ ὁμοουσίου δύναμις γινώσκεται ἐκ τοῦ μὴ εἶναι κτίσμα ἢ ποίημα τὸν υἱόν· καὶ ὅτι ὁ λέγων ὁμοούσιον οὐ φρονεῖ κτίσμα εἶναι τὸν λόγον· καὶ ὁ ἀναθεματίζων τὰ προειρημένα ὁμοούσιον ἅμα φρονεῖ εἶναι τὸν υἱὸν τῷ Πατρί· καὶ ὁ ὁμοούσιον λέγων, γνήσιον καὶ ἀληθινὸν λέγει τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· καὶ ὁ γνήσιον λέγων νοεῖ τὸ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν. i. e. "Quod si
" post hæc tanta, post testimonium scilicet veterum
" episcoporum, postque subscriptionem suorum Pa-
" trum, quasi ignari simulent, se exhorrere vocabu-
" lum ὁμοουσίου, dicant et sentiant simpliciter et vere,
" Filium natura esse Filium; et anathemate, ut im-
" peravit synodus, eos feriant, qui dicunt, Filium
" Dei facturam, aut creaturam, aut ex non existen-
" tibus esse, vel fuisse, quando non esset, et mutabi-
" lem, et alterabilem, et ex aliena substantia illum
" esse, itaque fugiant hæresim Arianam; et nulli
" dubitamus, quin postquam hæc ingenue et candide
" anathematizaverint, statim confessuri sint, Filium
" de substantia Patris, Patrique consubstantialem
" esse. Quippe hac de causa Patres etiam, post-
" quam dixerant consubstantialem esse Filium, sta-
" tim subjecerunt, Qui dicunt creaturam, sive factu-
" ram, vel ex non existentibus esse Filium, aut
" fuisse, quando non esset, eos anathemate ferit ec-
" clesia catholica; nempe ut ex his notum facerent,
" hanc significationem habere vocem ὁμοουσίου, vim-
" que hujus vocabuli ex eo cognosci, quod Filius ne-
" quaquam sit creatura aut factura: eumque qui
" consubstantialem dicit, neutiquam sentire creatu-
" ram esse Verbum; et qui prædicta anathemate
" percutit, illum simul consubstantialem esse Patri

" Filium sentire; et qui consubstantialem dicit, ve-
" rum et genuinum Dei Filium dicere; quique de-
" mum genuinum dicit, illum recte intelligere illud
" Scripturæ, *Ego et Pater unum sumus.*"

5. Ad eundem modum et Hilarius in libro *de Synodis* adversus Arianos[x]: " Displicet," inquit, " cui-
" quam in synodo Nicæna homoousion esse suscep-
" tum? hoc si cui displicet, necesse est placeat,
" quod ab Arianis est negatum. Negatum enim id-
" circo est homoousion, ne ex substantia Dei Patris
" Deus Filius natus, sed secundum creaturas ex ni-
" hilo conditus prædicaretur. Nihil novum loqui-
" mur: pluribus edita literis ipsa Arianorum per-
" fidia sibi testis est. Si propter negantium im-
" pietatem pia tum fuit intelligentia confitentium,
" quæro cur hodie convellatur, quod tum pie sus-
" ceptum est, quia impie negabatur? Si pie suscep-
" tum est, cur venit constitutio pietatis in crimen,
" quæ impietatem pie per ea ipsa, quibus impiabatur,
" extinxit? Videamus igitur, quid Nicæna synodus
" statuerit[y], homoousion, id est, unius substantiæ,
" confitendo: non utique hæresim parturire, quæ de
" homoousii vitiosa opinione concipitur. Non, opi-
" nor, illud loquentur, quod unam anteriorem sub-
" stantiam Pater et Filius in substantiam suam par-
" tiendo diviserint." Deinde, recitato symbolo Ni-
cæno, sic pergit: " Non hic sanctissima religiosorum
" virorum synodus, nescio quam priorem, quæ in
" duos divisa sit, substantiam introducit; sed Filium
" natum de substantia Patris. Numquid et nos ne-
" gamus? aut quid aliud confitemur? Et post cæ-
" teras communis fidei expositiones ait, *Natum, non*

[x] Pag. 241, 242. ed. Basil. 1570. [§. 83. p. 1197.]
[y] [Ed. Benedict. l. studuerit.]

" *factum, unius substantiæ cum Patre,* quod Græce " dicunt ὁμοούσιον. Quæ hic vitiosæ intelligentiæ oc- " casio est? natus esse de substantia Patris Filius, " non factus, prædicatur; ne nativitas divinitatis " factura sit creationis. Idcirco autem unius sub- " stantiæ; non ut unus subsistat, aut solus, sed ut " ex substantia Dei natus non aliunde subsistat; " neque ut in aliqua dissidentis substantiæ diversi- " tate subsistat. Aut numquid non hæc fides nostra " est, ut non aliunde subsistat, neque quod indissi- " milis subsistat? Aut aliud hic testatur homoou- " sion, quam ut una atque indissimilis duûm sit se- " cundum naturæ propaginem [z] essentia, quia es- " sentia Filii non sit aliunde; quæ quia aliunde non " est, unius recte esse ambo credentur essentiæ; " quia substantiam nativitatis Filius non habeat nisi " de paternæ auctoritate naturæ?"

6. Magnus Basilius in Epistola CCC.[a] adversus eos agens, qui in omnibus fidem Nicænam amplecterentur, nisi quod ὁμοουσίου vocem admittere noluerint, post alia, quæ infra commodiori loco proferemus, ita disserit [b]: Καὶ ἐπειδὴ ἐξ οὐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παρῆχθαι τὸν υἱὸν ἔτι τότε ἦσαν οἱ λέγοντες, ἵνα καὶ ταύτην ἐκτέμωσι τὴν ἀσέβειαν, τὸ ὁμοούσιον προσειρήκασιν. ἄχρονος γὰρ καὶ ἀδιάστατος ἡ τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν Πατέρα συνάφεια. δηλοῖ δὲ καὶ τὰ προλαβόντα ῥήματα, ταύτην εἶναι τῶν ἀνδρῶν
28 τὴν διάνοιαν. εἴποντες γὰρ φῶς ἐκ φωτὸς, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς τὸν υἱὸν γεγεννῆσθαι, οὐχὶ δὲ πεποιῆσθαι, ἐπήγαγον τούτοις τὸ ὁμοούσιον· παραδεικνύντες, ὅτι ὅπερ ἄν τις ἀποδῷ φωτὸς λόγον ἐπὶ Πατρὸς, οὗτος ἁρμόσει καὶ ἐπὶ υἱοῦ. φῶς γὰρ ἀληθινὸν πρὸς φῶς ἀληθινὸν, κατ' αὐτὴν τοῦ φωτὸς τὴν ἔννοιαν, οὐδεμίαν ἕξει παραλλαγήν. ἐπεὶ οὖν ἐστιν ἄναρχον

[z] [Ed. Benedict. l. progeniem.] [a] [Ep. LII. 2.]

[b] Tom. III. p. 292. edit. Paris. 1638. [vol. III. p. 145.]

φῶς ὁ Πατὴρ, γεννητὸν δὲ φῶς ὁ υἱὸς, φῶς δὲ καὶ φῶς ἑκάτερος, ὁμοούσιον εἶπεν δικαίως, ἵνα τὸ τῆς φύσεως ὁμότιμον παραστήσωσιν. οὐ γὰρ τὰ ἀδελφὰ ἀλλήλοις ὁμοούσια λέγεται, ὥσπερ τινὲς ὑπειλήφασιν· ἀλλ' ὅταν καὶ τὸ αἴτιον, καὶ τὸ ἐκ τοῦ αἰτίου τὴν ὕπαρξιν ἔχον, τῆς αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται. i. e. "Et quia ex non esse ad esse pro-
" ductum Filium etiam tunc nonnulli asseverabant,
" hanc ut abscinderent impietatem, (Nicæni Patres)
" nomen homoousii usurparunt. Nam Filii ad Pa-
" trem adunitio sine tempore est et interstitio. Sed
" et verba præcedentia satis docent, hanc fuisse ho-
" rum hominum mentem ac sententiam. Cum dixis-
" sent enim, de lumine lumen, et de Patris essentia
" Filium esse genitum et non factum, istis addide-
" runt, homoousion: illud nimirum subindicantes,
" quod quam quis rationem luminis in Patre intel-
" lexerit, eandem et Filio adaptatam intelliget. Lu-
" men enim verum ad verum lumen, secundum
" ipsam luminis intelligentiam, nullam prorsus ad-
" mittet alterationem. Quandoquidem est ergo Pa-
" ter lumen sine principio, lumen vero genitum
" Filius, lumen et lumen alteruter, homoousion dix-
" erunt non incongrue, ut naturæ æqualem dignita-
" tem ostenderent. Non enim quæ ad invicem sunt
" cognata, sunt homoousia; (ut quidam existima-
" runt;) sed tum, cum et causa et causatum ejus-
" dem per omnia naturæ participant, dicuntur esse
" homoousia."

7. Atque hunc esse verum sensum vocis ὁμοουσίου, tandem confessi sunt ipsi Semiariani in synodo Antiochena sub Joviano; edocti scil. a Meletio, (quem germanum fuisse catholicum, abunde constat ex Basilio Epist. LII. LIII.[c] et seqq. et Ep. CCCXXV.[d] ad

[c] [Ep. LXIX. XXV.] [d] [Ep. CCLVIII. 3.]

Epiphanium,) qui synodo isti præfuit. Nam in Epistola sua synodica ad optimum imperatorem hæc habent de synodo Nicæna[d]: Ὁπότε καὶ τὸ δοκοῦν ἐν αὐτῇ τισὶ ξένον ὄνομα, τὸ τοῦ ὁμοουσίου φαμὲν, ἀσφαλοῦς τετύχηκε παρὰ τοῖς πατράσιν ἑρμηνείας, σημαινούσης ὅτι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς ὁ υἱὸς ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ Πατρί· οὔτε δὲ ὡς πάθους τινὸς περὶ τὴν ἄῤῥητον γέννησιν ἐπινοουμένου, οὔτε κατά τινα χρῆσιν ἑλληνικὴν λαμβάνεται τὸ ὄνομα τῆς οὐσίας· εἰς ἀνατροπὴν δὲ τοῦ ἐξ οὐκ ὄντων περὶ τοῦ υἱοῦ ἀσεβῶς τολμηθέντος Ἀρείῳ. i. e. "Etenim vocabulum "in ea synodo positum, quod quibusdam novum at- "que insolens videtur, *consubstantialis* videlicet, id "cautissimam interpretationem a Patribus accepit; "ut scilicet Filius ex substantia Patris genitus, et "quoad substantiam Patri similis intelligatur: non "quo perpessio quædam in illa inenarrabili genera- "tione cogitetur, aut nomen substantiæ juxta gen- "tilium usum et consuetudinem accipiatur; sed ut "evertatur id quod Arius ausus erat asserere, Fi- "lium ex nihilo extitisse." Jam quisnam sit vocis ὁμοουσίου, in symbolo Nicæno positæ, legitimus sensus, omnes, ut opinor, satis intelligunt.

8. Porro ὁμοουσίου vocabulum non primum a Patribus Nicænis inventum, neque ab ipsis, in quæstione de Filii divinitate, noviter usurpatum, (quod multi existimarunt,) sed inde a majoribus ad posteros translatum fuisse, Eusebius diserte testatur in Epistola ad suos Cæsarienses. Verba ejus hæc sunt[e]: Τῶν παλαιῶν τινὰς λογίους καὶ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους καὶ συγγραφέας ἔγνωμεν, ἐπὶ τῆς τοῦ Πατρὸς καὶ υἱοῦ θεολογίας τῷ τοῦ ὁμοουσίου συγχρησαμένους ὀνόματι. i. e. "Novimus "quosdam ex veteribus, doctos et illustres episcopos

[d] Apud Soc. H. E. III. 25. et Sozom. H. E. VI. 4.

[e] Apud Socrat. H. E. I. 8. [p. 25.]

" et scriptores, qui de Patris et Filii divinitate dis-
" serentes nomine ὁμοουσίου usi sunt." Non est dubium, quin Eusebio præsto fuerint multa primævæ antiquitatis monumenta, quæ hodie nusquam extant, sed dudum interciderunt; ex quibus ille hanc assertionem suam abunde confirmare potuisset: neque enim nobis, in tanto ac tam deplorando veterum scriptorum naufragio, desunt testimonia, quæ eandem satis evincant. Tertullianus initio libri adversus Praxeam[f] expresse dicit, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum esse *unius substantiæ;* idque adeo in regula fidei et οἰκονομίας sacramento, a catholicis custodito, contineri affirmat. Quid autem, te obsecro, aliud Latine significat, *unius substantiæ,* quam quod Græce dicitur ὁμοούσιον; neque ullus dubito, quin Tertullianus, ut ubique fere, quod docti norunt[g], Græcos ecclesiæ scriptores studiose imitatur, ita hic etiam τὸ ὁμοούσιον, quod apud istiusmodi auctores, se priores, de SS. Trinitate usurpatum legerat, vernaculo suo sermone reddidisse, *unius substantiæ.* Rufinus *de Adulteratione Librorum Origenis* testatur, frequenter hanc vocem apud Origenem 29
reperiri; dum ait: " Numquid in eodem opere ejus-
" dem libri, interdum, ut diximus, statim in conse-
" quenti capitulo oblitus sui esse potuit? V. G. ut
" qui Patrem et Filium unius substantiæ, quod
" Græce ὁμοούσιον dicitur, designavit, in consequenti-
" bus statim capitulis alterius esse substantiæ et
" creatum poterat dicere eum, quem paulo ante de
" ipsa natura Dei Patris pronuntiaverat natum?"

[f] [2. p. 501.]

[g] B. Rhenanus de Tertulliano ait, quod ex Græc. auctorum assidua lectione adeo Græcas loquendi formulas imbiberit, ut etiam Latine scribens illorum oblivisci nequiret.

Exemplum profert Pamphilus in Apologia[h], ubi ex Commentario in Epist. ad Hebræos hæc nobis exhibet Origenis verba: "Quæ similitudines manifes-
" tissime ostendunt, communionem substantiæ esse
" Filio cum Patre: aporrhœa enim ὁμοούσιος videtur,
" id est, unius substantiæ cum illo corpore, ex quo
" est vel aporrhœa vel vapor." Athanasius in libro *de Sententia Dionysii Alexandrini contra Arianos* refert, Dionysium illum (Origenis discipulum) in Epistola ad cognominem Dionysium Romanum dixisse, Christum esse ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, *consubstantialem Deo*[i]; idque Romanum Dionysium ab eo exegisse, ut in terminis diceret. Ex qua Athanasii narratione liquet, etiam Dionysiorum istorum ætate, ὁμοουσίου vocabulum in frequenti usu fuisse; et qui ab eo abhorruerunt, (quod Dionysio Alexandrino falso objiciebatur,) ecclesiæ reprehensionem incurrisse. Miror itaque Sandii sive inscitiam sive impudentiam, qui scribit[k], ipsum etiam Athanasium inter eos fuisse, qui faterentur, τὸ ὁμοούσιον in concilio demum Nicæno fabricatum. Imo et alibi is ipse Athanasius diserte profitetur, vocabulum illud, in symbolo Nicæno positum, τῇ μαρτυρίᾳ τῶν ἀρχαίων ἐπισκόπων, *testimonio veterum episcoporum*, Nicæna scilicet synodo anteriorum, comprobatum esse. Respice locum, quem paulo superius ex Athanasio citavimus, ex Epistola ad episcopos Africanos. Si quis autem de fide magni et optimi Athanasii dubitet, extat hodieque Epistola Dionysii illius Alexandrini contra Paulum Samosatenum, in qua expresse dicit[l], Filium ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέ-

[h] [C. 5. p. 33.] [i] [Vid. Dionysii Alex. Opera, p. 90.]
[k] De Script. Eccles. p. 39, 40. edit. secund. et p. 121, 122.
[l] Biblioth. Patr. tom. XI. p. 277. [Opera, p. 214.]

ρων, "Patri consubstantialem a sanctis Patribus "dici." Quæ Dionysii verba etiam manifeste ostendunt, sanctos Patres ipso anteriores vocem ὁμοουσίου de Filio usurpasse; proinde Eusebii testimonium, quod modo commemoravi, egregie confirmant. Denique ex eo, quod Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene (cui Pamphili nomen merito inscriptum esse, infra ostendemus) contendit, Origenem expresse Filium Patri ὁμοουσίον dixisse, ideoque in articulo de Filii divinitate catholicum fuisse; ex eo, inquam, ipso manifestissimum est, ὁμοουσίου vocabulum etiam ante concilium Nicænum apud catholicos in usu fuisse, atque in explicatione dogmatis de Filii divinitate adhibitum. Nam Pamphilus ille aliquot annis ante synodum Nicænam, nempe sub Maximini persecutione, martyrio coronatus fuit[m], ut Eusebius de Martyr. Palæstin. cap. 7. et Hieronymus in Catalogo diserte testantur. Post hæc, operæ fortasse pretium fuerit notasse, auctorem libri, qui Ποιμάνδρης inscribitur, Mercurio Trismegisto tributi, cap. 1. expresse dicere, Dei λόγον esse Patri ὁμοούσιον. Certe planum fuisse scriptorem, hoc est, non ipsum Trismegistum, sed Christianum aliquem ejus nomen mentientem, solide probavit Petavius: sed et idem Petavius fatetur[n], circulatorem illum perantiquum esse, et paulo post apostolorum tempora extitisse. Quod et testimonia ex ipso a Justino Martyre citata satis ostendunt.

9. Sed maximum τῷ ὁμοουσίῳ præjudicium facere nonnullis visum est, quod synodus Antiochena, sexaginta circiter annis ante Nicænam habita, contra Paulum Samosatenum, vocem istam expresse repu-

[m] An. 309. *Cave in Pam.* BOWYER.

[n] De Trin. I. 2. §. 3, 4.

diaverat. De hac synodorum ἀντιλογίᾳ laborarunt theologi, qua veteres qua neoterici [o]. Ut de veteribus memor instituti mei tantum loquar, Hilarius in libro de synodis adversus Arianos prope finem refert, Paulum Samosatenum nomen illud ὁμοούσιον malo sensu confessum esse, ideoque Patres Antiochenos vocem rejecisse. "Male," inquit, "homoou-" "sion Samosatenus confessus est; sed numquid me-" "lius Ariani negaverunt?" Sed qua ratione potuit Samosatenus ὁμοούσιον confiteri? respondet Petavius [p], "Ea ratione potuit admittere, qua Sabellius, cui in " Trinitatis dogmate consentaneus erat; uti scilicet " unicam substantiam divinitatis et οὐσίαν poneret, " a qua plane separandus esset Christus; qui ne " ὁμοούσιος Deo constitueretur, in tempore Deus esse " cœpisset. Quod enim eodem sensu ὁμοούσιον Ver-" bum esse Samosatenus affirmarit, quo Sabellius, " ibidem Hilarius ostendit, cum illum dicit ὁμοούσιον " esse Filium docuisse, quod in Antiochena synodo " Patres usurpari vetuerunt, *quia per hanc unius* " *essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum* " *sibi esse Patrem et Filium prædicabat.*" Verum hæc mihi (quod pace dixerim sanctissimi Hilarii) nullo modo verisimilia videntur. Ut enim demus, Samosatenum illum idem prorsus de Filio Dei sensisse, quod Sabellius; (quod tamen merito aliquis in dubium vocaverit;) certe Sabellius ipse nunquam Filium lubens dixisset Patri ὁμοούσιον, sed potius ταυτοούσιον. Præterea si Sabelliani ante concilium Ni-
30 cænum voce ὁμοουσίου usi fuissent ad hæresim suam propagandam, neutiquam credibile est Patres Ni-

[o] [Vocem ὁμοούσιος a Patribus Antiochenis minime repudiatam esse multis probat editor Dionysii Alex. operum, Præf. p. xl. &c.]

[p] De Trin. IV. 5 2.

cænos, qui certe a Sabelliana æque ac Ariana hæresi abhorruerunt, id vocabulum in symbolo suo posituros fuisse. Fidenter tamen asseverat Sandius [q], "homoousion amplexos fuisse Sabellii asseclas;" scilicet ante synodum Nicænam; nam nisi id voluerit, nihil ad rem dicit. Unde alibi diserte affirmat, vocem *homoousii* usurpasse ipsum Sabellium. Videamus, quo argumento hanc assertionem suam probet, "Illi enim," inquit, "qui vocem ὁμοούσιον repudia-"bant, eos, qui eandem approbabant, Montani et "Sabellii (nota convenientiam in dogmate) opinio-"nem de integro introducere asserebant; ideoque "eos blasphematores nuncupabant. Socrat. Hist. "Eccl. I. 23. et Sozom. II. 18." Respondeo, narrare quidem in locis citatis Socratem et Sozomenum, post concilium Nicænum magnas concertationes fuisse inter ipsos episcopos, qui Nicænam fidem profiterentur, præcipue inter Eusebium Pamphili et Eustathium Antiochenum, de voce ὁμοουσίου· dum ille cum suis, Eustathio suisque homoousion asserentibus, Montanismum et Sabellianismum exprobrarent; hi vero istis ethnicorum πολυθεότητα objicerent; utraque interim parte (ut diserte testatur Socrates, idque ex literis et Epistolis, quas episcopi illi ad se mutuo scripserunt, accurate perlectis) hanc suam esse fidem profitente, Ἐνυπόστατόν τε καὶ ἐνυπάρχοντα τὸν υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν εἶναι [r]. "Filium "Dei propriam personam et subsistentiam habere, "Deumque in tribus personis unum esse." Apprime autem notandum, Eusebium Pamphili cum suis neutiquam obtendisse, vocem *homoousii* per se, aut juxta

[q] Enucl. Histor. Ecclesiast. I. pag. 112.

[r] Persuasum habeo, Eustathium non ipsam vocem ὑποστάσεως usurpasse; sed aliud vocabulum, quod ἰσοδύναμον putavit Socrates.

propriam suam significationem Sabellii errorem confirmare; nedum Patres Nicænos voluisse per vocabulum illud Sabellianismum Christiano orbi propinare; sed id solum dixisse, Eustathium suosque, qui τὸ ὁμοούσιον amplecterentur, Sabellianismum introducere voluisse, hoc est, ita vocem interpretatos fuisse, ut Sabellianæ hæresi omnino faveret. Imo expresse dicit Socrates, Eusebium in iisdem literis, quibus Eustathium *homoousii* vocabulo utentem accusavit Sabelliani erroris, palam professum fuisse, se τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν οὐ παραβαίνειν, "a Nicæna fide nul- "latenus recedere." An jure Eusebius Sabellianismi arguerit Eustathium, non necesse est ut anxie inquiramus. Certe tamen Marcellum, Eustathii magistrum, purum putum Sabellianismum in scriptis suis asseruisse, ex Eusebii libris, contra eundem elucubratis, liquido constat. Ideoque Hilarius in libro ad Constantium, et Basilius Magnus in Epistolis LII. LXXIV. et LXXVIII.[r] aliique diserte Marcellum inter hæreticos reponunt. Quod vero Marcellus ille apud magnum Athanasium in flagranti gratia aliquamdiu saltem fuerit, id hominis vafritiei et simulationi, zeloque et ardori, quem adversus Arianos ostenderet, omnino imputandum videtur. Ad ipsum quoque Eustathium quod attinet, quanquam nollem temere viri, a plurimis catholicis in pretio habiti, magnique itidem Athanasii amicitia nobilitati, famæ atque existimationi quicquam detrahere; ingenue tamen fateor me nescire, quomodo fieri potuerit, ut episcopi Antiochiæ congregati (fuerint licet maximam partem Ariani) illum proprie, ex omnibus homoousii assertoribus, ὡς τὰ Σαβελλίου μᾶλλον φρονοῦντα, ἢ ἅπερ ἡ ἐν Νικαίᾳ σύνοδος ἐδογμάτισεν, "ut qui Sabel-

[r] [Ep. LXIX. CCLXIII. et CXXV.]

" lii potius dogmati, quam Nicænæ synodi decretis " consentiret," accusarent; proptereaque ipsum sede Antiochena deponerent, (quod testatur Socrates ex aliorum narratione, licet ipse levissima de causa de eorum fide dubitet I. 24.) nisi ipse aliquam saltem ansam atque occasionem istiusmodi accusationi præbuisset. Quid, quod Cyrus Berœæ episcopus, qui, referente Georgio Laodicææ Ariano apud Socratem ibidem, Eustathium [s] coram synodo Sabellianismi accusavit, catholicus fuit, et postea ab Arianis ob assertam doctrinam catholicam ipse depositus, ut testatur Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes? Ait quidem Georgius, Cyrum quoque illum ob Sabellii dogma depositum fuisse; sed per Sabellii dogma omnino ibi intellexit hæreticus *consubstantialis* doctrinam, ut recte notavit Valesius [t]; quo observato, ἐναντιοφάνεια in Georgii narratione, quæ male habuit Socratem, facile conciliatur. Verum hæc omnia quid ad Sandii institutum faciunt? nam qualis, quæso, est hæc consequentia, Eusebius Pamphili Eustathium Antiochenum accusavit, quod vocem *homoousii*, a Nicænis 31
Patribus recte intellectam, ipse ita interpretatus sit, ut ad invehendam in ecclesiam Sabellii hæresim inserviret; ergo Sabellii asseclæ ante synodum Nicænam ipsum *homoousii* vocabulum usurparunt, atque amplexi sunt? Quod obiter notat Sandius, de convenientia Montani et Sabellii in dogmate de SS.

[s] Omnino credo, Eustathium μίαν in Deo ὑπόστασιν pertinacius defendisse; dum scil. per ὑπόστασιν nihil aliud forte quam οὐσίαν intelligeret; quam etiam ob causam postea Eustathiani, ab ipso cognominati, tanquam Sabelliani ab aliis catholicis vitabantur; indeque ingens apud Antiochiam schisma subsecutum. Vide Petav. de Trinit. IV. 4. 10. et seqq.

[t] Vide Vales. annot. ad Socrat. p. 14. [ad I. 24. p. 58.]

Trinitate, mox commodiori loco expendemus. Iterum igitur dico, nullo modo verisimile mihi videri, Sabellianos unquam *homoousii* vocabulo sponte ac libenter usos fuisse; quamvis, postquam vox ista synodi Nicænæ auctoritate sancita fuerit, ipsam in suæ hæresis patrocinium, obtorto quasi collo, trahere conati fuerint. Nam ὁμοούσιον per se adeo Sabellianæ hæresi non convenit, ut ipsi plane repugnet. Quod a Basilio Magno Epist. CCC.[u] præclare observatum his verbis, Αὕτη δὲ ἡ φωνὴ καὶ τὸ τοῦ Σαβελλίου κακὸν ἐπανορθοῦται· ἀναιρεῖ γὰρ τὴν ταυτότητα τῆς ὑποστάσεως, καὶ εἰσάγει τελείαν τῶν προσώπων τὴν ἔννοιαν· οὐ γὰρ αὐτὸ τί ἐστιν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ. i. e. "Vox ista "et Sabellii impietatem corrigit; tollit enim hypo- "staseos identitatem, perfectamque personarum no- "tionem inducit. Non enim idem sibi ipsi consub- "stantiale est, sed alterum alteri." Concludo igitur, Paulum Samosatenum, ut Sabellio in Trinitatis dogmate consentientem, vocem *homoousii* ad hæresim suam declarandam non usurpasse; neque propterea Antiochenos Patres vocabulum illud rejecisse.

10. Magnus Athanasius, quo nemo melius rem hanc scire poterat, (quippe Nicænæ synodo ipse interfuit, in qua, cum omnia de τῷ ὁμοουσίῳ accurate examinarentur, non est dubium, quin hæc præcipua, de Antiochenorum Patrum definitione, objectio imprimis discussa fuerit,) tradit in libro *De Synodis Arim. et Seleuc.* Paulum Samosatenum non τὸ ὁμοούσιον confessum fuisse, sed potius ex vocabulo illo, a catholicis in explicando dogmate de Filii divinitate usurpato, sophisma contexuisse, quo dogma illud convelleret; ac propterea PP. Antiochenos vocem illam silentio supprimendam censuisse. Recitabi-

[u] [Ep. LII. 3. vol. III. p. 146.]

mus ipsius verba, rem hanc totam dilucide explicantia; sed Latine tantum, præter morem nostrum, quia longior est perioche. Athanasius igitur eo in libro, postquam ostenderat, *homoousii* vocem, ante synodum Antiochenam a Dionysio episcopo Romano et concilio episcoporum, sub ipso Romæ in causa Dionysii Alexandrini congregato, confirmatam, quin et ab ipso illo Dionysio Alexandrino agnitam fuisse, deinceps de ἀντιλογίᾳ synodorum Antiochenæ et Nicænæ sic fuse disserit[x]: "Si quis igitur culpat Ni-"cænos, quod non dixerint[y] omnia, quæ ipsorum "antecessoribus placuerunt, idem quoque pari jure "reprehenderit septuaginta episcopos," (Antiochiæ contra Samosatenum congregatos,) "quod ea, quæ "antecessorum suorum erant, non observaverint. "Antecessores autem eorum fuere duo isti Dionysii, "cæterique qui Romæ tum congregati fuere. Ve-"rum neque hos neque illos fas est culpare. Omnes "enim quæ Christi sunt curavere, studiaque sua "contra hæreticos intenderunt; et hi quidem Sa-"mosatensem, illi vero Arianam hæresim condemna-"runt; recte autem et præclare et hi et illi pro sub-"jecta materia scripserunt. Et quemadmodum bea-"tus apostolus in Epistola ad Romanos dixit[z], *Lex* "*spiritualis est, et lex sancta est, et præceptum* "*sanctum, et justum, et bonum*; paulo autem post[a], "*Nam quod impossibile erat legi, in quo infirma-*"*batur*, &c. Neque tamen quis ob id sanctum vi-

[x] Athanas. tom. I. pag. 919, 920. edit. Paris. 1627. [§. 45. vol. I. p. 758.]

[y] [In edd. vet. legebatur ὡς εἰρηκόσι πάντα τὰ δόξαντα τοῖς πρὸ αὐτῶν, ubi Bullus correxisse videtur ὡς μὴ εἰρηκόσι· nec sine causa: melius autem legitur in ed. Benedict. παρὰ τὰ δόξαντα.]

[z] Rom. vii. 12. [a] Rom. viii. 3.

" rum reprehenderit, quasi qui contraria et pugnan-
" tia scripserit; sed potius eum admiratione prose-
" quatur, tam congruentia pro re nata ad singulos
" scribentem, &c. ita quoque etsi amborum conci-
" liorum Patres diversimode de consubstantiali men-
" tionem fecere, non tamen propterea ab illis dissi-
" dere debemus, sed illorum mentem ac sententiam
" scrutari. Quod si fecerimus, omnino inveniemus
" ambas synodos inter se consentire. Qui enim Sa-
" mosatenum sustulerunt, hanc vocem *consubstan-*
" *tiale* corporaliter accepere; cum scilicet Paulus
" sophisticari vellet, et diceret, Si non ex homine
" Christus Deus factus est, igitur consubstantialis est
" Patri, unde necessario sequitur, tres esse substan-
" tias, unam quidem, quæ prior sit, reliquas vero
" duas ex eo oriundas: ideoque merito vitantes illud
" sophisma Pauli dixere, Christum non esse con-
" substantialem: non enim ita se habet Filius ad
" Patrem, ut ille cogitabat. Illi vero, qui Arianam
" hæresim anathemate percusserunt, cum Pauli calli-
" ditatem animadvertissent, neque hoc modo in re-
" bus incorporeis, præsertim in Deo, consubstantiale
" accipiendum esse considerassent; cognoscentesque
" non creaturam, sed genitum quiddam ex substan-
" tia Patris Verbum esse, et substantiam Patris ori-
30 " ginem, radicem et fontem esse Filii; et veram un-
" decunque esse similitudinem geniti cum genitore;
" et nequaquam eum, uti nos, diversæ naturæ esse,
" ac proinde separari a Patre, sed ipsius eum esse
" Filium, nec ab eo dividi posse, ut nec splendor a
" luce; atque ante oculos habentes Dionysii exempla,
" de fonte scilicet, et reliqua, quæ in Apologia ejus
" de ὁμοουσίῳ continentur, et imprimis unitricem Ser-
" vatoris vocem, *Ego et Pater unum sumus*; et,

" *Qui vidit me, vidit et Patrem meum:* his de causis " merito inducti sunt, ut Filium consubstantialem " dicerent." Et paucis interjectis addit, " Quoniam " enim Samosatenus sentiebat, Filium ante Mariam " non fuisse, sed ab ea initium suæ essentiæ acce- " pisse; ideo episcopi tunc congregati hominem hæ- " reseos condemnatum abdicarunt: et de Filii divi- " nitate simplicius scribentes, non exquisitam dili- " gentiam in tractatu hujus vocis *consubstantialis* " adhibuerunt, sed ut acceperant de consubstantiali, " ita locuti sunt; utpote qui in hoc toti intenti erant, " ut, quod Samosatenus excogitarat, tollerent, et do- " cerent ante omnia Filium esse, eumque non ex " homine Deum esse factum, sed, cum Deus esset, in- " duisse servi speciem; cum Verbum esset, carnem " esse factum, quemadmodum locutus est Joannes. " Atque ita adversus blasphemiam Pauli actum fuit. " Verum quia Eusebius et Arius ante tempora qui- " dem fuisse Filium dicerent, sed tamen factum " esse, et unum ex creaturis esse docerent; et dic- " tum illud, *ex Deo*, non ita interpretarentur, ut " Filium genuinum ex Patre natum crederent, sed " eum ita ex Deo esse, ut cætera creata, affirma- " rent; et similitudinis unitatem Filii cum Patre " negarent essentia aut natura constare, ut solide " Filius Patri suo similis haberi possit, sed consensu " dogmatum rationeque doctrinæ eam similitudi- " nem conflatam esse; quin et sejungebant, et om- " nibus modis alienabant essentiam Filii a Patre, at- " que aliud ei existendi principium affingentes ad " creaturarum censum eum detrahebant; ideo Ni- " cææ congregati episcopi, conspicati eorum homi- " num, qui ita sentiebant, vafritiem, quo sensum, " quem ex Scripturis collegerant, clarius exprime-

" rent, *consubstantialem* dixerunt; nempe ut eo sig-
" nificaretur, verum esse illum et genuinum Filium,
" nihilque cum ipso res creatas habere commune.
" Vocis enim istius exquisita ratio cum omnem ip-
" sorum simulationem, siquidem illum dicant ex Deo
" esse, redarguit; tum omnes eorum argutias, qui-
" bus simplices circumveniunt, excludit. Sane quum
" omnia sophisticis calumniis adulterare et immu-
" tare possint ad arbitrium, solam hanc dictionem,
" ut quæ ipsorum convincit hæresim, reformidant:
" quam quidem Patres pro munimento et arce con-
" tra omnia illorum impia commenta scriptam obje-
" cerunt." Hactenus Athanasius.

11. Magno Athanasio suffragatur magnus itidem Basilius in Epistola CCC. ubi, postquam de præconio fidei Nicææ promulgato locutus fuerat, hæc subjicit [b]: Οὗ τὰ μὲν ἄλλα παντάπασιν ἐστὶν ἀσυκοφάντητα, τὴν δὲ τοῦ ὁμοουσίου φωνὴν, κακῶς παρά τινων ἐκληφθεῖσαν, εἰσί τινες οἱ μήπω παραδεξάμενοι. οὓς καὶ μέμψαιτ' ἄν τις δικαίως, καὶ πάλιν μέν τοι συγγνώμης αὐτοὺς· ἀξιώσειεν. τὸ μὲν γὰρ πατράσι μὴ ἀκολουθεῖν, καὶ τὴν ἐκείνων φωνὴν κυριωτέραν τίθεσθαι τῆς ἑαυτῶν γνώμης, ἐγκλήματος ἄξιον, ὡς αὐθαδείας γέμον· τὸ δὲ πάλιν ὑφ' ἑτέρων διαβληθεῖσαν αὐτὴν ὕποπτον ἔχειν, τοῦτο πως δοκεῖ τοῦ ἐγκλήματος αὐτοὺς μετρίως ἐλευθεροῦν. καὶ γὰρ τῷ ὄντι οἱ ἐπὶ Παύλῳ τῷ Σαμοσατεῖ συνελθόντες διέβαλον τὴν λέξιν, ὡς οὐκ εὔσημον. ἔφασαν γὰρ ἐκεῖνοι, τὴν τοῦ ὁμοουσίου φωνὴν παριστᾶν ἔννοιαν οὐσίας τε καὶ τῶν ἀπ' αὐτῆς, ὥστε καταμερισθεῖσαν τὴν οὐσίαν παρέχειν τοῦ ὁμοουσίου τὴν προσηγορίαν τοῖς εἰς ἃ διηρέθη. τοῦτο δὲ ἐπὶ χαλκοῦ μὲν καὶ τῶν ἀπ' αὐτοῦ νομισμάτων ἔχει τινὰ λόγον τὸ διανόημα· ἐπὶ δὲ Θεοῦ πατρὸς, καὶ Θεοῦ υἱοῦ, οὐκ οὐσία πρεσβυτέρα οὐδ' ὑπερκειμένη ἀμφοῖν θεωρεῖται· ἀσεβείας γὰρ

[b] Oper. Basilii tom. III. p. 292. [Ep. LII. 1. p. 145.]

ἐπέκεινα τοῦτο καὶ νοῆσαι καὶ φθέγξασθαι. i. e. " Cujus qui-
" dem præconii partes cæteræ omnes nullis impetitæ
" sunt calumniis; at vocem illam *homoousion*, si-
" nistre a nonnullis acceptam, sunt qui nondum ad-
" miserunt. Quos jure quis dignos reprehensione
" dixerit, et eosdem iterum jure excusandos. Pa-
" trum enim vestigiis non insistere, et eorum vocem
" suæ ipsorum sententiæ anteferre, tanquam præ-
" sumptionis plenum, reprehensione dignum est:
" eandem vero rursus a nonnullis accusatam, suspec-
" tam habere, videtur aliquatenus illos a culpa libe-
" rare. Nam revera qui convenerant in causa Pauli
" Samosateni, vocem hanc, ut minus congruam, ac-
" cusatam ejecerunt. Dixerunt enim illi, *homoousii*
" vocem notionem et substantiæ, et eorum quæ ex
" ipsa sunt, repræsentare nobis; ita ut substantia
" distributa *homoousii* appellationem impertiat iis in
" quæ distributa fuerit. Hoc quidem verissimum
" est[c] de ære et numismatibus inde cusis; at in Deo
" Patre et Deo Filio nec substantia est antiquior,
" nec utrique videtur superstrata; hoc enim dicere,
" vel cogitare impietatis omnem rationem excedit."
Animadvertis, his verbis Basilium diserte testari,
eatenus tantum *homoousii* vocem rejecisse Patres
Antiochenos, quatenus ipsa significare videretur sub- 33
stantiam aliquam divinam Patre et Filio anterio-
rem, quæ postmodum in Patrem et Filium distri-
buta fuerit. Jam liquido constat, neque Paulum
Samosatenum neque Sabellium hoc sensu homoou-
sion confessos fuisse. Reliquum est igitur, verissi-
mum esse, quod scripsit Athanasius, Paulum ex voce
homoousii, quam a catholicis usurpatam (ac fortasse

[c] [Potius *Hoc quidem aliquam vim habet*, v. Græca.]

ab eorum nonnullis ita explicatam, ut calumniæ occasionem præberet) cognoverat, argumentum formasse, quo Christi divinitatem oppugnaret; ideoque Patres vocem silentio supprimendam censuisse.

12. Quod ipsum non parum confirmatur ex historia Nicæni concilii. Scilicet omnino verisimile est, ὁμοούσιον vocabulum ob eandem rationem a Patribus Antiochenis rejectum fuisse, propter quam et catholicis quibusdam episcopis in synodo Nicæna primum (antequam scilicet a cæteris episcopis atque ab ipso Constantino vox illa distinctius explicaretur) displicuit. Quænam vero fuit ratio illa? nunquid quia vocabulum Samosateni et Sabellii dogmati faveret, aut quod eo usi fuerint ambo isti hæretici ad hæresim suam explicandam? nihil minus. In causa fuit quod e contrario vox divinæ essentiæ partitionem, quam modo dixi, inducere quibusdam videretur. Hoc enim Eusebius Pamphili in Epist. de Synodo Nicæna ad suos Cæsarienses diserte testatur his verbis [d]: Καὶ δὴ ταύτης τῆς γραφῆς ὑπ' αὐτῶν ὑπαγορευθείσης, ὅπως εἴρηται αὐτοῖς τὸ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, καὶ τὸ τῷ Πατρὶ ὁμοούσιον, οὐκ ἀνεξέταστον αὐτοῖς καταλιμπάνομεν. ἐπερωτήσεις τοιγαροῦν καὶ ἀποκρίσεις ἐντεῦθεν ἀνεκινοῦντο, ἐβασάνιζέν τε ὁ λόγος τὴν διάνοιαν τῶν εἰρημένων· καὶ δὴ καὶ τὸ ἐκ τῆς οὐσίας ὡμολόγητο πρὸς αὐτῶν δηλωτικὸν εἶναι τοῦ ἐκ μὲν τοῦ Πατρὸς εἶναι, οὐ μὴν ὡς μέρος ὑπάρχειν τοῦ Πατρός. ταῦτα δὲ καὶ ἡμῖν ἐδόκει καλῶς ἔχειν συγκατατίθεσθαι τῇ διανοίᾳ. i. e. "Cum hæc ab illis dictata esset formula," (nempe formula, quæ hodie symbolum Nicænum dicitur,) "id quod ab illis dictum erat, *ex substantia* "*Patris*, et *consubstantialis*, non absque examine "prætermisimus. Hinc igitur variæ quæstiones ortæ

[d] Apud Socrat. Eccl. Hist. I. 8. [p. 24.]

" sunt et responsiones: et quænam esset eorum ver-
" borum sententia, accurate expendebatur. Et has
" quidem voces, *ex substantia*, fassi sunt hoc signi-
" ficare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tan-
" quam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos
" quoque amplecteremur, æquum omnino videba-
" tur." Supra in eadem Epistola dixerat Eusebius, ipsum Constantinum episcopis quibusdam de vocabulo *homoousii* quærentibus satisfecisse his verbis: Ὅτι μὴ κατὰ τὰ τῶν σωμάτων πάθη λέγοι τὸ ὁμοούσιον, οὔτε οὖν κατὰ διαίρεσιν, οὔτε κατά τινα ἀποτομὴν ἐκ τοῦ Πατρὸς ὑποστῆναι. μήτε γὰρ δύνασθαι τὴν ἄϋλον, καὶ νοερὰν, καὶ ἀσώματον φύσιν σωματικόν τι πάθος ὑφίστασθαι· θείοις δὲ καὶ ἀπορρήτοις ῥήμασι προσήκει τὰ τοιαῦτα νοεῖν. i. e. "*Consub-*
" *stantiale* a se dici, non juxta corporum affectiones;
" neque per divisionem aut per sectionem quandam
" Filium ex Patre subsistere. Fieri enim non posse,
" ut materiæ expers natura, et intellectualis atque
" incorporea, corpoream ullam affectionem admittat;
" sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligen-
" dum." Denique ante Paulum Samosatenum, ipsum quoque Sabellium generationem Filii ex ipso Deo Patre in distinctam hypostasin, hoc est, ejus τὸ ὁμοούσιον negasse ob eandem rationem, nempe quod inde sequeretur divisio et quasi sectio substantiæ divinæ, non obscure nos docet Alexander in Epistola ad cognominem suum Constantinopolitanum episcopum apud Theodoritum[e]; ubi ait, Filium γεννηθέντα οὐκ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλ' ἐκ τοῦ ὄντος Πατρὸς, οὐ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων ὁμοιότητας, ταῖς τομαῖς ἢ ταῖς ἐκ διαιρέσεων ἀπορρείαις, ὥσπερ Σαβελλίῳ δοκεῖ. i. e. "Genitum esse non
" ex non existentibus, sed ex ipso existente Patre;

[e] Eccl. Hist. I. 4. p. 17. edit. Valesii. [p. 18.]

" non corporum more, per incisiones aut defluxus " divisionum, quemadmodum Sabellio videtur." Quæ Alexandri verba duplicem omnino sensum admittunt; vel 1. ipsum Sabellium sensisse, Filium ex Deo Patre genitum esse corporum more, per incisionem, sive divisionem paternæ substantiæ; vel 2. existimasse hæreticum illum, ex catholicorum sententia, qui docerent, Filium ex ipsa Patris substantia ita genitum esse, ut distincta a Patre hypostasis sit, divisionem illam paternæ essentiæ necessario sequi, ideoque dogma illud catholicum rejecisse. Prior sensus perabsurdus est; siquidem omnes norunt, Sabellium docuisse, Deum esse μονοπρόσωπον, et nullam realem personarum in divina essentia distinctionem, nedum divisionem agnovisse. Reliquum est igitur, ut altera verborum sententia omnino recipienda sit. Ac sane antiquissimos Sabellii progenitores, quorum hæresim refert et refellit Justinus M. in Dialog. cum Tryph. distinctionem personarum in Deo eodem argumento oppugnasse, infra [f], ubi de Justini doctrina agetur, manifestum faciemus. Imo constat, hæreticos, quotcunque Filii Dei in divina essentia distinctam subsistentiam negarunt, (sive Sabelliani, sive Samosateniani, sive demum Ariani illi fuerint,) omnes in eo ipso sophismate præcipuum causæ suæ statumen collocasse. Neque ullus dubito, quin Patres Nicæni huic pravo conceptui doctrinæ de Filii τῷ ὁμοουσίῳ occurrere voluerint, cum, postquam dixerant, " Filium de Patris substantia genitum esse," mox ad-
34 dunt, " Deum de Deo, lumen de lumine." Nam his verbis significant, Filium Dei ita genitum esse ex Deo Patre Deum de Deo, quemadmodum lumen ex

[f] Vide hujus Sectionis 4. 4.

lumine altero accenditur: non per divisionem aut diminutionem essentiæ paternæ, sed per simplicem communicationem, qualis est (si a rebus corporeis tanti mysterii similitudo aliqua peti potest) communicatio luminis ab altero lumine, sine ulla ejus sive divisione sive diminutione.

13. Itaque omnibus accurate expensis, commodissimam hujus ἐναντιοφανείας inter synodos Antiochenam et Nicænam conciliandæ rationem hanc esse omnino arbitramur. Catholici ante Paulum Samosatenum et synodum Antiochiæ contra ipsum congregatam, de Patris et Filii divinitate disserentes, dicere solebant, Filium esse Patri ὁμοούσιον· quod ex testimoniis veterum, synodo Antiochena anteriorum, supra a nobis allatis, abunde constat. Paulus vero ille, dum receptum dogma, de Filii divinitate, omnibus modis studuit evertere, sophismate usus est, a male intellecta vocis *homoousii* significatione ducto, hunc in modum: Si Filius sit Patri suo consubstantialis, ut vos (catholici) dicitis, consequens erit, divinam substantiam in duas partes quasi dissectam esse, quarum altera Patrem, altera Filium constituat; adeoque divinam aliquam substantiam extitisse, Patre et Filio anteriorem, quæ in duos istos postea distributa fuerit. Hanc vocis explicationem merito abominati sunt PP. Antiocheni, adeoque (de vocibus in controversia tanti momenti non multum solliciti) contenti fuerunt, ut hæretici cavillis ansam præscinderent, ipsum vocabulum silentio supprimere, modo de re, hoc est, de vera Filii divinitate, constaret. Cum vero postea Ariani rem ipsam, quæ voce ista revera significatur, nempe veram Filii divinitatem, negarent, suæque hæresi Antiochenorum definitionem (ut verisimile est) obtenderent, merito epi-

scopi Nicæni vocabulum aptissimum, quod a SS. Patribus Antiochena synodo superioribus receptum atque approbatum, ac tantum propter absurda impii Samosateni cavilla catholicis ereptum fuisse norant, iterum quasi postliminio revocarunt, suoque symbolo inseruerunt: addita in ipso symbolo ea vocis explicatione, quam nemo nisi hæreticus poterat rejicere. Hæc in excusationem venerandorum Patrum, Nicææ congregatorum, de eo quod *homoousii* vocem symbolo suo addiderint, apud æquos arbitros sufficient. Quibus addit Athanasius in loco superius allato, idque verissime, necessitate quadam eo adactos fuisse viros sanctissimos, ut vocabulum illud (licet in Scripturis nusquam usurpatum, adeoque a quibusdam antecessorum suorum levioribus de causis rejectum) in Confessione sua ponerent: scilicet propter Arianorum pene incredibilem et bonis omnibus plane detestandam τὴν πανουργίαν, sive (ut alibi loquitur idem Athanasius) τὴν κακουργίαν καὶ τὴν τῆς ἀσεβείας κακοτεχνίαν. Quippe egregii illi simulandi dissimulandique artifices nullam plane loquendi formulam, quam sive ex Scripturis sive ex traditione desumtam usurparant catholici, repudiarunt, præter hoc unum *homoousii* vocabulum: quippe cujus vocis ἀκρίβεια et exquisita ratio omnem ἀμφιβολίας aditum ipsis præcluderet. Rogati, An agnoscerent Filium ex ipso Patre genitum esse? annuebant, intelligentes nimirum Filium ita ex Deo esse, quomodo omnes creaturæ ex Deo sunt, hoc est, ab ipso existendi initium habent; An Deum faterentur Dei Filium, cum ab ipsis catholici sciscitarentur, illico respondebant, Omnino. Quin et Filium Dei ἀληθινὸν Θεὸν, *verum Deum*, ultro prædicabant; quo demum sensu? scilicet γενόμενος ἀληθινὸς, ἀληθινός ἐστιν. i. e.

Verus est Deus, qui vere factus est Deus. Denique cum a catholicis de eo arguerentur, quod Filium Dei creaturam diceret, accusationem non sine indignatione aliqua respuebant; hoc nimirum sensu sibi ipsis reservato, creaturam non esse Dei Filium, sicut cæteræ creaturæ, quæ mediate a Deo διὰ τοῦ λόγου, non immediate, sicut ipse λόγος, conditæ fuerunt. Solam homoousii vocem cum sua hæresi conciliare nullo modo potuerunt. Vide omnino, quæ hac de re scripsit Athanasius in Epistola ad Africanos episcopos, recitata a Theodorito Eccl. Hist. I. 8; ubi illud imprimis observandum, testari Athanasium, in animo habuisse Patres Nicænos suam fidei Confessionem ex solis Scripturæ sententiis construere; idque effecturos fuisse, nisi ab hoc instituto abstraxisset ipsos, quam perspectam habuerant, Arianorum in pervertendis ac detorquendis sacrorum oraculorum verbis impia atque abominanda vafrities. Quod autem dixit Athanasius, *homoousion* unum esse vocabulum, quod Ariani nullo fuco depravare potuerunt, egregie confirmat Ambrosius[g] lib. *de Filii Divinitate* cap. 4. his verbis: "Denique et nunc "possent ὁμοούσιον, sicut et cætera, verbo tenus no- "minare, si haberent quomodo illud ad aliam intel- "ligentiam scævo sensu perverterent. Sed cum vi- "derent, se in hoc verbo concludi, nullam omnino "hujus mentionem fieri voluerunt." Ac sane Athanasii illam atque Ambrosii observationem verissimam 35
esse, Confessiones Arianorum variæ ac multiplices, (ab eodem Athanasio in libro de Synod. Arim. et Seleuc. ab Hilario de Synod. contr. Arian. atque ab aliis commemoratæ,) abunde testantur: utpote in

[g] [Hoc opus critici non pauci Ambrosio abjudicant. Vol. II. Append. p. 351.]

quibus, cum cætera fere omnia catholicorum de Filio Dei præconia reperiantur, vox tamen *homoousii* constanter omittitur. Itaque quod Ariomanitæ tanto furore in *homoousii* vocem exarserint, in eo idem fecisse mihi videntur, quod rabidi solent canes, qui ad ferrea vincula, quibus constricti tenentur, hirriunt, eademque dentibus confringere frustra adnituntur.

14. Cæterum nullo modo audiendus est Stephanus Curcellæus [h], qui affirmare non erubuit, quod episcopi Nicæni "vocem ὁμοούσιον tanquam tesseram "ὀρθοδοξίας symbolo fidei inseruerint, quam Antio-"cheni inde ut hæreticam sexaginta annis ante eli-"minarant, per imprudentiam accidisse, quia Nicææ "congregati episcopi nihil de Antiochenorum de-"creto audiverant; et cum postea ad ipsorum no-"titiam synodo dissoluta pervenisset, non fuisse am-"plius integrum mutare." Cui enim mentis sanæ, et quem spiritus vertiginis non agitavit, (ut ipsius Curcellæi utar verbis,) verisimile videbitur, e trecentis et octodecim episcopis, quorum nonnulli erant (ut supra ex Eusebio audivimus) insigniter docti, nonnulli etiam ob provectam ætatem venerabiles, neminem fuisse, qui sciret, quid in synodo celeberrima et recentis memoriæ decretum fuisset? Ut vero in gratiam Curcellæi daremus, cæteros omnes præsules ecclesiasticæ historiæ adeo imperitos fuisse, certe Eusebius Cæsariensis, utpote vir rerum ecclesiasticarum extra controversiam peritissimus, id ignorare nequaquam potuit. Quid? quod Athanasius, qui synodo Nicænæ, ut dictum est, ipse interfuit, diserte testatur, in loco supra allato, Patres

[h] Quatern. Dissertat. Dissert. I. p. 138. [§. 71. p. 852. Op. ed. 1675.]

Nicææ congregatos omnino intellexisse τὴν πανουργίαν τοῦ Παύλου, *calliditatem Pauli*, nempe Samosateni; in eo scilicet quod sophistice sua apud Antiochenos id effecerit, ut vocem aptissimam, atque a catholicis doctoribus olim usurpatam, abjicerent; ideoque vocem istam iterum in usum ecclesiæ revocasse; quibus nihil contra figmentum Curcellæi disertius dici potuit.

15. Porro priusquam de voce *homoousii* disserendi finem faciamus, Sandio rursus paucis occurrendum; qui in libro primo[i] suæ enucleatæ Historiæ Ecclesiasticæ asseverat, ὁμοούσιον vocabulum primo ab hæreticis fuisse fabricatum, scilicet a Valentinianis cæterisque Gnosticis; a quibus postea vocem acceperint Montanus, Theodotus, Sabellius, Paulus Samosatenus et Manichæi; hocque testari Irenæum, Clementem Alexandrinum et alios. Interrogo ipsum, quid sibi velit, cum ait, vocem *homoousii* a Valentinianis cæterisque Gnosticis primo fuisse fabricatam. An hoc vult, Gnosticos primum Græcum illud vocabulum excogitasse, atque in usum traduxisse? credo non ita prorsus desipuisse hominem. Certe eadem voce usi sunt Græci scriptores ethnici, ut supra ostensum est. Nunquid voluit, Gnosticos vocem istam de suis quibusdam Æonibus usurpasse? fatemur; atque id solum testantur Irenæus aliique scriptores catholici[k]. Sed quid tum? Certe iidem Gnostici voces λόγου, σωτῆρος, παρακλήτου, aliasque complures, quas de divinis personis usurparunt catholici, ad suos etiam Æones transtulerunt. Nunquid vero ideo dicendum, voces istas a Gnosticis primum fabricatas fuisse? An propterea voces usu ecclesiastico eliminandæ? absit. Apposite Tertul-

[i] Pag. 122. [k] Vide supra, §. 2. [p. 70.]

lianus cont. Praxeam cap. 8.[1] "Non ideo" inquit, "non utitur et veritas vocabulo, quia et hæresis po-"tius ex veritate accepit, quod ad mendacium suum "strueret." Demum, hoccine voluit, Gnosticos primum docuisse, τὸν λόγον sive Filium Dei Deo Patri esse ὁμοούσιον; imo certe aut hoc se in loco citato voluisse, aut ἀπροσδιονύσως omnino disseruisse, fateatur necesse est. Jam hoc falsissimum est, neque Irenæus aut quisquam veterum id testatur. Imo contra certissimum est, Gnosticos, nempe Cerinthianos, Valentinianos, &c. τοῦ λόγου, hoc est, Verbi, sive Filii Dei τὸ ὁμοούσιον omnino negasse; proptereaque a catholicis, qui contra ipsos scripsere, hæresis condemnatos fuisse. Scilicet isti tam longe a summi Dei omnium parentis essentia τὸν λόγον separabant, ut Æon ille primum illum suum parentem prorsus nesciret; id quod ex Irenæo, Tertulliano et aliis discimus. Sic et Verbi τὸ συναΐδιον iidem negarunt, affirmantes, silentium præcessisse λόγον, ac proinde fuisse tempus, quando λόγος omnino non existeret; et inde quoque ab antiquissimis ecclesiæ doctoribus catholicis vehementer oppugnabantur. Verbo, hæresis, quæ postea dicta est Ariana, Gnosticos fuisse primos auctores parentesque, infra[m] evidentissime demonstrabimus. De Sabellio et Paulo Samosateno jam dixi quæ sufficiant. Ad Montanum quod attinet, quo argumento probabit Sandius, ipsum in articulo de SS. Trinitate hæreticum fuisse? Scilicet Socrates I. 23. et Sozomenus II. 18. Montanum cum Sabellio conjungunt, tanquam in dogmate de SS. Trinitate consentientes. Sed audiamus, quid ad Socratis locum adnotavit præstan-

[1] [Pag. 504.]

[m] Vide III. 1. §. 15, 16.

tissimus Valesius[n]; "Obscurum est," inquit, "cur "Socrates Montanum jungat Sabellio. Nam Mon- 36
"tanus in doctrina Trinitatis ipse quidem nihil "innovavit, sed ecclesiæ catholicæ fidem secutus "est, ut testatur Epiphanius in hæresi Montanista- "rum, et Theodoritus in libro tertio hæreticarum "fabularum. Quidam tamen ex illius discipulis "personarum differentiam cum Sabellio sustulerunt, "ut diserte scribit Theodoritus in loco supra citato; "Τινὲς δὲ αὐτῶν τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τῆς θεότητος Σαβελ- "λίῳ παραπλησίως ἠρνήσαντο, τὸν αὐτὸν εἶναι λέγοντες καὶ πα- "τέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα. i. e. Quidam autem ex "ipsis, juxta cum Sabellio, tres Divinitatis personas "negarunt, eundem esse dicentes et Patrem, et "Filium, et Spiritum Sanctum." Quibus a Valesio observatis et illud adjiciam, Tertullianum in libro adversus Praxeam, (quem constat ab ipso jam Montanista scriptum fuisse,) hæresim, quam amplexus est Sabellius, acerrime impugnasse; scilicet idem plane sensit Praxeas, quod postea Sabellius. Certo itaque certius est, neque ipsum Montanum, neque primos Montani asseclas, Sabellio in Trinitatis dogmate consentaneos fuisse. Hæc si intellexisset Sandius, multos suos errores in lib. I. Enucl. Hist. Eccles. ubi de Montano ejusque hæresi agit, facile correxisset. Quid vero sibi vult Sandius, cum Theodotum inter homoousii defensores recenset? Nunquid Theodotum Coriarium, qui Victoris papæ tempore Christum docuit ψιλὸν esse ἄνθρωπον, intelligit? sed quis veterum, imo quis mortalium, ante Sandium, tradidit, Theodotum illum de Filii τῷ ὁμοουσίῳ quicquam somniasse? Denique ad Manichæos quod

[n] Annot. ad Socrat. p. 14. [p. 57.]

attinet, refert quidem Augustinus (citante Sandio mox, ubi de Manichæis agit) ipsos confessos esse, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum haud disparis esse naturæ. Esto; quid tum? citius ex pumice aquam eliciat Sandius, quam ex his quicquam extundat, quod ad propositum suum faciat. Interim in Manichæis haud magnopere laudandum videtur, quod tres Divinitatis personas non disparis esse naturæ confessi sint; qui (ipso Sandio referente) etiam angelos et animas humanas ex Dei substantia extitisse existimarint. Ac de ὁμοουσίου voce hactenus; nunc rem ipsam aggrediamur.

16. Filium Dei, Deo Patri dicto sensu ὁμοούσιον, hoc est, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ et incommutabilis, proinde verum Deum esse, catholicorum doctorum, qui tribus primis sæculis floruerunt, concordem constantemque fuisse sententiam affirmamus. Hanc autem doctrinam multifariam tradunt veteres illi. 1. Τὸ ὁμοούσιον docent, quoties Filium Dei non modo a Patre, sed ex ipso prolatum ac genitum esse affirmant. Nam axioma illud certissimum est, Τὸ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν, Θεός ἐστι[o], *Quod ex Deo genitum est, Deus est.* 2. Idem docent, quoties Filium, Dei Patris verum, genuinum, proprium et naturalem Filium prædicant. 3. Hoc ipsum declarant similibus, quibus soliti sunt generationem Filii utcunque illustrare. Dicunt Filium ex Patre generari, sicut ex radice frutex, ex fonte fluvius, e sole radius procedit. Radix autem et frutex, fons et fluvius, lux quæ in corpore solis et quæ in radio est, ejusdem plane sunt naturæ; sic ejusdem omnino substantiæ Pater et Filius. Nul-

[o] [Irenæi. I. 8. 5. p. 41.]

lum autem simile reperias, quo magis delectantur Patres, quam illo luminis ex lumine, veluti cum ex igne ignis accenditur, vel ex sole radius porrigitur. Hinc Nicæni antistites illud φῶς ἐκ φωτὸς, *lumen de lumine*, ad elucidandum τὸ ὁμοούσιον symbolo suo inseruerunt. 4. *Homoousion* apertissime confirmant, quoties (quod faciunt omnes) Filium Dei eximunt e creaturarum numero, ipsumque creaturam esse diserte negant. Nam inter Deum et creaturam nihil est medium. 5. Idem dicunt, quoties ea Filio Dei tribuunt, quæ solius veri Dei propria sunt. 6. Denique id ipsum docent, quotiescunque Filium Dei non modo Deum, sed et verum Deum, natura Deum, unum cum Patre Deum ῥητῶς pronuntiant. Hæc τῷ ὁμοουσίῳ argumenta apud plerosque Patres omnia occurrunt: in omnibus vero, horum pleraque reperiuntur. Sed jam ipsos Patres audiamus.

CAP. II. 37

Doctrina auctoris Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ, sive Pastoris, Ignatii Martyris, de vera Filii Divinitate, explicatur.

1. A SCRIPTORIBUS apostolicis initium faciam. Auctor Epistolæ, quæ Barnabæ inscribitur, in locis supra[p] a nobis citatis, ad probandum Filii præexistentiam, etiam ejusdem veram divinitatem egregie declarat. Nam ibi Filium Dei appellat *orbis terrarum Dominum*, idque antecedenter (ut loquuntur) ad œconomiam illam, quam nostræ salutis causa suscipere dignatus est. Ait etiam gloriam Jesu tantam esse, *ut per ipsum et propter ipsum sint*

[p] Vid. I. 2. 2. [p. 42.]

omnia; hoc est, ab ipso, ut causa efficiente, omnia fiant, et in ipsum, tanquam finem, omnia referantur: quæ certe de creatura sine blasphemia dici non possunt. Quibus addas illustrem locum in ejusdem Epistolæ cap. 6.[q] ubi docet Dominum, qui omnia præsciverit, ideo dixisse, se populo suo cor lapideum ablaturum, ipsisque cor novum et carneum inditurum, "Οτι ἔμελλεν ἐν σαρκὶ φανεροῦσθαι, καὶ ἐν ἡμῖν κατοικεῖν. ναὸς γὰρ ἅγιος, ἀδελφοί μου, τῷ Κυρίῳ τὸ κατοικητήριον ἡμῶν τῆς καρδίας. i. e. "Quoniam ipse in carne appa-"riturus esset, et in nobis habitaturus. Templum "enim sanctum est Domino, fratres mei, cordis nos-"tri domicilium." Ubi de Domino, qui in carne sive natura humana se manifestavit, hoc est, de Filio Dei diserte loquitur; eumque Dominum in cordibus sanctorum, tanquam in templis Deo consecratis, habitare docet. Quæ verba tam clare exprimunt divinam Filii majestatem atque omnipræsentiam, ut nostra explicatione non indigeant. Et plura alia ejus generis in eadem Epistola passim legas.

2. Hermas, cujus scriptoris antiquitatem et auctoritatem supra[r] abunde adstruximus, eandem doctrinam luculentissime tradit. Nam præterquam quod in similitudine nona doceat (ut supra ostensum est) Filium Dei ante omnem creaturam extitisse, Patrique suo adfuisse, idque ut σύμβουλον, *consiliarium,* in rerum omnium creatione; (quæ apud sanos omnes sufficiunt ad declarandum veram Filii Divinitatem; nam quis Dei consiliarium Deum esse non existimaverit?) etiam in eadem similitudine paulo post[s], sustentationem totius orbis, omniumque quæ in orbe sunt creaturarum, (opus vere divinum,) et

[q] Pag. 222. [p. 19.]

[r] I. 2, 3. [p. 43.]

[s] [§. 14. p. 119.]

immensitatem (quæ itidem soli vero Deo competit) Filio Dei expresse tribuit. Verba sunt: "Nomen "Filii Dei magnum et immensum est, et totus ab eo "sustentatur orbis." Et mox: "Omnis Dei crea-"tura per Filium ejus sustentatur;" ubi etiam Filium Dei ab omni Dei creatura apertissime distinguit. Idem Hermas diserte negat, Filium Dei in servi loco sive conditione poni. Testimonium extat in lib. III. Simil. 5.[t] ubi interroganti Hermæ, "Quare "Filius Dei in similitudine hac servili loco poni-"tur?" respondet Pastor: "In servili conditione "non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate et "imperio." Jam *in servi conditione poni*, et *creaturam esse*, *ἰσοδυναμοῦντα* sunt: siquidem omnis creatura servi relationem habet ad Deum, supremum omnium Dominum. Recte enim auctor libri, qui *ἔκθεσις πίστεως* inscribitur, Justino tributi[u]: *Εἴ τι γάρ ἐστιν ἐν τοῖς οὖσιν, ἢ ἄκτιστος φύσις ἐστὶν, ἢ κτιστή. ἀλλ' ἡ μὲν ἄκτιστος, δεσποτικὴ καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλευθέρα· ἡ δὲ, δουλικὴ καὶ νόμοις δεσποτικοῖς ἑπομένη. καὶ ἡ μὲν κατ' ἐξουσίαν ἃ ἂν βούλεται, καὶ ποιοῦσα, καὶ δυναμένη· ἡ δὲ τὴν διακονίαν μόνην, ἣν παρ' αὐτῆς τῆς Θεότητος εἴληφε, καὶ δυναμένη, καὶ ποιοῦσα.* i. e. "Quicquid enim in rebus extat; "aut creata est natura, aut increata. Ac increata "quidem dominatrix est, libereque extra necessita-"tem omnem posita; creata autem servituti ob-"noxia, et legibus herilibus obsequens. Et illa qui-"dem, pro potestate sua, quæ vult, et facit et pot-"est; hæc vero duntaxat acceptum a Deo ipso mi-"nisterium et obit et obire potest." Unde et ipse divinus apostolus in Epistola ad Philippenses ii. 6, 7. (qui unus locus, si recte expendatur, ad omnes hæreses adversus Jesu Christi Domini nostri personam 38

[t] [§. 5. p. 107.]

[u] Pag. 374. [§. 4. p. 422.]

repellendas sufficit,) μορφὴν δούλου, *servi formam*, opponit μορφῇ Θεοῦ, *formæ Dei*: per formam servi omnino intelligens (non sortem illam miseram, quam pro salute nostra Dominus sustinuit, dum flagris cæderetur, conspueretur, ac denique cruci affigeretur; quippe illa, ut ulterior humiliationis gradus, postea in eodem loco distincte exprimitur; sed) ipsam hominis naturam, in cujus similitudine verbis ἀμέσως sequentibus, ἐξηγητικῶς manifeste additis, Christus factus esse dicitur; nimirum quod omnis homo, qualiscunque sit, adeoque creatura omnis, Deo collata, servi omnino rationem habeat.

3. Hunc Hermæ illustrem locum adduxit ipse Petavius, ad veram Christi divinitatem confirmandum; sed auctor Irenici Irenicorum Jesuitam propterea sublestæ fidei postulat. Sic enim ipsum affatur[x]: "Atqui hic addere debuisses, Petavi, si non "fallere alios, sed docere voluisses, de qua potestate, "de quo imperio Pastor fuerit locutus; nimirum "non de æquali cum Patre potestate et dominio, "sed de tradita ei post mortem a Patre potestate "dominioque super populum suum, sibi itidem a "Patre datum, et cui Christus ipse doctores præfe"cerit; quo nomine Christum non ut servum, sed "ut Dominum populi sui esse introducique ait." Sed crimen hic, anonyme, in caput tuum recidit; nisi enim tu fallere alios potius quam docere voluisses, ea hic addere, quæ cum verbis a te productis necessario cohærent, adeoque integrum Hermæ textum lectori tuo exhibere debuisses. Res sic habet: In similitudine ista quinta Christum Servatorem nostrum repræsentaverat Pastor sub duplici σχέσει, ut *Filium Dei*, et ut *Dei servum*. Sic enim

[x] Irenic. Iren. p. 20.

ipse parabolam de Filio et servo diserte explicat: "Filius autem," inquit, "Spiritus sanctus est: ser-"vus vero ille Filius Dei." Nimirum idem est Filius Dei, quem Spiritum Sanctum dicit, et Filius Dei, quem ut servum in similitudine exhibuerat. Per utrumque Servatorem nostrum omnino intelligit, quem et Filium Dei et servum nuncupat; sed alia atque alia ratione. Filium Dei Christum vocat propter Spiritum illum sanctum, hoc est, *τὴν θείαν φύσιν*, seu *τὸν λόγον*, (ut supra[y] a nobis observatum est,) qui Christo homini arctissimo atque ineffabili connexu in unam personam adunitus est. Eundem vero Christum ut servum Dei introducit, respectu habito ad corpus illud, (uti Pastor mox loquitur,) seu naturam humanam, quam Filius ille Dei induit, quaque *μορφὴν δούλου* revera assumpsit. Neque novum est Pastori nostro, ob duplicem Christi naturam, duplicem etiam ipsi *σχέσιν* in eadem similitudine tribuere. Nam et in similitudine nona Christum exhibuerat sub imagine tum petræ veteris, quatenus Dei Filius est, ante omnem creaturam una cum Patre existens; tum portæ novæ, quatenus idem homo factus in novissimis diebus apparuit; quemadmodum supra etiam ostendimus. Hæc autem cum Hermas nondum intelligeret, neque capere potuisset, qua ratione, qui Filius Dei est, idem et Dei servus sit, Pastorem suum interrogat, "Quare Filius Dei "in similitudine hac servili loco ponitur?" Huic quæstioni respondet quidem Pastor ea quæ auctor Irenici modo allegavit, de Christo data a Patre omni potestate, &c. Sed hæc integrum Pastoris responsum non absolvunt; siquidem et alia ab eo mox subjiciuntur, quæ propositæ quæstionis pleniorem et

[y] Vid. I. 2. 5. [p. 52.]

magis distinctam solutionem continent, quæque anonymi voto ac sententiæ haud ita conveniunt. Nimirum distinguit rursus Pastor inter Spiritum Sanctum seu τὴν θείαν in Christo φύσιν, et Christi corpus seu naturam humanam; ac servilem conditionem, in qua Filium Dei in similitudine posuerat, ad carnem seu naturam istam humanam duntaxat referendam esse disertis verbis docet. Postquam enim de Spiritu illo locutus fuerat, "qui infusus est omnium "primus in corpore, in quo habitaret Deus," mox hæc verba subjungit: "Hoc ergo corpus, in quod "inductus est Spiritus Sanctus, servivit illi Spiritui, "recte in modestia ambulans et caste, neque om-"nino maculavit Spiritum illum. Cum igitur cor-"pus illud paruisset omni tempore Spiritui Sancto, "recte atque caste laborasset cum eo, nec succu-"buisset in omni tempore, fatigatum corpus illud "serviliter conversatum est, sed fortiter cum Spi-"ritu Sancto comprobatum, Deo receptum est[z]." In quibus verbis liquido liquet, Pastorem loqui de corpore, seu natura Christi humana, deque eo tantum corpore affirmare, quod serviliter conversatum fuerit; quodque post ac propter peractam in terris servitutem istam, cum Spiritu Sancto, seu τῷ λόγῳ, in quo subsisteret, comprobatum, Deo fuerit receptum, hoc est, ad dextram divinæ Majestatis evectum in excelsissimis. Hinc Pastor Christi hominis exaltationem adumbraverat in similitudine per servum,
39 quem Dominus fundi, hoc est, Deus Pater, propter opus bonum, quod præstiterat, *Filio suo cohæredem* voluit facere. Nempe per *servum* intelligit corpus,

[z] Alludere videtur ad verba Pauli, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι· et ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, 1 Tim. iii. 16. Vide similem Justini locum notatum III. 2. 2.

seu humanam Christi naturam; per *Filium* vero τὴν θείαν in Christo φύσιν, uti lectorem jam plus semel monuimus. Tunc igitur servus Filio cohæres factus est, cum corpus seu humana Christi natura, post resurrectionem ad dextras Dei collocata, ejusdem gloriæ atque honoris, pro captu suo, socia fuerit particepsque facta, quem Filius Dei, sive ὁ λόγος, etiam ante hunc mundum conditum, apud Patrem suum possideret. Idem voluit auctor Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ procul dubio σύγχρονος, cum capite xi. verba Christi per prophetam, quæ citat, *Jacob laudabilis super omnem terram*, pro more suo sic interpretatur [a]; Τοῦτο λέγει τὸ σκεῦος τοῦ Πνεύματος αὐτοῦ ὃ δοξάζει, "Hoc loquitur de vase Spi-"ritus sui," (id est, divinitatis suæ,) "quod glorifica-"turus esset." Genuinam me hic Pastoris sententiam exhibuisse facile perspiciet, quisquis similitudinem illam quintam cum cura aliqua legerit. Ex his vero omnibus tandem manifestissimum est, docuisse Pastorem, Filium Dei, qua Dei Filius et Deus est, servi rationem, etiam respectu Dei Patris, neutiquam habere, neque habuisse unquam, neque aliter servum Dei aliquando fuisse, quam propter incarnationis dispensationem, quam ultro suscepit; quod erat demonstrandum. Sane autem hic verba, quibus Petavium irridet auctor Irenici [b], merito ipsi possum reponere: "Hæc et ejusmodi alia auctor "noster de Filio prodit, *anonyme*, quæ longe alia "sunt, quam tu nobis fingis."

4. Pudet pigetque referre, quæ contra hæc tam clara ac diserta Hermæ, pro catholica doctrina, testimonia protulerunt pro sua hæresi auctor Irenici et

[a] Pag. 235. [p. 38.]

[b] Iren. Irenic. p. 21.

Sandius: sed, ne tergiversari videamur, proferemus tamen. Objiciunt primo utrique [c] verba Pastoris in lib. II. (qui proprie Pastor inscribitur) Mand. 1.[d] "Crede quoniam unus est Deus, qui omnia consti- "tuit et fecit, ut essent omnia, omnium capax, et "qui a nemine capitur." Sed ex his verbis quid elicituri sint sophistæ quod ad rem suam faciat, ego sane ne divinando quidem possum assequi: nisi vero existiment, fieri non posse, ut quis unum Deum credat, qui Trinitatem personarum ὁμοουσίων agnoscit. Verum hoc si sentiunt, multum falsi sunt; siquidem hodie credunt utrumque catholici omnes. Idem quoque primæva ecclesia catholica professa est in sua regula fidei, teste Tertulliano sub initium libri adversus Prax. ubi hæc habet verba [e]; "Nos unicum "quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensa- "tione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici Dei sit et "Filius, Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, &c." Et paulo post: "Unus est omnia, dum ex uno om- "nia, per substantiæ scilicet unitatem: et nihilomi- "nus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quæ uni- "tatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Pa- "trem, Filium, et Spiritum Sanctum." Sed nimirum videntur Irenici auctor et Sandius sensisse cum *imprudentibus illis atque idiotis*, quos ibidem mox notat Tertullianus, qui, "quoniam et ipsa regula fidei "a pluribus Diis sæculi ad unicum et verum Deum "transfert, non intelligentes unicum quidem, sed

[c] Irenic. p. 19. Sand. Enuc. Hist. Eccl. p. 55.

[d] [Pag. 85. Græca sunt, πρῶτον πάντων πίστευσον ὅτι εἷς ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας καὶ ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. Irenæum sequitur Bullus qui Hermæ verba citat IV. 20, 2. p. 253.]

[e] [2. p. 501.]

" cum sua ἀνωμαλίᾳ esse credendum, expavescunt ad " ἀνωμαλίαν. Numerum et dispositionem Trinitatis " divisionem praesumunt unitatis: quando unitas ex " semetipsa derivans Trinitatem non destruatur ab " illa, sed administretur." Quicquid autem senserint hesterni isti dogmatistae, certe liquido constat, Hermam nostrum, apostolicae aetatis scriptorem, sacrosanctam illam ἀνωμαλίαν non ignorasse. Scilicet Pastor ita unum Deum credidit, credique ab aliis docuit, ut interim agnoverit, Patri universorum suum esse Filium, qui cum ipso ante creaturas omnes extiterit; quique in conditione rerum ipsi, tanquam σύμβουλος et συνεργὸς adfuerit; qui juxta cum Patre suo immensus sit, ac verbo suo omnipotenti universum sustentet orbem; qui denique per se et natura sua neutiquam servi relationem ad Deum Patrem habeat: quemadmodum ex ipsius Hermae verbis supra allatis manifestum fit.

5. Mira vero sunt, quae praeterea ex Herma profert adversus catholicos Irenici auctor[f]: " Quid," inquit, " quod ex ejus (Hermae) similitudine quinta " manifeste appareat, Filium Dei ab ipso aut pro " homine tantum fuisse agnitum, aut ad minimum " Patre, imo et Spiritu Sancto, multo minorem fu- " isse creditum? Citato enim loco Filium non tan- " tum ut servum Patris introducit, sed etiam ut ser- " vum Spiritus Sancti, eique obedientem. Ait enim: " *Et propterea corpus Christi, seu Filii Dei, cui* " *infusus erat Spiritus Sanctus, huic Spiritui ser-* " *vivit*, &c." Ubi ad haeretici stuporem pene ipse obstupeo. Nam primo, si daremus ipsi, per Spiritum Sanctum in isto Hermae loco tertiam divinitatis personam debere omnino intelligi, quid inde miser

[f] Irenic. p. 21.

iste in impiæ ac desperatæ causæ patrocinium lucraturus sit? ne hilum certe. Quisquamne enim adeo
40 cæcus est, ut non statim videat, Hermam ibi de corpore tantum seu humana Christi natura diserte loqui? hæc autem, creatura cum sit, Spiritui Sancto, qui Deus est, si inserviisse dicatur, quid mirum? Verum, secundo, jam fuse adeoque clarissime ostendi, Hermam ibi nomine Spiritus Sancti intellexisse τὸν λόγον, seu τὴν θείαν in Christo φύσιν, quæ Filius Dei maxime proprie vocatur. Hoc ex parabolæ totius serie adeo apertum est, ut mirum sit ipsum Petavium illud non vidisse. Fefellit, puto, virum doctissimum, quod Hermas mox ibidem Spiritum Sanctum etiam in nostris corporibus habitare dicat. Sed ibi, vel dicendum, Pastorem ad aliam Spiritus Sancti acceptionem subito transiisse; vel intelligendum id (quod potius crediderim) quo sensu quivis vere Christianus totius augustissimæ Τριάδος sacrum quoddam domicilium ac templum dicitur. Certe ὁ λόγος, qui ἄκρᾳ καὶ ἀνυπερβλήτῳ κοινωνίᾳ (sic hypostaticam unionem alicubi[g] exprimit Origenes) Christo homini adhæret, ut vi sua ac potentia ubique est, ita peculiari quodam præsentiæ modo in cordibus piorum sedem sibi figit atque habitaculum[h]. Hinc Ignatius in Epistola ad Ephesios[i], de Filio Dei loquens, sanctos hortatur ad hunc modum: Πάντα οὖν ποιῶμεν ὡς αὐτοῦ ἐν ἡμῖν κατοικοῦντος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοὶ, καὶ αὐτὸς ᾖ ἐν ἡμῖν Θεὸς ἡμῶν. Et supra dixit Barnabas cor nostrum κατοικητήριον et ναὸν Filii Dei. Sic et Justinus Martyr ait[k], Deum Patrem τὸν λόγον τὸν

[g] [c. Celsum, VI. 48. p. 670.]

[h] Vide Apocal. iii. 20. et Joan. xiv. 23. (Adde Ephes. iii. 17. GRABE.)

[i] [§. 15. p. 15.] [k] Epist. ad Diognet. p. 498. [§. 7. p. 237.]

ἄγιον καὶ ἀνερμήνευτον, cœlitus ad homines missum, ἐγκατοικίζειν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Ac sane vel hinc constat, omnino credidisse antiquissimos illos ecclesiæ doctores, Filium Dei verum atque ipsissimum Deum esse.

De Herma autem desinam ulterius loqui, postquam de eo lectorem monuerim, quod ipse Petavius (iniquissimus alioquin, in hac saltem quæstione, Patrum censor) diserte fateatur[l], hunc Hermam "a "nullo" (scilicet veteri scriptore catholico) "hæresis, "falsive, maxime de Trinitate, dogmatis insimula-"tum fuisse:" quod sane verissimum est et observatu dignum. Quod autem nuperus et nugacissimus scriptor Sandius ipsi porro objicit, nempe quod docuerit, "Spiritum Sanctum, non cum vult homini "loqui, sed cum vult Deus," frivolum plane esse perspiciet, quisquis ipsa verba Hermæ, ea de re, lib. II. Mandat. 12.[m] expenderit. Videbit enim illud, *non cum vult*, ad hominem cui loquitur Spiritus Sanctus, non ad ipsum Spiritum Sanctum referri.

6. Post Hermam memorandus venit Ignatius. Qui in genuinis Epistolis, ab Isaaco Vossio editis[n], (quas solas, ut id semel lectorem moneam, in hoc opere nostro usurpabimus,) Filii Dei veram divinitatem passim ac verbis luculentissimis declarat. Epistolam ad Smyrnæos his verbis orditur[o]: Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν, τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα. i. e. "Glorifico Jesum Christum Deum, qui sic vos sa-

[l] Præf. in tom. II. Dogm. Theol. c. 2. §. 6.

[m] [§. 1. p. 100. "Spiritus, qui desursum est, quietus est et hu-"milis—et nemini respondet interrogatus, nec singulis respon-"det: neque cum vult homini loquitur Spiritus Dei, sed tunc lo-"quitur cum vult Deus."]

[n] [Anno 1646.]

[o] Pag. 1. [p. 33.]

" pientes fecit." In salutatione Epistolæ ad Ephesios, ipsos prædestinatos et electos dicit[p] ἐν θελήματι τοῦ Πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *voluntate Patris et Jesu Christi Dei nostri.* In ipsa vero Epistola[q], Οὐδὲν λανθάνει τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγὺς αὐτῷ ἐστίν. πάντα οὖν ποιῶμεν ὡς αὐτοῦ ἐν ἡμῖν κατοικοῦντος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοὶ, καὶ αὐτὸς ᾖ ἐν ἡμῖν Θεὸς ἡμῶν· ὅπερ καὶ ἔστιν καὶ φανήσεται πρὸ προσώπου ἡμῶν, ἐξ ὧν δικαίως ἀγαπῶμεν αὐτόν. i. e. " Nihil latet Dominum, " sed et abscondita nostra prope ipsum sunt. Omnia " igitur faciamus, tanquam ipso in nobis habitante, " ut simus ipsius templa, et ipse in nobis Deus nos- " ter: quomodo et est, et apparebit ante faciem " nostram, ex quibus juste diligimus ipsum." Ubi de Christo loqui Ignatium, indubium est, non modo ex voce Κυρίου, qua Christum ubique designat, sed etiam ex toto sermonis contextu, de Jesu Servatore duntaxat agente. Idem in Epistola ad Romanos[r]: Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι πάθους τοῦ Θεοῦ μου, " Sinite " me imitatorem esse passionis Dei mei." Sed illustris inprimis est locus in Epistola ad Ephesios, ubi de Christo sic loquitur Ignatius[s]: Εἷς ἰατρός ἐστιν, σαρκικός τε καὶ πνευματικὸς, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, (pro quo Athanasius, Theodoretus, et Gelasius habent, ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, quod in idem recidit,) ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, (sic enim legendum, non ἐν ἀθανάτῳ, consentientibus Athanasio, Theodoreto, et Gelasio, et sensu omnino exigente,) καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ. i. e. " Unus est Medicus carnalis " et spiritualis, factus et non factus, in carne" (sive in homine) " Deus, in morte vita vera, et ex Maria " et ex Deo." Ubi merito γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, *factus*

[p] Pag. 16. [p. 11.]
[q] Pag. 26. [15. p. 15.]
[r] Pag. 60. [6. p. 29.]
[s] Pag. 21. [7. p. 13.]

et non factus, cum Gelasio interpretamur; siquidem sensus id efflagitat, et notissimum est, a Græcis voces γενητὸς et γεννητὸς promiscue usurpari; quanquam ecclesiastici fere scriptores catholici, præsertim qui post tertium sæculum vixerunt, easdem in quæstione de Filii divinitate accuratius distinxerint. Apud Theodoretum quidem Dial. I. legitur γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου· sed lectionem, quam sequimur, confirmant non modo codex Medicæus Græcus et Usserii versio vetus Latina, sed etiam Athanasius de synodis, et Gelasius de duabus naturis[t]: quin et ipsam omnino 41
postulat manifesta, quæ in loco continuatur, antithesis inter duplicem Christi naturam et utriusque attributa, *carnalis et spiritualis*, &c. quæ antithesis per Theodoreti lectionem abrumpitur. Omnino existimo, Theodoretum hic secutum esse exemplar a sciolo aliquo descriptum, qui cum ἀγέννητον necessario significare putaret *ingenitum*, hoc est, eum qui a nullo alio existendi principium habet, (quo sensu vox soli Deo Patri competit,) ausus est ἀγέννητος immutare in ἐξ ἀγεννήτου. Quam etiam ob causam hoc sententiæ Ignatianæ membrum, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, prorsus omittitur ab Ignatii interpolatore; utpote qui in Epistola ad Trallianos eos execratur, qui Filium Dei dicunt ἀγέννητον, (nempe quo sensu Dei Patris id proprium est, hoc est,) qui Patrem a Filio non distinguunt. Unde et huic Ignatii loco quædam de suo præmittit de Deo Patre, in quibus ipsum solum ἀγέννητον esse dicit. Hæc si intellexisset Sandius, nunquam se suumque lectorem de voce ἀγεννήτου a Pseudo-Ignatio damnata ita frustra defatigasset, quemadmodum facit in libro primo Enu-

[t] Ita quoque locum legit Tertullianus. Vide hujus sectionis cap. 7. §. 3.

cleatæ Historiæ Ecclesiasticæ, ubi de Ignatio agit [u]. Sic stabilita loci vera lectione, quis non videt his Ignatii verbis Arianæ blasphemiæ jugulum peti? quippe hic Christus non modo Deus agnoscitur vere immortalis in carne quondam mortali, sed et non factus, hoc est, increatus diserte dicitur. Ita mentem Ignatii optime expressit, simulque vocis *ἀγενήτου* sive *ἀγεννήτου*, prout ea a veteribus usurpata legitur, duplicem acceptionem accurate distinxit magnus Athanasius his verbis [x]: *Πεπείσμεθα ὅτι καὶ ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε, γενητὸν αὐτὸν λέγων διὰ τὴν σάρκα· ὁ γὰρ Χριστὸς σὰρξ ἐγένετο· ἀγένητον δὲ, ὅτι μὴ τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστιν, ἀλλ' υἱὸς ἐκ Πατρός. οὐκ ἀγνοοῦμεν δὲ, ὅτι καὶ οἱ εἰρηκότες ἓν τὸ ἀγένητον, τὸν Πατέρα λέγοντες, οὐχ ὡς γενητοῦ καὶ ποιήματος ὄντος τοῦ λόγου οὕτως ἔγραψαν, ἀλλ' ὅτι μὴ ἔχει τὸν αἴτιον, καὶ μᾶλλον αὐτὸς Πατὴρ μέν ἐστι τῆς σοφίας, τὰ δὲ γενητὰ πάντα ἐν σοφίᾳ πεποίηκε.* i. e. "Persuasum habemus et beatum Ignatium recte scripsisse, cum *factum* illum" (Dei Filium) "vocet propter carnem, siquidem Christus *caro factus est*; "*increatum* vero, quoniam non est ex operum et creaturarum numero, sed Filius ex Patre. Non autem ignoramus, eos etiam qui dixere, unum esse ingenitum, Patrem intelligentes, non eo animo ita scripsisse, quasi Verbum genitum" (hoc est, factum) "quiddam aut opus esse vellent; sed ideo, ut ostenderent Patrem sui auctorem non habere, quin et ipsum Patrem esse sapientiæ, et omnia genita" (hoc est, quæ facta sunt) "in sapientia fecisse [y]."

[u] Pag. 71.

[x] De Synod. Arim. et Seleuc. tom. I. p. 922. [vol. I. p. 761. §. 47.]

[y] [De *γενητὸς* et *γενητὸς* cf. Suicer in v. *ἀγένητος* et *γενητὸς*, Huet. Origen. II. Qu. 2. §. 23. Waterland. Op. vol. III. p. 239, 260.]

Ex Ignatio autem plura adducemus infra ad sectionem tertiam de Filii τῷ συναϊδίῳ.

7. Nunc cum Irenici auctore et Sandio paucis agendum. Locum illum Ignatii illustrem, a nobis citatum, etiam Petavius ex Theodoreto et Athanasio allegaverat, additis quibusdam aliis ex Theodoreto solo. Quid vero ad ista Irenici auctor[z]? audi, et miraberis hominis impudentiam; "Possint," inquit, "illa, quæ ex Theodoreto citat Petavius, quæque ei "maxime genuina esse videntur, de solo homine "Christo, per Spiritum Dei nato, intelligi." Itane vero? tum, inquam ego, potest quidlibet in quibuslibet verbis intelligi. Itaque ipse auctor Irenici, huic responsioni stare non ausus, aliam comminiscitur, desperatæ causæ convenientissimam; "Allegata," inquit, "Theodoreti loca demonstrare non "valent duplicis naturæ in Christo professionem ex "traditione Christi et apostolorum fuisse. Quidni "enim professio hæc, etiamsi tum quoque fuisse "poneretur, ex traditione Pseudo-Christi et pseudo-"apostoli alicujus, (quemadmodum nonnullæ aliæ "incommodæ, imo insulsæ, sive Ignatii sive alio-"rum antiquorum sententiæ, quas nec Petavius ipse "admittit,) non vero mox ex Christi et apostolorum "traditione, fuisse potuisset?" Quo teneas nodo hunc Proteum? quo argumento talem adversarium constringas? affirmat, Justinum fuisse sententiæ de divina Jesu Christi natura primum auctorem; nos contra demonstramus, Ignatium Justino antiquiorem, adeoque apostolorum σύγχρονον, in eadem fuisse sententia. Ignatii tum ille verba misere torquet; ac denique, cum suo huic interpretamento diffidat, eo tandem dementiæ pervenit, ut non vereatur

[z] Irenic. p. 27.

dicere, a vero neutiquam absimile esse, etiam ipsum Ignatium a pseudo-apostolo aliquo deceptum fuisse. Credo, si apostolum tandem aliquem ipsissimum testem citaremus, nihil quicquam nos apud ipsum effecturos; imo experientia jam comprobatum est, hujus sectæ homines scripta ipsa apostolica (quæ certe haud minus clare de Christi divinitate loquuntur, quam Patrum monumenta) susque deque habere, suisque interpretamentis, immane quantum a manifesto verborum sensu alienis, pervertere ac de-
42 pravare, et, eorum fidem atque auctoritatem ut eludant, nullam non artem atque operam adhibere. Si palam tandem suam infidelitatem profiterentur hæretici, atque aperte dicerent, doctrinam de Jesu Christi natura divina, ab apostolis atque ecclesiæ doctoribus universis traditam, sanæ rationi repugnare sibi videri, (sibi scilicet homuncionibus humi repentibus, qui neque vermiculi, cognati sui, naturam perfecte explicare, nedum Dei opt. max. essentiam infinitam ejusque ἀπορρροίας mentis suæ angustiis comprehendere valeant,) proptereaque se religionem totam Christianam (tot tantisque miraculis confirmatam, adeoque in iis, quæ captum nostrum haud excedunt, omnibus, præsertim quæ virtutem et bonos mores spectant, abunde se nobis nativa sua luce atque auctoritate approbantem) in dubium vocare, nescio an multo majorem impietatem, candorem certe atque ingenuitatem longe majorem ostenderent. Atqui, inquit Irenici auctor, nonnullas habuit Ignatius non modo incommodas, sed et insulsas plane opiniones, quas neque vos ipsi admittitis. Ubi vero istas tradit? inquam ego; profer locum, anonyme, ex genuinis Ignatii Epistolis, atque herbam illico porrigemus. Sane nemo ex adversariis, sylloges Poly-

carpianæ infensissimis, (neque Blondellus, neque Salmasius, neque Dallæus, neque Dallæi nuperus hyperaspistes anonymus,) quicquam hujusmodi ex illa sylloge hactenus protulit, quod viri doctissimi Usserius, Vossius, Hammondus, Pearsonus, immerito reprehensum fuisse non liquido ostenderunt. Præterea si daremus, Ignatium in minutioribus quibusdam a doctrina apostolica nonnihil deflexisse, ideone verisimile cuiquam videri possit, ipsum in articulo fidei Christianæ tanti momenti tam turpiter fuisse illusum? quisquamne est, qui vel suspicetur, Ignatium, qui una cum veris Jesu Christi apostolis tam familiariter versatus est, quemque apostolicæ fidei martyrem fuisse universa tradidit antiquitas, a pseudo-apostolo aliquo in primaria Christianismi doctrina deceptum fuisse?

——— Credat Judæus Apella,
Non ego———

8. Ad Sandium venio, qui in libro I. Enucleatæ Historiæ Ecclesiasticæ de Ignatio agens[a], testimonia, quæ ex Epistolis Ignatii genuinis pro catholica doctrina adduximus, prorsus dissimulat; ex interpolatis vero Ignatii Epistolis, nec non ex Epistolis ipsi falso adscriptis, haud pauca profert loca, quibus Arii blasphemias confirmare nititur. Crederes hominem Vossii et Usserii editiones Ignatii nunquam vidisse, nunquam legisse quæ et iidem viri doctissimi et Hammondus ac Pearsonus de Ignatii Epistolis scripsere. Et tamen ibidem Usserii, ut et alibi, nempe in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi itidem de Ignatio agit, et Vossii et Usserii editiones commemorat; neque dubitandum est, quin Hammondi quoque Dissertationes, adeoque Pearsoni Vindicias,

[a] Pag. 70.

(utpote an. 1672. hoc est, annis quatuor, antequam ipse Enucleatam suam Historiam Ecclesiasticam secundo edidisset, evulgatas,) etiam tum cognitas habuerit. Rem totam, in lectoris gratiam antiquitatis ecclesiasticæ minus periti, paucis et bona fide explicabo. Præter Epistolas sub Ignatii nomine Latine tantum extantes, quæ hodie omnium criticorum, tam pontificiorum quam nostrorum, consensu rejiciuntur, duodecim sunt Græcæ, quarum septem ab Eusebio memorantur, reliquæ quinque non item. Septem ab Eusebio [b] enumeratæ hæ sunt; 1 ad Ephesios, 2 ad Magnesios, 3 ad Trallianos, 4 ad Romanos, 5 ad Philadelphenses, 6 ad Smyrnenses, 7 ad Polycarpum Smyrnæ episcopum. Reliquæ quinque sunt, 1 ad Mariam Cassobolitam, 2 ad Tarsenses, 3 ad Antiochenos, 4 ad Heronem diaconum, 5 ad Philippenses. Porro septem Epistolarum Eusebio cognitarum duæ sunt generatim editiones Græcæ; altera, quæ olim extitit; altera, quæ ab Isaaco Vossio primum ex Medicæo codice adornata fuit. De quinque Epistolis Eusebio tacitis sic verissime scribit doctissimus Pearsonus [c]: " Recte posita videtur distinctio inter " septem Epistolas, quæ sunt ab Eusebio memo- " ratæ, reliquisque antiquissimis Patribus frequenter " laudatæ, et quinque alias, quæ non nisi post ali- " quot sæcula ab ullo Græco scriptore agnitæ sunt, " atque ideo jure vel in dubium vocantur, vel etiam " plane rejiciuntur; idque non tantum quia veri- " simile non est, eas Eusebium, si ejus ævo extitis- " sent, latere potuisse, aut ab eodem, si ipsi cognitæ " essent, præteriri; sed etiam quia vel ob modum " loquendi ab Eusebianis multum discrepantes ap-

[b] [III. 36.] [c] In Procemio ad Vind. Epist. S. Ignat. c. 4.

" parent, vel ob materiam, doctrinæ, institutis et " moribus posterioris ecclesiæ magis consonæ, et Ig- " natianis Eusebio memoratis sola imitatione, eaque " nimis affectata, similes." Quod autem scribit Sandius [d], " stylum quinque Epistolarum," Eusebio incognitarum, " cum prioribus indubitatis adeo con- " venire, ut absurdum sit de illarum auctore Ig- " natio dubitare," id temere ab ipso, pro more scilicet suo, pronuntiatum fuit. Quippe si per indubitatas Epistolas priores intelligit septem Epistolas Eusebio memoratas, quales ante Vossii editionem vulgatæ fuere, verum quidem est, magnam esse 43
inter eas et reliquas quinque styli similitudinem. Quid mirum? censuit Usserius [e], et res loquitur, eundem fuisse impostorem, " qui genuinas Ignatii " Epistolas incrustavit, et totidem aliarum acces- " sione auxit." Quisquis vero defæcatas septem Epistolas, a Vossio editas, cum reliquis quinque contulerit, næ is, si judicio valet, has ab illis, sive stylum sive doctrinam spectes, plurimum discrepare omnino fatebitur. In eo solo similitudo apparet, quod consarcinator quinque Epistolarum quasdam compositionum et locutionum formulas, genuino Ignatio familiares, usurpet. Sed et has ita affectat, ita importune ingerit planus ille, ut vel hoc ipso indicio sorex prodatur. Argumentatur præterea ibidem Sandius ad hunc modum, " Ex Epistola ad Phi- " lippenses" (una scil. ex quinque quas rejicimus,) " allegat quædam Origenes Homil. VI. in Lucam, " unde ejus elucescit auctoritas." Verum hæc pro solita sibi impudentia scripsit sophista; verba Origenis de Ignatio ejusque Epistola Homil. VI.[f] in Lucam

[d] De Script. Eccles. p. 18. [e] Proleg. ad Epist. Ignat. c. 5.
[f] [vol. III. p. 938.]

hæc sunt: " Eleganter in cujusdam martyris Epi-
" stola scriptum reperi, Ignatium dico, episcopum
" Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecu-
" tione Romæ pugnavit ad bestias, *Principem sæ-*
" *culi hujus latuit virginitas Mariæ.*" Hic de Epistola ad Philippenses ne γρὺ quidem dicitur; in Epistola vero ad Ephesios (una ex septem Eusebianis) ita nunc legimus [g], Ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας. Esto, hæc ab Ignatii simio repeti in supposititia Epistola ad Philippenses, quid tum? verum, quo impostura auctoris Epistolæ ad Philippenses etiam ex ipso Origene clarius perspiciatur, observandum, locum Ignatii, quem citat Origenes, totidem verbis, nempe his, " Principem sæ-
" culi hujus latuit virginitas Mariæ," in Epistola quidem ad Ephesios inveniri, sed in Epistola ad Philippenses immutatum esse, ridicula ad Diabolum conficta apostrophe, hunc in modum [h], Πολλὰ γάρ σε λανθάνει· ἡ παρθενία Μαρίας, ὁ παράδοξος τοκετός. κ. λ. i. e. " Multa te latent; virginitas Mariæ, gloriosus par-
" tus, &c." Verum misso paulisper Sandio, omnium odio, qui veritatem candoremque amant, digno scriptore, ad reverendissimum Pearsonum revertamur, qui porro de septem Epistolis Eusebio notis, quales Græce extiterunt ante Vossii editionem, suum aliorumque doctissimorum virorum judicio sic explicat: " Recte animadversum est a quamplurimis, etiam
" illas septem antiquissimas et maxime genuinas
" Epistolas, in editione Græca tunc temporis" (nempe ante Vossii editionem) " vulgata, interpolatas et cor-
" ruptas fuisse: idque cum loca a veteribus Patri-
" bus adducta, quæ in ea editione aut non compa-
" rent, aut non recte repræsentantur, tum alia etiam

[g] [19. p. 16.] [h] [8. p. 115.]

"non pauca, quæ neque antiquitati, neque senten-
"tiæ S. Ignatii congruunt, neque tenori Epistola-
"rum satis convenienter inseruntur, planum fa-
"ciunt." Easdem vero septem Epistolas Eusebianas, prout a Vossio editæ sunt, Ignatii genuinas esse, per totum opus luculentum, doctis omnibus, neque studio partium nimium addictis, solide probavit idem dignissimus antistes. Jam ex his septem Epistolis, quales e Medicæo codice prodierunt, cum Athanasii, Theodoreti, Gelasii aliorumque veterum citationibus optime conspirantibus, si vel unum iota proferre potest Sandius, quod Nicænæ Fidei repugnet, non abnuemus, quin Ignatius, episcopus apostolicus et martyr celebratissimus, inter impiæ hæresis Arianæ præcursores merito suo censendus sit. Sed hoc ab ipso ante Græcas calendas præstari non posse, certissimum habemus. Neutiquam igitur Ignatius pro Ariano, sed potius Sandius pro egregio sanctissimi Patris calumniatore habendus est. Interim et illud monendum, etiam in Epistolis Ignatii interpolatis ac spuriis, quales Sandius usurpat, plurima reperiri, quæ Arianæ hæresi ex diametro repugnant; quæ vero a Sandio ex iisdem Epistolis proferuntur, ea fere catholicum sensum libenter admittere; id quod facile (si istis nunc vacaremus) demonstrare potuissemus. Sed de Ignatio satis. Atque hactenus venerandum ternionem scriptorum apostolicorum, suo testimonio Nicænam fidem confirmantium, audivimus.

44

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. II. §. 1. SEQQ.

DE S. BARNABA,

DIVINITATIS CHRISTI TESTE.

1. LUCAS Mellierus (de quo vide supra Annotata ad I. 2. §. 1. [p. 61.]) argumentum a reverendo auctore pro Deitate Christi ex S. Barnabæ Epistola cap. 6. hoc loco allatum enervaturus, per *Dominum*, cujus templum sanctum ibidem dicitur esse cordis nostri domicilium, non Christum, sed Deum Patrem intelligendum contendit pag. 22. seqq. ideoque ea, quæ in dicta Epistola præcedunt, repetit, sic sonantia: " Dicit Dominus: *Ecce facio novissima tan-* " *quam priora.* Propter hoc ergo prædicavit Propheta, " *Intrate in terram, quæ trahit lac et mel, et dominamini* " *ei.* Ecce igitur nos denuo formati sumus, quemadmo- " dum rursus in alio propheta dicit, *Ecce, inquit Domi-* " *nus, auferam ab eis,* (hoc est, ab eis quos Spiritus Do- " mini prævidebat,) *corda lapidea, et immittam illis corda* " *carnea,* quia in carne appariturus erat, et in nobis habita- " turus." In quibus verbis perpetuo sub *Domini* titulo Deum Patrem accipit, indeque et in proxime sequentibus, *Templum enim Domino est cordis nostri habitaculum,* vocem *Domini* explicat, *Dei Patris.* Sed utrumque absurde. Nam ipsa textus connexio ac particula γὰρ cuivis sine præjudicio legenti primo intuitu ingerit, ejusdem personæ templum appellari cordis nostri domicilium, (κατοικητήριον,) qui in nobis habitaturus (ἔμελλεν ἐν ἡμῖν κατοικεῖν) ante, ne unico quidem verbo interposito, dicebatur. Atqui hunc esse Christum in carne manifestatum, clarissimum est, neque ab adversario negatur. Unde ut textum suo sensu expositum cohærere faceret, inter ea, *in nobis habitaturus,* et proxime sequentia, *Templum eum Domino,* &c. hæc παραφραστικῶς interseruit; " Et ex nobis templum " ac sanctuarium Deo Patri facturus per ipsam suam in " carne apparitionem et in nobis inhabitationem." Sed

quempiam alicubi *habitare*, et *habitaculum alteri præparare*, diversa omnino sunt, quæ paraphrastes perperam confundit; cumque de priori tantum loquatur Barnabas, ipse posterius de suo apponit, imo opponit priori: quali licentia si quis utatur, profecto quemlibet contextum de una eademque persona agentem discerpere ac inter duas dispertiri poterit.

2. Verum etiam per *Dominum*, cujus oracula per prophetas prolata in præcedentibus recitavit Barnabas, Filium Dei, non Deum Patrem, ab ipso intellectum fuisse, patet 1. ex his verbis: "Quia in carne appariturus erat, et in nobis "habitaturus." Quis? is sane, de quo immediate præcedentia agunt. Atque id perspiciens adversarius iterum temerario prorsus ausu vocem *Christus* hic de suo addidit, ut, juxta ejus hypothesin, nulla Christi mentio in præcedentibus videretur facta. Quasi vero taliter addentes, sicque corrumpentes sensum sanctorum virorum, nulla pœna maneat. Idem patet 2. ex sequentibus, quæ Græce ita habent[h]: Λέγει γὰρ πάλιν Κύριος, Καὶ ἐν τίνι ὀφθήσομαι τῷ Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου, καὶ δοξασθήσομαι: λέγει, Ἐξομολογήσομάι σοι ἐν ἐκκλησίᾳ ἐν μέσῳ ἀδελφῶν μου. Ubi cum *Dominus*, qui loquitur, certissime sit Filius Dei, in ante allegatis quoque prophetarum dictis idem omnino intelligendus est. Excipit quidem Mellierus, vocem *Dominus* hic in Latino abesse, indeque Κύριος in veteri Græco Barnabæ exemplari haud extitisse colligit. Ast posito, neque tamen concesso, quod Græcus Barnabæ textus hoc loco auctoritate Latinæ versionis sit mutilandus, non vero hæc ex illo supplenda, vox πάλιν, *iterum*, liquido ostendit, eandem personam, nempe 45
Filium Dei, in præcedentibus oraculis loquentem accipi debere, quæ hic per prophetam verba facit; nec audiendum esse adversarium, qui Spiritum Dei Patris, personam Christi futuri indutum, ea dixisse commentus est.

3. Atque licet hæc satis manifesta sint, age, videamus tamen, quibus argumentis inductus sit adversarius Deum Patrem sub *Domini* titulo in omni ante recitata Barnabæ pericopa intelligere. Primum est, quia in præcedentibus

[h] [Pag. 19.]

Deus Pater introducitur, homini benedicens his verbis: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* De eodem itaque accipi vult sequentia: "Dicit Dominus, *Ecce facio* "*novissima tanquam priora*, &c." Sed inter hæc intercedunt alia S. Barnabæ verba, quibus de nova re se tractaturum profitetur. "Iterum tibi ostendam," inquit, "quomodo "nobis fecit secundam figuram in novissimis. Dicit Domi- "nus, *Ecce facio*, &c." Neque ait, *Dicit idem Dominus;* vel, *dicit* πάλιν, *iterum Dominus*, uti postea loquentem modo observavimus; sed simpliciter, *Dicit Dominus.* Unde nulla necessitas cogit, eandem personam, quæ in ante citatis Scripturæ locis verba faciebat, hoc quoque loco accipere; præsertim cum sequentia id non admittant, uti jam probatum dedi. Secundum argumentum Mellierus insinuare videtur in explicatione illorum verborum, "*Ecce*, "*inquit Dominus, auferam ab eis*, hoc est ab eis, quos "Spiritus Domini prævidebat, &c." ubi addit: "Spiritus "Dei Patris prævidebat; non vero Filius Dei, qui tunc "nondum existebat, ideoque nihil tunc prævidere poterat." Sed hæc crassissima est petitio τοῦ ἐν ἀρχῇ, quam insuper tam S. Petrus apostolus, quam Barnabas ipse redarguit, ille quidem hisce de prophetarum choro verbis 1 Epist. i. 11. *Prophetarunt scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et futuras glorias;* hic autem cap. 5. Epistolæ ita scribens[1]: "Prophetæ, ab ipso habentes "donum, in illum prophetaverunt." De quibus verbis mox plura dicam.

4. Tertium argumentum petitum est ex locis parallelis, ubi Barnabas fideles templum Dei, non Christi, appellavit. Nempe cap. 4. ait: "Simus spiritales, simus templum "consummatum Deo." Confer cap. 16. Sed hæc optime conveniunt, quia Deus Pater et Filius una cum Spiritu S. in eadem sede morantur, ut ipse Servator nos docet Joan. xiv. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, ac mansionem apud ipsum faciemus.* Atque Paulus, uti in Epistola

[1] [Pag. 60.]

ad Corinthios, eos *templum Dei* appellat, ita Ephes. iii. 17. scribit, *Christum per fidem habitare in cordibus vestris.* Quod vero excipit adversarius pag. 24. "Christum quidem "in nobis habitare per fidem, nunquam tamen nos ejus "templum vocari; sicut et sacerdos in templo habitare "dicitur, nec tamen templum sacerdotis, sed Dei nuncu-"patur;" id plane ineptum ac falsum est. Sæpius enim audias sacerdotes templum, in quo sacris operantur, *suum* vocare; vix unquam vero de iis dici, quod in templo habitent, cum fana Dei, non sacerdotum, sint habitacula. Quicquid vero de externis templis statuatur, de cordibus fidelium certum est, quod ejus templa sint, qui in illis habitat. Nam apostolus 2 Corinth. vi. 16. Corinthios *esse templum Dei vivi* inde probat, quia Deus dixit, (Levit. xxvi. 12.) *Inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus; et ipsi erunt mihi populus.* Confer allegata in hoc capite §. 6. verba S. Ignatii in Epist. ad Ephes. ubi hunc ipsum apostoli locum, ni fallor, respiciens, Christum non modo in nobis habitare, sed et nos ejus templa, ipsum vero esse Deum nostrum, diserte scripsit.

5. Jam prætermissa disputatione de verbis Barnabæ cap. 11. de *corpore Christi*, tanquam *vase Spiritus*, per quem Mellierus intelligit *humanum Jesu Spiritum*, reverendus Bullus vero, non sine ratione valde probabili, *Divinam ejus naturam;* (quanquam non peculiare ex isto loco formaverit pro thesi sua argumentum, sed eum obiter solum ad explicandum Hermam citaverit;) prætermissa, inquam, disputatione ista, veluti non necessaria, ad aliud Barnabæ effatum de prophetis, modo §. 3. a me allegatum, atque probandæ Christi Deitati apprime inserviens, a depravatione Mellieri vindicandum progredior. Nimirum hæc Latina, "Prophetæ ab ipso," (Filio Dei) "habentes donum," facta conjectat ex istiusmodi Græcis, οἱ προφῆται ὑπὲρ αὐτοῦ ἔχοντες τὴν χάριν, quæ proinde interpres vertere debuisset, "Prophetæ pro ipso," (vel ejus causa,) "habentes donum, "in ipsum prophetaverunt." Unde vero conjecturam suam probat? "Legimus," inquit, "apud eundem veterem "interpretem, cap. 7. *Quia ab illis debet pati;* ubi in

" Græco est, ὅτι δεῖ αὐτὸν παθεῖν ὑπὲρ αὐτῶν." Sed talpa cæcior est, qui non statim videat, interpretem ibi legisse ὑπ' αὐτῶν, ac proinde hic quoque in Græco exemplari habuisse ὑπ' αὐτοῦ. Atque ita etiam in Barnaba legisse, ac ex illo descripsisse videtur Irenæus quæ habet IV. 37.
46 p. 331. col. 1. lin. 33. nostræ edit.[i] " Prophetæ ab eo-
" dem Verbo propheticum accipientes charisma, prædi-
" caverunt ejus secundum carnem adventum." Confer ejusdem libri cap. 16. p. 303. col. 1. lin. 9.[k] et ibidem num. 2. annotata. " Sed," pergit Mellierus, " demus et-
" iam hic legisse veterem interpretem, ὑπ' αὐτοῦ ἔχοντες τὴν
" χάριν, adeoque recte vertisse, *ab ipso habentes donum*,
" bene pro nobis jamdiu respondit Grotius ad 1 Petri i. 11.
" *Spiritum Christi vocat ex objecto, Spiritum rei Christi*
" *præsignificantem, et qui Christi causa ipsis erat datus.*
" *Barnabas fine Epistolæ, Prophetæ ab ipso habentes do-*
" *num, in illum prophetaverunt.* Itaque secundum Gro-
" tium, *Prophetæ ab ipso habentes donum*, nihil aliud
" est, quam si diceret, *Prophetæ ipsius causa habentes do-*
" *num.* Et recte quidem. Filius enim Dei, filius ille fu-
" turus—Filius, inquam, Dei, ille homo Christus Jesus,
" etiamsi ipse nondum existeret, istos prophetas mittebat
" ac pellebat; dicique potuit, ab eo prophetas habuisse
" Spiritum, qui causa fuit, cur haberent, et nisi in mun-
" dum venturus fuisset, non habuissent." Atqui, inquam ego, si hoc isto sensu dici potuit, tum quodlibet pro quolibet dici potest. Proferre debuisset adversarius, si non ex Barnaba, saltem ex aliis sacris vel profanis scriptoribus, exempla aliqua ad probandum inusitatum istud loquendi genus; et sane protulisset, si potuisset. Verum nemo unquam mortalium, indicare volens, *pro altero* sive alterius causa quidquam datum vel acceptum, illud *ab altero* datum vel acceptum scripsit: nec unquam, puto, aliquis ita verbis lusit, prout Mellierus fecit, ut diceret, personam nondum in rerum natura existentem alias personas ad officium aliquod obeundum mittere atque impellere. Grotium quod attinet, illum S. Petri quidem verbis vim atque

[i] [c. 20. 4. p. 254.] [k] [c. 7. 2. p. 235.]

alienum sensum intulisse certum est; utrum et Barnabæ, haud ita liquidum: siquidem *prædictionem rerum Christi* potius ex posteriori commate, *in illum prophetarunt*, quam ex priori, *ab ipso habentes donum*, collegisse videtur. Quicquid vero de Grotii mente statuatur, ei judicium non modo Irenæi, sed et cujusvis, qui sine præjudicio textum Barnabæ legerit, opponо, omnino persuasus, nec ethnicum vel Judæum, si crederet, in alio sensu verba Barnabæ acceptурum, quam quo nos juxta communem loquendi usum accipimus.

6. Tandem notatu digna sunt verba Barnabæ cap. 12.[1] "Ecce iterum Jesus, non filius Navæ," (Græce melius, *υἱὸς ἀνθρώπου*,) "sed Filius Dei, in carne apparuit." Existebat itaque Filius Dei, antequam in carne manifestaretur; Græce, *ἐν σαρκὶ φανερωθείς*. Quæ cum plane consona sint istis Pauli verbis 1 Timoth. iii. 16. *Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*, ad hæc Barnabam respexisse, vero haud est absimile. Pergit vero Barnabas loco cit. *Ἐπεὶ οὖν μέλλουσι λέγειν*, κ. λ. "Quoniam ergo dicturi erant, Christum esse Filium Da-"vidis, reformidans et intelligens errorem sceleratorum, "iterum dicit David, *Dixit Dominus Domino meo*, &c." Quo Davidis dicto jam ipse Servator divinitatem personæ suæ Judæis insinuaverat Matth. xxii. 43. seqq. Addit porro Barnabas alia Esaiæ verba, sicque concludit: "Vi-"dete quomodo illum prophetæ Dominum et Filium Dei," (juxta Græca scilicet, *καὶ υἱὸν Θεοῦ*,) "non tantum Filium "dicunt."

DE S. HERMA.

1. Titulo *Consiliarii Dei*, quo reverendus auctor Filium Dei ornat, juxta doctrinam Pastoris similit. IX. Mellierus pag. 32. inepte opponit auctoritatem Pauli Rom. xi. 34. negantis, quenquam consiliarium Deo adfuisse; cum de mero homine seu quavis creatura id inficias iverit apostolus, non de Filio Dei, inter cujus titulos Esaiæ ix. 6. recensetur, quod sit *Consiliarius, Deus*. Quod deinde pag. 33. ad verba Pastoris, "Nomen Filii Dei magnum est et

[1] [Pag. 41.]

" immensum," excipit, magna et miranda sæpe vocari *immensa*, id non satisfacit; quia de divina immensitate ea intelligere nos cogunt, quæ immediate sequuntur, " Et " totus ab eo sustentatur orbis;" item, " Omnis Dei crea- " tura per Filium ejus sustentatur." Meritissimo enim jure hoc *opus vere divinum* ab auctore nostro vocatur; contra ab adversario absurde docetur, Christum merum hominem, etiam dum in carne esset, omnia verbo virtutis ejus portasse. Sane tantum abest, ut Scriptura S. hoc asserat, ut potius Christum, qua hominem, in carne infirmitatibus subjectum, ac tempore passionis a creato angelo confortatum,
47 denique ἐξ ἀσθενείας crucifixum 2 Corinth. xiii. 4. nobis repræsentet.

2. Locum Hermæ lib. III. similit. 5.[m] quod attinet, illa verba, ubi Filius Dei " non in servili conditione, sed in " magna potestate et imperio positus" dicitur, non urgebo; neque cum adversario acriter contendam de sensu istorum §. 5. verborum, " Filius autem Spiritus sanctus est." In quibus doctissimus Bullus, per *Filium* intelligens secundam S. Trinitatis personam, de hac prædicari statuit, quod sit *sanctus* quidam *Spiritus*, i. e. Deus, qui est Spiritus, idemque sanctissimus. Contra Mellierus pag. 42. ita explicat, " Ille qui appellatur in parabola vel similitudine *Filius*, sci- " licet Filius illius Domini fundi, re ipsa nihil aliud est " quam Spiritus Sanctus, id est, afflatus seu virtus Dei " Patris." Et reverendi auctoris nostri sententia quidem confirmari, adversarii autem expositio destrui videtur non solum ex eo, quod persona ista *Filius Dei* vocetur, (quod " valde improprie et catachrestice de Spiritu S. dictum" ipse adversarius agnoscit,) sed et addatur, *quem earum et hæredem habebat;* quodque homo Jesus Christus *ei cohæres factus* sit: quæ prædicata Spiritui Sancto, tertiæ personæ, sive, juxta adversarium, virtuti Dei Patris vix ac ne vix quidem conveniunt; in λόγον autem seu secundam personam aptissime quadrant. Deinde Filius iste in hac parabola in consilium a Deo adhibitus repræsentatur. Atqui idem in similitudine IX. 12.[n] de λόγῳ docet Pastor his

[m] [§. 6. p. 107.] [n] [Pag. 118.]

verbis: " Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, " ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam crea- " turam." Jesum Christum enim hic intelligendum esse, et sequentia ibi planissime ostendunt, et cum Zuickero, hac de re convicto, largitur Mellierus p. 28. Accedit denique, quod eadem simil. IX. 1. de Spiritu, qui Hermæ locutus erat, dicatur, " Ille Spiritus Filius Dei est;" ubi iterum adversarius Christum intelligit pag. 42. licet perperam pro mero homine accipiat, eumque inde *Spiritus* nomine hoc loco insignitum putet, quod is *in Spiritum vivificantem factus sit*, juxta 1 Corinth. xv. 45. Hæc, inquam, et alia pro cl. auctoris nostri sententia urgere possem.

3. Sed, missa ista disputatione, licet supponatur, quod Filius, in simil. V. Spiritus Sanctus appellatus, non sit λόγος, seu secunda S. Trinitatis persona, ex aliis tamen istius loci verbis haud contemnendum pro hujus Deitate argumentum deduci posse existimo. Nam §. 6.° de illo Spiritu S. ait Pastor, " Infusus est omnium primus in cor- " pore (Christi) in quo habitaret Deus." Ubi dum infusio Spiritus Sancti ab inhabitatione Dei expresse distinguitur, atque illa huic veluti præparatoria præmittitur, satis clare docetur, quod non modo Spiritus Sanctus seu virtus altissimi corpus Christi sanctificaverit, sed et alia in ipso habitaverit persona, quæ Dei nomine a Pastore vocatur, nempe Filius Dei, ut ipsi adversarii fateantur necesse est; siquidem Deum Patrem personaliter humanæ Christi naturæ unitum una nobiscum negant; eum vero per Spiritum seu virtutem divinitatis tantum in Christo fuisse, salvis Hermæ verbis dicere nequeunt, utpote qui hanc ab inhabitatione Dei distinctam facit. Cæterum sunt quidem plura in prolixa Mellieri de Hermæ sensu disputatione, quæ animadversionem merentur, illa præsertim, ubi contra Spiritus S. distinctam a Deo Patre subsistentiam, a Pastore aliquoties intimatam, frustra disputat; sed quoniam ὁμοούσιον secundæ personæ modo defendendum suscepimus, ad alia delabi haud placet.

° [Pag. 107.]

DE S. IGNATIO.

Testimoniis S. Ignatii, pro Deitate Christi §. 6. hujus cap. allegatis, sequentia addere placet; in Epist. ad Ephesios §. 18.[p] Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ. "Deus enim noster Jesus Chris-" tus in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem " Dei." Quæ ita verbotenus in Theodoreti Dial. 1. allegata legas. In eadem Epistola §. 19. Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς, " Deo humanitus (i. e. in humana " carne) manifestato in novitatem vitæ æternæ." Et §. 20. Ἰησοῦ Χριστῷ τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ Θεοῦ. " Jesu Christo, secundum carnem ex genere " Davidis, Filio hominis, et Filio Dei." In inscriptione Epist. ad Romanos tom. I. Spicil. Patrum sec. II. p. 13. Jesus Christus bis ὁ Θεὸς ἡμῶν, *Deus noster* appellatur: et in ipsa Epistola pag. 14.[q] hæc habentur: Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν Πατρὶ ὢν μᾶλλον φαίνεται. " Nam Jesus Christus " Deus noster, in Patre existens, magis apparet." Quæ tamen nec ab interprete, neque ab interpolatore agnita fuisse fateor. Denique in fine Epist. ad Polycarpum[r]: Ἔρρῶσθαι ὑμᾶς διὰ παντὸς ἐν Θεῷ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εὔχομαι. " Opto vos valere semper in Deo nostro Jesu Christo." Confer Annotata ad sequens caput 3. de Clemente Rom. §. 2.

CAP. III.

Clemens Romanus et Polycarpus ab auctoris Irenici et Sandii calumniis obiter vindicantur.

48 1. EX apostolici ævi scriptoribus, præter eos quorum sententiam in capite proxime præcedenti explicavimus, duo omnino reliqui sunt, Clemens nempe Romanus[s] et Polycarpus. Horum ideo inter tradi-

[p] [Pag. 15.] [q] [3. p. 27.] [r] [Pag. 42.]

[s] Clemens ab an. 64 vel 65 in sede Romana successit, eamque ad an. 81. aut 83 tenuit. *Cave in Clem.* BOWYER.

tionis catholicæ testes apostolicos nullam hactenus mentionem feci, quod pauca ipsorum monumenta genuina hodie supersint, atque in iis, quæ supersunt, parce illi et minus clare (utpote de aliis solliciti) dogma de Filii divinitate attigerunt. Quoniam vero hinc calumniæ ansam arripuerunt Irenici auctor et Sandius; illo in Socinianæ, hoc in Arianæ blasphemiæ patrocinium obtorto quasi collo protrahente sanctissimos Patres; visum est hic, ὡς ἐν παρόδῳ, ipsorum sophismatis paucis occurrere. De Clemente primo agam.

2. Illum et Irenici auctor et Sandius (Petavio monitore) hæresis quondam adversus Christi divinitatem suspectum habuisse Photium observarunt. Photius scilicet ille, de Clemente ejusque Epistolis agens, postquam alia quædam in Epistola prima tanquam reprehensione digna commemoraverat, et illud notat[t]: Ὅτι ἀρχιερέα καὶ προστάτην τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξονομάζων, οὐδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς· οὐ μὴν οὐδ' ἀπαρακαλύπτως αὐτὸν ἐνδαμοῦ ἐν τούτοις βλασφημεῖ. i. e. "Quod summum "Sacerdotem Præsidemque Dominum nostrum Je- "sum Christum appellans, ne illas quidem Deo con- "venientes et sublimiores voces de eo pronuntiet; "tametsi nec aperte ipsum ullibi in his blasphemet." Sed ferat ipse, criticus nimium veterum censor (nemo me culpet, quod de patriarcha Constantinopolitano recentiori[u], proterve et nulla de causa Romanum patriarcham, ab ipsis apostolis constitutum, in hæresis suspicionem vocante, liberius scripserim,) suæ temeritatis infamiam. Mihi sane perridiculi semper visi sunt, qui, cum Epistolam aliquam vete-

[t] Cod. CXXVI.

[u] Electus patriarch. an. 858. *Cave in Phot.* BOWYER.

ris scriptoris aut breviusculum tractatum (unicum et illud forte indubitatum auctoris σωζόμενον) legunt, in eoque sentiunt dogma aliquod Christianæ fidei vel omnino intactum, vel non satis liquido explicatum esse, (auctore scilicet, re exigente, in aliud intento,) continuo scriptorem ipsum nescio cujus hæresis suspectum habent. Sed nobis sufficit, quod ipse Clemens in Epistola sua nusquam (Photio ipso fatente) Christum Dominum blasphemet.

3. Photio itaque misso, ad Irenici auctorem accedo, qui ex Clementis Epistola prima, adversus traditionem catholicam, ita argumentatur[x]: "Certum est, Clementem, si evolvatur, perpetuo ita "loqui, ut Patri prærogativam præ Christo relinquat et deferat, eum Deum omnipotentem, Deum "unum, omnium Conditorem, Deumque passim appellando, &c. Christum vero præterea ita tantum, "quemadmodum et de Herma dictum est, describit, "ut vix aliam quam humanam naturam in ipso "agnovisse videatur." Quod hic de Patris ἐξουχῇ, a Clemente tam religiose observata, objicit anonymus, nullum prorsus mihi scrupulum injicit vel levissimum: quippe qui sat sciam ac meminerim, ab apostolo etiam Paulo, (quem tamen veram Filii divinitatem tum credidisse, tum docuisse, apud me extra controversiam est,) factum esse idem; quin et a Patribus universis, etiam ipsis Nicænis, quique post synodum Nicænam scripsere, easdem de Deo Patre locutiones ususpari. Scilicet hujus rei causam infra ad sectionem quartam de Filii subordinatione, &c. liquido explicabimus. Jam ad verba illa anonymi, in quibus ait, Clementem, ut et Hermam, Christum ita tantum describere, ut vix aliam quam humanam in

[x] Pag. 23, 24.

ipso naturam agnovisse videatur, respondeo, quod de Herma dicit, splendidum esse mendacium, ut supra evidentissime ostendi. Ad Clementem vero quod attinet, caute ab hæretico illud *vix* additum est. Nimis enim inverecundus sit, qui negaverit in illa Clementis Epistola quædam reperiri, quæ aliam quam humanam in Christo naturam arguant. Hujusmodi est illud, quod τὰ μεγαλεῖα τῶν δωρεῶν, *dona illa magnifica*, quæ Abrahami familiæ propter ipsius fidem a 49
Deo concessa olim erant, describens, ait, Ἐξ αὐτοῦ ὁ Κύριος Ἰησοῦς τὸ κατὰ σάρκα[y]. i. e. "Ex illo Dominus "Jesus, quod ad carnem attinet;" ubi in illa restrictione, τὸ κατὰ σάρκα, innui, aliam in Christo naturam præter humanam, sive carnem illam quam ex Abrahamo traxit, inesse, manifestum est. Præterea parum admodum verisimile est, Clementem ita abjecte atque humiliter de Christo sensisse, ut ψιλὸν ἄνθρωπον illum crediderit, quem titulis tam magnificis exornat. Appellat enim Christum[z] Ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ, "Splendorem magnificentiæ Dei;" et in eo mox Christi præstantiam supra omnes angelos sitam esse docet, quod illi sint λειτουργοὶ, *ministri*, hoc est servi Dei omnium creaturarum Domini; ipse vero non servus, sed Filius Dei sit. Locutus est autem ibi Clemens cum auctore Epistolæ ad Hebræos, quam inter Epistolam et hanc Clementis tantam sensuum et verborum similitudinem multis in locis deprehendit doctissimus Junius, ut (post Hieronymum aliosque veteres) eundem esse utriusque Epistolæ auctorem suspicatus fuerit. Jam per ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς in Epistolæ ad Hebræos i. 3. divinam illam Filii naturam et ma-

[y] Pag. 72. [§. 32. p. 166.] [z] Pag. 82. [§. 36. p. 168.]

jestatem, qua ante sæcula una cum Deo Patre extitit, qua sæcula ipse condidit, qua denique universam hanc mundi compagem vi sua omnipotenti etiamnum sustentat gubernatque, significari, talpa cæcior est qui non videt.

4. Alibi [a] in eadem Epistola idem Clemens Servatorem nostrum dixerat τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ. i. e. "Sceptrum magnificentiæ Dei." Qui locus si integre producatur, observato etiam scopo et contextu auctoris, quid de Christo senserit vir apostolicus, satis ostendet. Hortatur istic Corinthios ad humilitatem sive animi modestiam, a stupendo Christi exemplo, his verbis: Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ, ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος· ἀλλὰ ταπεινοφροσύνῃ· κ. λ. i. e. "Sceptrum magnificentiæ Dei [b], "Dominus noster Jesus Christus, non venit in jac-"tantia superbiæ et fastus, quamvis potuerit; sed "in humilitate, &c." Certum habeo, Clementem his verbis divinam Servatoris naturam ac majestatem, in qua substitit ante nativitatem suam ex beatissima Virgine, exprimere voluisse. Neque de eo quisquam dubitare potest, qui Christum a Clemente "Scep-"trum magnificentiæ Dei," quo statu fuit ante suum in hunc orbem adventum, dici animadverterit. Nisi enim Christus Sceptrum magnificentiæ Dei fuerit, antequam ad homines veniret, quænam, obsecro, erit ejus tantopere a Clemente celebrata συγκατάβασις sive condescensio, quod in adventu illo suo se non ut Sceptrum magnificentiæ Dei gesserit? Adhæc, Christum hic proponit Clemens, tanquam exemplum con-

[a] Pag. 36. [§. 16. p. 156.]

[b] i. e. potentia Dei, (1 Cor. i. 24.) ut sit metonymia signi pro re signata.

descensionis infinitæ, quam pro modulo nostro imitari quidem possumus ac debemus, (quemadmodum et Dei perfectam sanctitatem Matth. v. 48. 1 Pet. i. 15, 16.) adæquare vero nunquam poterimus. Sic enim post allegata Esaiæ ac Davidis verba, de humilitate Christi vaticinantia, pergit vir sanctus[c]: Ὁρᾶτε, ἄνδρες ἀγαπητοὶ, τίς ὁ ὑπογραμμὸς ὁ δεδομένος ἡμῖν. εἰ γὰρ ὁ Κύριος οὕτως ἐταπεινοφρόνησε, τί ποιήσομεν ἡμεῖς, οἱ ὑπὸ τὸν ζυγὸν τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐλθόντες; i. e. "Expen- "dite, viri dilecti, quale nobis exemplum sit propo- "situm. Si enim Dominus ita se humiliavit, quid "faciemus nos, qui sub jugum ejus gratiæ veni- "mus?" Quæ vero ista infinita disparitas, si Christum purum putum hominem animo concipias? Locus autem hic Clementis plane geminus est illi D. Pauli ad Philippenses ii. 6. seqq. quod enim ibi ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, hic τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ· quod ibi οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, hic οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίπερ δυνάμενος. Et quemadmodum Paulus Christi infinitam condescensionem ex eo commendat, quod, cum in forma Dei esset, non ostentaverit suam cum Deo ἰσοτιμίαν (id enim significant verba, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ·) ita Clemens docet, Christum, cum revera Sceptrum magnificentiæ Dei fuerit, suam tamen majestatem, dum ad homines veniret, occultasse. Scilicet notanda sunt verba, καίπερ δυνάμενος, *quanquam potuerit*, vel *quanquam potens fuerit*. Denique Pauli ἐκένωσεν ἑαυτὸν idem manifeste est, quod Clementis ἐταπεινοφρόνησε. Si interpretem velis, qui utriusque, tum Pauli tum Clementis, sensum clarius aperiat, videas omnino nobilem Justini

[c] Pag. 40. [§. 16. p. 157.]

locum, quem ex ejus Epistola ad Diognetum infra adducemus, hujus sectionis cap. 4. §. 7.

5. Porro extat altera sub Clementis nomine Epistola mutilata, quæ ab Eusebio[d] quidem οὐχ ὁμοίως τῇ προτέρᾳ γνώριμος, "non perinde ac prior nota ac ce-" lebrata" dicitur. Nimirum prima Clementis Epistola, sive rerum copiam in ipsa tractatarum spectes, sive styli vigorem, longe alteram superat; propterea ab ecclesiæ doctoribus, merito suo, majori in pretio habita et frequentius laudata fuit. Inde vero Hieronymus et Rufinus, Eusebii hic interpretes minus felices, tradiderunt, Epistolam illam secundam a veteribus, ut spuriam prorsus, omnino rejectam et reprobatam fuisse. Sed vere dixit vir optimus, " Fi-" des debet esse penes auctorem, non interpretes." Quod autem in dubium a quibusdam, etiam olim, vocata fuerit hæc Epistola, inde evenisse mihi videtur, quod prima illa, ob causas quas dixi, sola in publicis ecclesiæ conventibus legi meruerit. Quo honore cum altera destitueretur, paulatim, quasi Clementis revera non esset, neglectui habita est. Quam etiam ob causam aliæ Clementis Epistolæ (nam et alias scripsisse virum sanctum mihi indubium est) prorsus interciderunt. Certe Epistola illa secunda, quæ dicitur, ante Eusebii tempora sub Clementis nomine evulgata fuit; ad Corinthios inscripta est; eorundem errorem de resurrectione corporis, perinde ac prior, redarguit; dictiones ac phrases Clementi familiares passim usurpat; denique nihil habet novi aut Clemente indignum, ob quod suppositam illam fuisse ab impostore aliquo jure suspicemur. Quibus addas, si lubet, quod utraque Clemen-

[d] Eccles. Hist. III. 38.

tis Epistola in canonibus apostolicis (can. ult.) pariter recipiatur, et ab Epiphanio aliisque agnoscatur. Jam in ipso ejus Epistolæ initio hæc legimus: Ἀδελφοὶ, οὕτως δεῖ ἡμᾶς φρονεῖν περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς περὶ Θεοῦ. i. e. "Fratres ita oportet de Jesu Christo nos "sentire, tanquam de Deo:" et mox, Καὶ οὐ δεῖ ἡμᾶς μικρὰ φρονεῖν περὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν· ἐν τῷ γὰρ φρονεῖν ἡμᾶς μικρὰ περὶ αὐτοῦ, μικρὰ καὶ ἐλπίζομεν λαβεῖν. i. e. "Nec decet nos humilia sentire de salute nos-"tra: dum enim humiliter sentimus de illo, parva "etiam nos accepturos speramus." Scilicet hic Cerinthi hæresis, neque Clementi neque Corinthiis incognita, perstringitur. Apprime autem observandum est, Clementem hic docere, oportere nos non modo Christum Deum dicere, (quod neque Ariani neque adeo Sociniani recusant,) sed et de ipso, ut Deo, revera sentire; hoc est, eam Christi notionem, tanquam qui Deus sit, non mera creatura, in animis nostris concipere; et qui aliter de Christo sentiunt, de salute sua periclitari. Illustris vero est locus, de duplici Christi natura, divina et humana, qui occurrit in ejusdem Epistolæ (juxta ultimæ editionis Oxoniensis, et Cotelerii quoque, ut audio, partitionem) cap. 9.[e] ubi auctor de carnis resurrectione agens sic loquitur: Ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον Πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ, καὶ οὕτως ἡμᾶς ἐκάλεσεν· οὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν ταύτῃ τῇ σαρκὶ ἀπολημψόμεθα τὸν μισθόν. i. e. "Jesus Christus Dominus, qui nos "servavit, cum primum esset Spiritus, caro factus "est, atque sic vocavit nos: ita etiam nos in hac "carne mercedem recipiemus." Hic divinam Christi naturam, in qua substitit ante assumptam carnem, Πνεῦμα vocat; juxta scilicet cum suis coætaneis,

[e] [Pag. 188.]

auctore Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, Herma, Ignatio, et θεοπνεύστοις Novi Testamenti scriptoribus; quemadmodum supra ostendi. His addas (mantissæ loco) quod Basilius lib. de Spiritu S. c. 29. Clementis Romani illustre de sanctissima Trinitate testimonium profert. Locus Basilii sic habet[g]: Ἀλλὰ καὶ ὁ Κλήμης ἀρχαϊκώτερον· Ζῇ, φησὶν, ὁ Θεὸς, καὶ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. i. e. "Sed "et Clemens simplicius: Vivit, inquit, Deus, et "Dominus Jesus Christus, et Spiritus Sanctus:" ubi non est dubium, quin Clemens dixerit *Deum vivere*, quo sensu in Scripturis Deus appellatur *Deus vivens*; ut nempe ab idolis, ac mortuis et fictitiis gentium diis distinguatur. Ait igitur, et Deum Patrem, et Jesum Christum, (nempe quatenus is Πνεῦμα est, etiam ante assumptam carnem, adeoque ab æterno subsistens,) et Spiritum Sanctum Deum esse illum vivum ac verum, quem, abdicatis idolis, unice colere atque adorare debemus. Hæc quidem verba Clementis, sat scio, neque in Epistola ad Corinthios prima[h], neque in Epistolæ secundæ fragmento, quod habemus, uspiam inveniri; utrum in ea secundæ Epistolæ parte, quæ hodie desideratur, scripta fuerint, plane nescio. Sed fides magni atque optimi Basilii id omnino a nobis exigere videtur, ut credamus, vetustissimum illum Clementem talia alicubi scripsisse.

6. Ad Sandium venio, qui ex Constitutionum libris sanctum Clementem Romanum Arianismi arguit[i]. Credas hominem, post fidei et bonæ consci-

[g] Tom. II. p. 358. edit. Paris. 1637. [vol. III. p. 61. §. 72.]

[h] [Sed v. quæ ex Ep. I. 46. citat Grabius in Annotat. ad h. c.]

[i] Enucl. Hist. Eccl. I. p. 67.

entiæ naufragium, pudorem quoque omnem perdidisse. Quippe consentiunt reformati theologi omnes, neque reclamant hodie ex pontificiis critici doctiores, clamat vero res ipsa, Constitutiones illas Clementis non esse[k]. Et quis ferat hominem, qui dum Ecclesiasticæ Historiæ se nucleum ipsissimum exhibuisse gloriatur, istiusmodi merces lectori suo obtrudat? Interim loca pleraque omnia, quæ ex Constitutionibus ab ipso allegantur, tanquam pro Arianis facientia, ea ratione haud difficile excusari possunt, quod ab auctore dicta sint ad ἐξοχὴν illam Patris, quatenus est fons Deitatis, respiciente, ac Filium a Patre distinguere, adversus hæresim, quam Sabellius amplexus est, volente; id quod loca ipsa inspicienti facile patebit. 51
Unum illud, quod constitutionum auctori objicit Sandius, nullam defensionem admittit, nempe quod asseruerit, "Filium Dei ex (vel de) nihilo creatum "esse, et aliquando non fuisse." Sed non memini me in Constitutionum libris hæc legisse; nec puto tale quippiam in ipsis uspiam reperiri. Certe auctor contrarium diserte docet VII. 41. quod etiam caput inter ea enumerat Sandius, in quibus Clemens Arianizat. Ibi scilicet professionem fidei a baptizando faciendam exponens, fidem de Deo Patre sic explicat: Πιστεύω καὶ βαπτίζομαι εἰς ἕνα ἀγέννητον μόνον ἀληθινὸν Θεὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ,

[k] Constitutionum Apostolicarum libri 8. eodem circiter tempore quo canones scripti, (scil. circa finem secundi seculi,) ex variis διδασκαλίαις et διατάξεσι, quas viri apostolici tunc temporis edere solebant, primum, ut videtur, compositi. Has Constitutiones, Epiphanii ævo ab hæreticis graviter depravatas, longe alias ab iis, quæ olim extiterunt, ac diversas esse certissime constat: quod ex additionibus, truncationibus, et interpolationibus facile contingere potuit. *Cave in Clem.* Bowyer.

κτιστὴν καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων. i. e. "Credo et bap-
"tizor in unum ingenitum solum verum Deum om-
"nipotentem, Patrem Christi, Conditorem et Opifi-
"cem omnium." Vides hic, Deum Christi *Patrem*, non *conditorem* aut Opificem, *creaturarum* vero omnium Conditorem et Opificem distincte prædicari. Sed et mox articulum de Filio Dei unigenito sic παραφράζει auctor: Καὶ εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν,——γεννηθέντα, οὐ κτισθέντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. i. e. "Et in Dominum Jesum Chris-
"tum, unigenitum ejus Filium,——genitum, non
"creatum, per quem omnia facta sunt." Quæ verba nullo σοφῷ φαρμάκῳ, quod non risum potius quam refutationem mereatur, cum Ariano dogmate conciliari possunt. Sic et VI. 11. fidem apostolorum eam esse docet, qua creditur, Ἕνα εἶναι Θεὸν, ἑνὸς υἱοῦ πατέρα, οὐ πλειόνων· ἑνὸς παρακλήτου διὰ Χριστοῦ· τῶν ἄλλων ταγμάτων ποιητήν· ἕνα δημιουργόν· διαφόρου κτίσεως διὰ Χριστοῦ ποιητήν. i. e. "Unum esse Deum, unius
"Filii Patrem, non plurium; unius Paracleti per
"Christum; aliorum ordinum Effectorem; unum
"mundi Architectum; diversarum creaturarum Opi-
"ficem per Christum." Ubi etiam Spiritum S. ex ordine rerum a Deo factarum manifeste eximit. His addas, quod apud hunc auctorem, ubi veteris ecclesiæ Liturgiam recitat, frequenter occurrat hæc δοξολογίας formula: Μεθ' οὗ σοι δόξα, τιμὴ, αἶνος, δοξολογία, εὐχαριστία, καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. i. e.
"Cum quo (Filio) tibi (Deo Patri) sit gloria, hono-
"laus, celebratio, gratiarum actio, et Spiritui quo-
"que Sancto in sæcula, amen:" sic libro VIII. cap. 38. In capite autem ejusdem libri 15. sub finem, eandem habes δοξολογίαν his verbis expressam: Σοὶ δόξα, αἶνος, μεγαλοπρέπεια, σέβας, προσκύνησις· καὶ τῷ σῷ

παιδὶ Ἰησοῦ τῷ Χριστῷ σου, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ βασιλεῖ· καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. i. e. " Tibi (Patri) gloria, laus, " magnificentia, veneratio, adoratio; et Filio tuo " Christo, Domino nostro, et Deo, et regi; et Spiritui " sancto, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum, " Amen." Vide et ejusdem libri cap. 16, 18, 20, 21, 22, 29, 39, 41. Jam in hac glorificatione idem honos, eadem gloria et majestas et Patri, et Filio, et Spiritui Sancto conjunctim manifeste tribuitur. Optime autem hic Pneumatomachi apud Basilium[1]: Ἡμεῖς τοῖς μὲν ὁμοτίμοις φαμὲν τὴν συναρίθμησιν πρέπειν· τοῖς δὲ πρὸς τὸ χεῖρον παρηλλαγμένοις τὴν ὑπαρίθμησιν. i. e. " Nos asserimus, connumerationem iis convenire, qui " honore sunt pares: iis vero, qui inferioris sunt con- " ditionis, subnumerationem." Hinc Ariani eam δοξολογίας formulam nunquam libenter usurparunt; sed μεθ' οὗ immutarunt in δι' οὗ, sive ἐν ᾧ· eo nimirum consilio, ut Filium Patri natura inferiorem, ab eoque adeo alienum esse significarent. Alioqui nonnulli etiam catholicorum, Nicæna synodo anteriorum, (ut et Constitutionum auctor alibi,) δι' οὗ, quidam vero et μεθ' οὗ et δι' οὗ simul usurparunt; intelligentes scilicet per Filium Patris gloriam manifestari, omnemque Filii gloriam ad Patrem, ut fontem divinitatis, redundare; et tamen Filium simul cum Patre, ut ejusdem divinæ naturæ ac majestatis consortem, adorari debere. Ut clarius dicam, catholici veteres, dum Patrem per Filium glorificabant, Filii subordinationem, qua Filius est, et Patris ἐξοχὴν, qua Pater est; Filium vero cum Patre adorantes, ipsius τὸ ὁμοούσιον et in eadem divina essentia ac natura cum

[1] Lib. de Spirit. S. c. 17. [§. 42. p. 36.]

Patre subsistentiam significare voluerunt. Cæterum μεθ' οὗ omnino displicuisse Arianis, ipsosque adeo receptam illam in publicis Liturgiis δοξολογίας formulam, ubi rerum potirentur, in δι' οὗ immutasse, testatur Historia Ecclesiastica [m]. Imo ipse Philostorgius, Arianorum historiographus, III. 13. scribit, Flavianum Antiochenum, Nicænæ fidei assertorem, collecta monachorum multitudine, πρῶτον ἀναβοῆσαι, Δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι. τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ, τοὺς μὲν, Δόξα πατρὶ δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι λέγειν· καὶ ταύτην μᾶλλον τὴν ἐκφώνησιν ἐπιπολάζειν· τοὺς δὲ, Δόξα πατρὶ ἐν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. i. e. "Primum omnium "acclamasse, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui
52 "Sancto. Nam ex iis qui ætate illum antecesse-"runt, alios quidem dixisse, Gloria Patri per Filium "in Spiritu Sancto; atque hanc acclamationem usu "magis receptam esse; alios vero dicere solitos, "Gloria Patri in Filio et Spiritu Sancto;" ubi quidem, quod ait, Flavianum primum in ecclesiæ usum invexisse δοξολογίας formulam, qua diceretur, "Gloria Patri, et Filio," (sive cum Filio,) "et Spi-"ritui Sancto," cum ante ipsum *per Filium*, aut *in Filio* duntaxat usurpatum fuerit, falsissimum est. Nam in precum formulis antiquis, quæ ante Flavianum, adeoque ante synodum Nicænam in ecclesia obtinuerunt, eadem δοξολογία usurpata fuit, ut ex Constitutionibus liquet. Eandem quoque δοξολογίαν in scriptis quorundam Patrum Antenicænorum, ac nominatim apud Clementem Alexandrinum, (qui et ita παραφράζει formulam illam, ut nemo Arianus ipsam concoquere possit,) reperiri, infra ostendemus [n]. Denique μεθ' οὗ ab ipsis etiam apostolicis scriptoribus

[m] Vide Socrat. II. 21. et Sozom. VIII. 8. et Valesii notas in utrumque.

[n] Cap. 6. §. 4.

approbatum atque usurpatum fuisse, mox, ubi de Polycarpo agemus, apparebit. Interim hinc discas, quantum displicuerit Arianis μετ' οὖ, et formula illa, "Gloria Patri et Filio, &c." Ad Sandium redeo, qui etiam ex Recognitionum libris Arianum fuisse Clementem conatur ostendere. Sed Recognitiones illas Clementis esse, nemo, cui satis sanum est sinciput, serio affirmabit; unde et ipsæ a doctis plerisque omnibus, tam pontificiis quam nostris, ut spuriæ et certo adulterinæ dudum explosæ et rejectæ fuerunt[o]. Atque hactenus de Clemente Romano.

7. Ad Polycarpum[p] progredior. De ipso hoc tantum strictim notat Sandius[q], quod "in Epistola "sua ad Philippenses sæpius distinguit Christum a "Deo." Sed auctor Irenici id fusius urget, atque in Socinianæ etiam hæresis patrocinium trahit, ita scilicet disserens[r]: "Hujus (Polycarpi) nihil nobis re- "liquum est, præter Epistolam ad Philippenses "scriptam, et fragmenta pauca ab Eusebio servata. "Cæterum in Epistola ad Philippenses nihil pror- "sus continetur, quod divinitatem Christi argueret; "imo Christus non tantum semper a Deo omnipo- "tente aut summo distinguitur, (qui etiam Deus "Domini nostri Jesu Christi dicitur,) sed et perpe- "petuo (quemadmodum in superiori Clementis Ro-

[o] Libri isti pseudepigraphi sunt et apocryphi, secundo sæculo compositi a viro docto quidem juxta ac diserto, sed philosopho magis et philologo quam theologo, in excogitandis autem connectendisque fictis narrationibus plane rudi. *Coteler. Judicium de lib. Recogn.* BOWYER.

[p] Polycarpus Joannis apostoli discipulus ab eo constitutus fuit episcopus Smyrnensis circa an. 94. *Cave in Pol.* BOWYER.

[q] Enucl. Hist. Eccles. I. p. 75.

[r] [Pag. 28.]

" mani Epistola) ut homo tantum, et qui in carne " venit, constitutus scilicet Minister omnium, susci- " tatus tandem, et a Deo exaltatus, Dominusque " noster et Pontifex sempiternus existens, in quem " proinde omnes credere debeant, introducitur, &c." Itaque inprimis de Epistola Polycarpi videamus; ac primo, Quid si anonymo largiremur, nihil in Epistola illa contineri, quod divinitatem Christi arguat? certe neutiquam inde consequeretur, Polycarpum Christi divinitatem non agnovisse; quid enim? an necesse est, ut qui credit Christum esse Deum, quoties Epistolam aliquam conscribit, fidem istam suam profiteatur? nugæ! Quot legas ecclesiasticorum scriptorum, qui Filii divinitatem ex animo crediderunt, satis prolixas Epistolas, in quibus tamen ne γρὺ quidem reperias, quod divinitatem Christi arguat? Pro exemplo sit Cypriani bene longa Epistola ad Antonianum, quæ est, juxta Pamelianam editionem, numero 52; ibi nihil de Christo Deo expresse dicit Cyprianus, imo Christum a Deo passim distinguit. Jam quid si ex omnibus Cypriani Epistolis hæc una superfuisset? annon merito conquererentur manes beatissimi martyris de gravissima injuria sibi facta ab eo, qui inde colligeret, Cyprianum Christi divinitatem non agnovisse? certe. Nam ex aliis multis ejusdem Cypriani scriptis, quæ hodie extant, certo comperimus, ipsum Christi divinitatem omnino agnovisse. Sic et Polycarpum, præter illam ad Philippenses, alias etiam Epistolas, tum ad vicinas ecclesias, tum ad quosdam fratres conscripsisse, ex quibus puritas ejus doctrinæ colligi poterat, diserte testatur Irenæus in Epistola ad Florinum, apud Eusebium Eccles. Hist. V. 20. Quid si in istis fidem suam de Christi divinitate clarius prodi-

dit? sane Hieronymus inter veteres et apostolicos scriptores, qui hæresim contra Christi divinitatem, quam ex Judæo-Christianis Ebion primus, Christianorum vero ex gentibus primus Theodotus Byzantinus propugnavit, scriptis suis refutarunt, etiam Polycarpum recenset. Verba ejus adversus Helvidium hæc sunt[r]: "Numquid non possum tibi totam vete-
"rum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Po-
"lycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multos-
"que alios apostolicos et eloquentes viros, qui ad-
"versus Hebionem et Theodotum Byzantinum ([s]et
"Valentinum) hæc eadem sentientes plena sapien-
"tiæ volumina conscripserunt? quæ si legisses ali-
"quando, plus saperes." Et omnino verisimile est, ex aliis illis Polycarpi Epistolis, quæ interciderunt, 53
desumpta esse fragmenta illa quinque non aspernanda, quæ ex codice vetustissimis characteribus manu descripto, prout in ipso a Victore episcopo Capuano ante mille et centum annos citantur, Feuardentius primum edidit in calce Notationum suarum ad Irenæi lib. III. cap. 3.[t] In horum autem fragmentorum tertio hæc Polycarpi verba leguntur: "Joannes
"ad Ephesum constitutus, qui legem tanquam ex
"gentibus ignorabant, a causa nostræ redemptionis
"evangelii sumpsit exordium; quæ causa ex eo ap-
"paret, quod Filium suum Deus pro nostra salute
"voluit incarnari. Lucas vero a Zachariæ sacerdo-
"tio incipit, ut ejus filii miraculo nativitatis, et

[r] Cap. 9. [§. 17. vol. II. p. 225.]

[s] Hæc in plerisque exemplaribus deesse notat Marianus Victorius. Ac sane nomen Valentini a sciolo aliquo textui insertum fuisse, res ipsa clamat; siquidem constat Ebionis et Theodoti hæresim a Valentini de Christo sententia longe discrepasse.

[t] [Pag. 205. ed. Coteler.]

" tanti prædicatoris officio, divinitatem Christi gen-
" tibus declararet." Ubi vir sanctissimus Filium Dei, qui talis erat antequam homo factus fuerit, et postmodum, quando et quomodo Deus Pater voluit, incarnatus sive homo factus est ob hominum salutem, apertissime agnoscit et profitetur; et ejusmodi adeo Dei Filium Joannem voluisse in sui evangelii initio describere, expresse docet. Quin et affirmat, Lucam quoque in sui evangelii exordio intendisse, ex miranda nativitate præcursoris Christi, ejusque præconio, Christi ipsius divinitatem gentibus declarare.

8. Verum, secundo, quædam sunt in ipsa ad Philippenses Polycarpi Epistola, quæ Christi divinitatem non obscure arguant. Ejusmodi est is ipse locus, quem respicit Irenici auctor, cujus verba juxta versionem Latinam, (nam Græca ibi desiderantur,) sic habent[t]; " Deus autem et Pater Domini nostri
" Jesu Christi, et ipse sempiternus Pontifex, Dei
" Filius Jesus Christus, ædificet vos in fide et veri-
" tate, et in omni mansuetudine et sine iracundia,
" et in patientia, et longanimitate, et tolerantia, et
" castitate; et det vobis sortem et partem inter
" sanctos suos, &c." Quibus verbis Polycarpus Christum, Filium Dei, una cum Patre Deo invocat, ut largitorem gratiæ in hac vita, et gloriæ in futura. Cujusmodi invocationem Deo soli convenire, neque in ullam creaturam competere, (quicquid obganniant Ariani et Socinistæ,) et sacra Scriptura, et recta ratio, ac denique unanimis veterum catholicorum doctorum sententia nos docet. Clara autem imprimis sunt verba Polycarpi de Christo omnium Inspectore ac Judice[u]; Ἀπέναντι γὰρ τῶν τοῦ Κυρίου καὶ

[t] Pag. 23. [p. 191.] [u] [§. 6. p. 188.]

Θεοῦ ἐσμὲν ὀφθαλμῶν, καὶ πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι. οὕτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας, καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμᾶς ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν. i. e. "Ante conspectum enim oculorum "Domini et Dei sumus, et omnes oportet stare ante "tribunal Christi, et unumquemque pro se rationem "reddere. Sic ergo serviamus ei cum timore et "omni reverentia, ut ipse præcepit, et apostoli qui "evangelium nobis prædicarunt, et prophetæ qui "prænuntiaverunt adventum Domini nostri." Quo in loco Polycarpus vel de Christo tantum agit, ipsum et Deum et Dominum appellans; (ut sane de una Persona loqui videtur;) vel saltem cum Deo Patre Christum ejus Filium conjungit, tanquam pariter παντεπόπτην, cujus oculis omnia subjecta, sicut et παντοδικαστὴν, cujus tribunali omnes universim homines sistendi sint; atque hoc argumento fideles hortatur, ut eidem Domino Jesu serviant cum timore et omni reverentia. Loci autem hujus Polycarpiani sensum manifestum facit locus ei geminus beati Ignatii in Epistola ad Ephesios; οὐδὲν λανθάνει τὸν Κύριον κ. λ. quem in capite proxime præcedenti[x] adduximus.

9. Sed ad fragmenta Polycarpi, Eusebio memorata, tandem veniamus. Inter ea illustris est imprimis Polycarpi, jam martyrium subituri[y], precatio apud Eusebium Eccl. Hist. IV. 15. quæ precatio insigni hac δοξολογίᾳ finitur; Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων σὲ αἰνῶ, σὲ εὐλογῶ, σὲ δοξάζω διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀγαπητοῦ σοῦ παιδός· δι' οὗ

[x] [§. 6. p. 114.] [y] Passus est an. 175. *Cave.* BOWYER.

σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, Ἀμήν. i. e. "Quamobrem de omnibus "te laudo, te benedico, te glorifico per sempiter- "num Pontificem Jesum Christum, dilectum Filium "tuum, per quem tibi, una cum ipso, in Spiritu "Sancto gloria nunc et in sæcula sæculorum, "Amen." Vides hic Deum Patrem non modo per Filium, sed et cum ipso glorificari, una eademque gloria utrique in Spiritu Sancto tributa; quæ δοξολογίας ratio quam hæresi eorum, qui Christi veram divinitatem negant, plane adversetur, supra in hoc capite ex parte ostendimus. Locum autem hunc ipse Petavius ad dogmatis de SS. Trinitate assertionem allegaverat. Quid vero ei respondet Irenici auctor[z]? "Quod precatiunculam," inquit, "Poly- "carpo ascriptam concernit, quam et Petavius pro "Trinitatis suæ confirmatione allegat, ea sane Pe- "tavio plus obest, quam prodest. Manifeste enim "in ea Patrem tantum Jesu Christi Deum verum "et omnium Conditorem appellat, eumque per Fi- "lium, quem Sacerdotem tantum nominat, invocat. "Qui loquendi modus, quid, quæso, aliud indicat, "aut indicare potest, quam quod Polycarpus, quem-
54 "admodum in sua quoque Epistola, solum Patrem "pro summo Deo habuerit et agnoverit?" In quibus verbis primo fraudem hominis notatu dignam censeo, volentis lectori suo suspicionem injicere, quasi hæc præcatio non esset Polycarpi genuina, sed ipsi tantum ascripta. Certe vix ullum est primævæ antiquitatis fragmentum ab Eusebio servatum, quod majori fide dignum sit, quam hæc morituri Polycarpi ultima precatio. Desumpta est ex Epistola fratrum Smyrnæorum, qui passionis B. Po-

[z] Pag. 29.

lycarpi testes oculati fuerunt, ad Philomelienses, rogantes ut cuncta, quæ in sanctissimi viri martyrio gesta fuerunt, sigillatim ad ipsos mitterentur. De qua Epistola nemo doctus hucusque dubitavit, nemo cum ratione dubitare poterit; quippe quæ jam ante Eusebii tempora in publicis martyrum actis lecta fuerit, ac genium, hoc est, puritatem doctrinæ, pietatem, simplicitatem quoque primorum Christianorum ubique spiret. Audi de his Polycarpi et Gallorum martyrum actis magni Josephi Scaligeri judicium [a]. "Eorum," inquit, "lectione piorum animus ita afficitur, ut nunquam satur inde recedat; quod quidem ita esse unusquisque pro captu suo et conscientiæ modo sentire potest. Certe ego nihil unquam in historia ecclesiastica vidi, a cujus lectione commotior recedam, ut non amplius meus esse videar."

10. Sed male habuit Irenici auctorem (quicquid in contrarium obtendit) hocce illustrissimum Polycarpianæ fidei monumentum. Quod enim ait, hanc precationem Petavio SS. Trinitatem inde asserenti plus obesse quam prodesse, nescio qua fronte ab ipso dictum sit. Imo, inquit, manifeste in ea Polycarpus Patrem tantum Jesu Christi Deum verum et omnium Conditorem appellat, eumque per Filium, quem Sacerdotem tantum nominat, invocat; ac denique ita loquitur, ut solum Patrem pro summo Deo agnovisse videatur. Sed cramben hic decies recoctam apponit nobis ad nauseam usque hæreticus. Fatemur, fatemur ultro, Patrem solum esse aliquo respectu summum Deum, nempe quia, ut loquitur Athanasius, πηγὴ θεότητος, *fons Deitatis* ipse sit, hoc est, solus a seipso Deus, a quo divinitatem suam

[a] Animadvers. in Euseb. Chron. num. 2183.

accipiant Filius et Spiritus Sanctus; atque eadem de causa appellationem *veri Dei* Patri sæpius, tum in sacris literis tum in veterum scriptis, præsertim quoties divinæ Personæ simul nominantur, proprie tribui. Interim constanter iidem asserimus, Filium esse lumen ex lumine, Deum ex Deo, adeoque Deum verum ex Deo vero, cum Patribus Nicænis. Quorum etiam fidei Confessionem pari ratione potuisset anonymus sententiæ de Filii divinitate et SS. Trinitate opponere; ita enim illi suum illud symbolum exordiuntur; " Credimus in unum Deum, Patrem " omnipotentem, omnium tam visibilium quam in- " visibilium Factorem." Sed et operæ pretium est, verba Polycarpi in precationis initio, quæ Irenici auctori visa sunt tantopere suæ hæresi favere, hic lectori exhibere; ita se habent; Ὁ τοῦ ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ Πατὴρ, δι' οὗ τὴν περὶ σὲ ἐπίγνωσιν εἰλήφαμεν· ὁ Θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων καὶ πάσης τῆς κτίσεως· κ. λ. " Pater dilecti et benedicti " Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam ac- " cepimus; Deus angelorum, potestatum, et uni- " versæ creaturæ, &c." Dico mentem ipsi totam caligare, qui non videt, his verbis Socinianam adeoque Arianam hæresim jugulari. Docet enim hic Polycarpus, Deum Patrem quidem esse benedicti sui Filii; angelorum vero, potestatum, atque omnis creaturæ Deum, scil. Conditorem; ut manifestissime distinguat ac longe separet benedictum Dei Filium ab angelis, potestatibus, atque universo rerum creatarum ordine, adeoque ipsum creaturarum censu eximat, ac Deum prorsus aliam σχέσιν ad benedictum Filium suum, aliam ad angelos reliquarumque creaturarum gregem habere doceat. Addas, quod epitheton εὐλογητὸς, quod hic Filio Dei tribuit Poly-

carpus, a veteribus Judæis proprie usurpatum fuit in celebratione divini nominis; utpote quibus in εὐλογίαις suis solennis erat formula ברוך השם, ut eruditi satis norunt. Et hos imitati sunt N. T. scriptores, quoties de Personis divinis religiosius loqui, eorumque summam gloriam ac majestatem clarius celebrare voluerunt; cônfer Marc. xiv. 61. Luc. i. 68. Rom. i. 25. et ix. 5. 2 Cor. xi. 31. Eph. i. 3. 1 Pet. i. 3. cum Gen. ix. 26. et xiv. 20. et xxiv. 27. &c. Falsum est igitur, quod ait anonymus, Polycarpum hic Christum tantum Sacerdotem nominare; proinde frustra quoque idem est, cum mox observat, Christo tributum *Pontificis* titulum hominem denotare: esto enim, quid inde consequetur? nempe Christum etiam hominem esse, quod nos firma fide credimus. Itaque titulus ἀρχιερέως hominis Filium denotet: at certe titulus τοῦ παιδὸς Θεοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ, τοῦ εὐλογητοῦ, plus quam hominem sonat; præsertim ubi talis dilecti et benedicti Filii Dei descriptio adhibetur, quæ ipsum illum Filium extra et supra creaturarum sortem ponat.

11. Cæterum prorsus festivum est, quod Petavio 55
objicit hæreticus[b], scil. *Precationem Polycarpi ab illo prolatam esse longe aliter atque a Sculteto in Medulla Theologiæ Patrum*, XI. 1. Grave profecto crimen! quasi non recte fecerit Petavius, qui precationem istam iisdem plane verbis, quibus a fratribus Smyrnæis in Epistola sua apud Eusebium tradita est, protulerit? Quid, quod Scultetus in loco citato Polycarpi precationem non totidem verbis recitat, sed tantum ejus sensum summatim tradit? Sed tum ex hoc, tum ex aliis multis indiciis recte conjeceris, anonymum illum pleraque veterum testimo-

[b] Irenic. p. 30.

nia, quæ in Irenico suo accumulavit, haud propria industria ex ipsis hausisse fontibus; sed ex Sculteto, Petavio, aliisque in suum librum transcripsisse. Ut omnium ipse bipedum ineptissimus fuerit, qui susciperet, *vera primæ antiquitatis fideique primorum Christianorum monumenta orbi Christiano, clarius quam unquam antehac, ob oculos ponere:* quod in splendido illo titulo[c], quem tertio normæ suæ reconciliatricis, quam vocat, membro præmittit, a se præstitum esse stultissime gloriatur.

12. Verum tandem aliquando quid ex δοξολογίᾳ, qua finitur Polycarpi precatio, ad Filii divinitatem, adeoque ad Trinitatem ὁμοούσιον confirmandum colligi possit, dispiciamus. Asserimus, trium in eandem formulam ac communionem gloriæ complexionem naturæ ac divinitatis unitatem, atque eo respectu æqualitatem personarum significare. Verissime enim Athanasius de formula baptismi agens Orat. III.[d] contra Arianos: Ποία γὰρ κοινωνία τῷ κτίσματι πρὸς τὸν κτίστην; ἢ διὰ τί τὸ πεποιημένον συναριθμεῖται τῷ ποιήσαντι; i. e. "Etenim quæ potest esse creaturæ cum Creatore so-"cietas et communio? aut cur quod factum est cum "Factore connumeratur?" Præclare etiam Gregorius Nazianzenus Orat. XIII.[e] Τριὰς ὡς ἀληθῶς ἡ τριὰς, ἀδελφοί· τριὰς δὲ οὐ πραγμάτων ἀνίσων ἀπαρίθμησις· ἢ τί κωλύει καὶ δεκάδα, καὶ ἑκατοντάδα, καὶ μυριάδα ὀνομάζειν, μετὰ τοσούτων συντιθεμένην; πολλὰ γὰρ τὰ ἀριθμούμενα, καὶ πλείω τούτων· ἀλλ' ἴσων καὶ ὁμοτίμων σύλληψις. i. e. "Trinitas vere "Trinitas est, fratres; Trinitas autem non est in-"æqualium rerum enumeratio; (quid enim alioqui "prohibeat, quin et decadem, et centuriam, et my-

[c] Irenic. p. 13.

[d] [Orat. II. 41. vol. I. p. 508.]

[e] Pag. 211. ed. Par. 1630. [Orat. XXIII. 10. p. 431.]

" riadem nominemus, si cum tot numeris compona-
" tur? multa quippe, multoque plura his in nume-
" rum cadunt;) sed æqualium et honore parium
" complexio." Ac sane si in Christianorum δοξολογίαις Deo Patri adjungerentur Filius et Spiritus Sanctus, non tanquam ipsi ὁμοούσιοι, sed tantum ut creaturæ excellentiores, cur non in iisdem et aliæ præcellentes creaturæ suo ordine connumerentur? cur non dicamus, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et Michaeli, cæterisque archangelis et angelis? Atque ita scilicet pro legitima tandem habenda erit blasphema pontificiorum formula, *Laus Deo Deiparæque Virgini.* Sed longe aliter edocti fuerunt apostolorum discipuli.

13. Expendamus quæ contra hæc adferat Irenici auctor. Primo cavillandi ansam inde arripit, quod in hac formula Polycarpus non dicat *cum Spiritu Sancto*, vel *et Spiritui Sancto*, sed *in Spiritu Sancto.* " Imo vero," inquit, " phraseologia *in Spi-*
" *ritu Sancto* nullam adhuc complexionem in unam
" gloriæ communionem denotat. Nam et Ephes. vi.
" 18. in spiritu orare docemur, sine ulla æqualitatis
" Spiritus cum Patre nota." Sed quid est, si non hoc sit, in re seria ludere atque aperte sophistam agere? phrasi in loco ad Ephesios, *in spiritu*, non significatur Spiritus Sanctus, sed spiritus noster, gratia quidem Spiritus Sancti adjutus: ut idem sit *in spiritu orare*, quod in eadem Epistola *in corde*, hoc est, sincero cordis affectu, cap. v. 19. Sed vel hinc suspicor, anonymum in numero eorum esse Pneumatomachorum, qui Spiritus Sancti non modo divinitatem, sed et personalitatem, ut loquuntur, negant. Verum quicquid hesternus ille homuncio de Spiritu S. sentiat, certum est B. Polycarpum et ca-

tholicos, qui ipsi *σύγχρονοι* fuere, credidisse, Spiritum S. esse personam a Patre et Filio distinctam, eamque divinam, hoc est, ejusdem majestatis, imperii, atque honoris cum Patre ac Filio consortem. En testimonium hujus rei omni exceptione majus, Confessio nempe fratrum Smyrnæorum, qui certe et Polycarpi et catholicæ ejus temporis ecclesiæ sensum optime calluerunt. Sic enim illi Epistolam suam de Polycarpi martyrio claudunt[f]: *Ἐρρῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοὶ, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ' οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν. κ. λ.* i. e. "Optamus "vos, fratres, in Domino valere, inhærentes præcep-"tis et evangelio Jesu Christi; cum quo gloria et "honos Deo Patri et Sancto Spiritui, ob salutem "sanctorum electorum." Ubi Spiritui sancto, una cum Patre ac Filio, divina gloria atque honos diserte tribuitur; nec magis aperte Filius a Patre, quam Spiritus Sanctus ab utroque distinguitur. Huic autem plane gemina est *δοξολογία* comitum Ignatii sub finem Act. Martyr. S. Ignatii: "Glorificantes in "ipsius (Ignatii) venerabili et sancta memoria Do-
56 "minum nostrum Jesum Christum: per quem et "cum quo Patri gloria et potentia cum Spiritu "Sancto in sancta ecclesia in sæcula sæculorum, "Amen." Ubi et obiter observabis, de Filio usurpari utramque formulam *per quem*, et *cum quo*, quemadmodum et in Polycarpi precatione: cujus rei ratio supra a nobis reddita est. Cæterum veteres in *δοξολογίαις* non modo *cum Spiritu Sancto*, sive *et Spiritui Sancto*, sed nonnunquam etiam *in Spiritu Sancto* ideo usurpasse mihi videntur, ut significa-

[f] Vid. Valesii notas ad Euseb. p. 73. [p. 171.]

rent, Spiritum Sanctum, quatenus a Patre et Filio, sive a Patre per Filium procedit, amborum esse communionem et unitatem, adeoque quasi vinculum sanctissimæ Trinitatis, quomodo et a veteribus nonnullis diserte appellatur [g]. Quod clarius exprimitur in formula illa perantiqua, qua dicitur, *Gloria Patri et Filio in unitate Spiritus Sancti.* Hinc antiquissimus scriptor Athenagoras in Legat.[h] pro Christianis dicit Patrem et Filium unum esse ἑνότητι Πνεύματος, *unitate Spiritus.* Synesius in hymnis suis mysterium eleganter exprimit non uno in loco. e. g. In hymno tertio Spiritum Sanctum sic alloquitur:

Ὅρος εἶ φυσέων, *Terminus es naturarum,*
Τᾶς τικτοίσας, *Parientis,*
Καὶ τικτομένας. *Et partæ.*

Et in hymno quarto, postquam laudes Dei Patris et Filii celebraverat, deinde canit:

Μεσάταν ἀρχὰν, *Medium principium,*
Ἁγίαν πνοιὰν, *Sanctum Spiritum,*
Κέντρον γενέτου, *Centrum Genitoris,*
Κέντρον δὲ κόρου. *Centrum etiam Filii.*

14. Sed ad Irenici auctorem redeo, qui sic porro cavillari pergit: "Præterea antiquiores Filium qui- "dem cum Patre et Spiritu S. laudarunt simul, nec "tamen (quod hic nunc fuse monstratur, et mox "quoque in Justino Martyre et aliis monstrabitur) "vel Filium vel Spiritum S. Patri æqualem statue- "bant aut credebant; imo Spiritum S. ne Deum "quidem dicere audebant." Respondeo: De æqualitate personarum, (de Patre ac Filio loquor,) quid antiquiores senserint, infra ad sectionem quartam

[g] Vid. Petav. de Trin. VII. 12. 8. [h] Pag. 10. [§. 10. p. 287.]

fuse monstrabimus; ubi manifestum faciemus, nullam aliam personarum Patris et Filii inæqualitatem statuisse antiquiores illos, quam quæ a Patribus, qui post Nicænam synodum floruere, a catholicis hodiernis, adeoque ab ipsis scholasticis agnoscitur. Illud interim certum est, Patres trium primorum sæculorum universim docuisse, Filium ejusdem naturæ cum Patre esse, adeoque verum Deum; neque sub alio conceptu ipsum una cum Deo Patre glorificasse. Hoc de auctore Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, Herma, Ignatio, ac Clemente Romano jam probavimus; id nunc de Polycarpo ostendimus; ac denique idem de Justino Martyre aliisque omnibus Patribus, qui concilium Nicænum antecessere, sigillatim in hac sectione demonstrabimus. Ad Spiritum S. autem quod attinet, obiter in hoc opere ostendemus, eosdem antiquiores Patres etiam τὸ ὁμοούσιον ipsius, et consequenter divinitatem agnovisse; imo ab eorum nonnullis Spiritum S. *Deum* diserte nominari.

15. Tandem hæreticus, quomodo Christum divino cultu prosequi teneamur, qui tamen natura sua purus putus homo sit, explicare aggreditur. "Scilicet," inquit, "et angeli quidem et homines Christum homi-
" nem adorare, et secundum divinam prædictionem
" Jer. xxx. 9. Ezek. xxxiv. 23, 24. juxtim cum Deo
" colere et glorificare tenentur, sed tamen ut servum
" et legatum Dei, dominumque factum. Confer
" Phil. ii. 9, 10, 11. Act. ii. 36." Quibus respondeo: Christum in Scripturis adorandum proponi, non tantum ut servum et legatum Dei, qui postmodum dominus factus fuerit; sed ut Filium Dei ante sæcula ex Patre genitum: qui, ista quidem legatione ex infinita sua erga humanum genus charitate suscepta, novo quasi titulo sibi promeruerit divinum honorem

ipsi ab hominibus exhibendum, sive novo et stupendo beneficio homines obstrinxerit ad sui cultum et obsequium. Certe in loco illo ad Philippenses, (quem præcipue venditant anonymus ejusque gregales,) qui post mortem summe a Deo exaltatus dicitur, idem ante assumptam servi formam, hoc est, (Paulo se interpretante,) antequam fuerit homo factus, in forma Dei substitisse, Deoque æqualis fuisse ostenditur. Plane autem insulsa esse commenta, quibus ejus loci vim eludere conantur sive Ariani sive Socinistæ, perspiciet facile, quisquis totius loci contextum accurate expenderit. Sic in Epistola ad Hebræos i. 2, 3. qui, purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta, sedit ad dextram Majestatis in excelsis, idem Filius Dei dicitur, per quem condita fuere sæcula, et splendor gloriæ Paternæ, qui verbo suo potenti omnia sustineat. Humanam autem Christi naturam, pro suo captu, in societatem gloriæ et honoris cum divina Filii Dei persona venisse non diffitemur. Scilicet hoc manifeste docet Paulus; hoc idem docet auctor Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, cum ait, Christum voluisse vas Spiritus sui glorificari, ut supra[i] observavimus. Neque aliud vult Hermas, cum in loco itidem superius laudato dicit, servum, hoc est, Christum hominem, ob bonum opus quod præstiterat, Filio Dei cohæredem factum esse. Qui etiam Hermæ locus anonymi commentum penitus evertit. Nam ibi apertissime distinguitur honos ille divinus, quem Christus ut Dei Filius, (nempe ipso Herma interprete,) ante creaturas omnes existens, prius apud Patrem habuit, ab honore illo, qui Christo servo, hoc est, homini, qui ad 57

[i] Hujus sect. 2. 3. [p. 109.]

mortem usque crucis obediens factus est, post mortem mercedis loco retributus fuit. Interim humana Christi natura post mortem exaltata divini imperii atque honoris particeps facta est, non per se, sed ratione hypostasis verbi, a qua illa sustentatur, et cui unita est: ut honos iste proprie in personam terminetur, non in naturam; adeoque manifestum sit, dum humanitas Christi adoratur, non ita adorari creaturam, quin proprie tendat actus ille in Creatorem, qui naturam creatam sibi in unitate personæ copulavit. Optime hanc rem explicat vere magnus Athanasius in Epistola ad Adelphium episcopum contra Arianos, his verbis[k]: Οὐ κτίσμα προσκυνοῦμεν, μὴ γένοιτο· ἐθνικῶν γὰρ καὶ Ἀρειανῶν ἡ τοιαύτη πλάνη· ἀλλὰ τὸν Κύριον τῆς κτίσεως σαρκωθέντα τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον προσκυνοῦμεν. εἰ γὰρ καὶ ἡ σὰρξ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν μέρος ἐστὶ τῶν κτισμάτων, ἀλλὰ Θεοῦ γέγονε σῶμα· καὶ οὔτε τὸ τοιοῦτον σῶμα καθ' ἑαυτὸ διαιροῦντες ἀπὸ τοῦ λόγου προσκυνοῦμεν, οὔτε τὸν λόγον προσκυνῆσαι θέλοντες μακρύνομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς σαρκός· ἀλλ' εἰδότες, καθὰ προείπομεν, τὸ, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, τοῦτον καὶ ἐν σαρκὶ γενόμενον ἐπιγινώσκομεν Θεόν. i. e. "Creaturam non adoramus, absit; in ethnicos "enim et Arianos competit istiusmodi delirium; sed "Dominum rerum creatarum, incarnatum Verbum "Dei adoramus. Nam tametsi caro per se pars sit "rerum creatarum, tamen Dei corpus effecta est; "neque istiusmodi corpus seorsum discriminatum a "Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum "adoraturi ipsum a carne longe seponimus: sed "cum sciamus, ut dictum est, *Verbum carnem esse* "*factum*, illud jam in carne existens Deum agnosci-"mus." Et postea in eadem Epistola[l]: Γινωσκέτωσαν

[k] Tom. I. p. 157. [vol. I. p. 912. §. 3.]

[l] Pag. 160. [§. 6. p. 915.]

ὅτι τὸν Κύριον ἐν σαρκὶ προσκυνοῦντες οὐ κτίσματι[1] προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τὸν κτίστην ἐνδυσάμενον τὸ κτιστὸν σῶμα. i. e. "Cognoscant," scilicet Ariani, "nos qui Dominum "in carne adoramus, non creaturam adorare, sed "Creatorem corpore creato indutum." Denique Epistolam claudit his verbis notatu dignissimis[m]: Ἡ πίστις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας κτίστην οἶδε τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων· καὶ οἴδαμεν ὅτι ἐν ἀρχῇ μὲν ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. γενόμενον δὲ αὐτὸν καὶ ἄνθρωπον διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν προσκυνοῦμεν, οὐχ᾽ ὡς ἴσον ἐν ἴσῳ γενόμενον τῷ σώματι, ἀλλ᾽ ὡς δεσπότην προσλαβόντα τὴν τοῦ δούλου μορφὴν, καὶ δημιουργὸν καὶ κτίστην ἐν κτίσματι γενόμενον· ἵν᾽ ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἐλευθερώσας τὸν κόσμον προσαγάγῃ τῷ Πατρὶ, καὶ εἰρηνοποιήσῃ τὰ πάντα, τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. οὕτω γὰρ καὶ τὴν πατρικὴν αὐτοῦ θεότητα ἐπιγινώσκομεν, καὶ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν προσκυνοῦμεν, κἂν Ἀρειομανῖται διαῤῥηγνύωσιν ἑαυτούς. i. e. "Fides catholicæ ecclesiæ Verbum Dei "Conditorem et Opificem rerum omnium agnoscit; "et certo scimus, in principio fuisse Verbum, et "Verbum fuisse apud Deum; illudque ipsum Ver- "bum, hominem factum nostræ salutis gratia, ado- "ramus; non ut parem in pari corpore, sed ut Do- "minum in assumpta servi forma, et Opificem Con- "ditoremque in re condita existentem; ut in ipsa "omnia in libertatem vindicans mundum Patri re- "conciliaret, omniaque pacificaret, quæ in cœlis et "quæ in terris sunt. Ita enim et Deitatem ejus ex "Patre oriundam cognoscimus, et præsentiam ejus "in carne adoramus, rumpantur licet Ariomanitæ."

16. Ad Polycarpum et fratres Smyrnæos revertor. Constat ipsos Christum una cum Deo Patre glorifi-

[1] [Ita legit post alios omnes etiam editor Benedictinus: sed corrigendum est κτίσμα τι.]

[m] Pag. 161, 162. [p. 916.]

casse, non ut servum, qui postea Dominus factus fuerit, sed ut παῖδα ἀγαπητὸν, εὐλογητὸν, τὸν μονογενῆ τοῦ Πατρός· quod Epistolam Smyrnæorum legenti facile patebit. Istis autem titulis divinam Filii naturam, gloriam ac majestatem significari, ex consensu veteris ecclesiæ ex parte jam ostendimus, atque plenius alibi demonstrabimus. Sed et Smyrnæi rationem reddentes, cur cum Christum hominem eumque crucifixum adorarent, martyres tamen Christi passionem imitantes non colerent, sic de Christo diserte respondent, Τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν. i. e. "Hunc utpote Dei Filium" (non ut merum hominem) "veneramur." Mox (utinam attendant pontificii) de martyribus addunt, Τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον. i. e. "Martyres autem tanquam dis-"cipulos atque imitatores Domini merito amore "prosequimur, propter incredibilem eorum benevo-"lentiam erga Regem ac Magistrum suum." Præterea iidem Smyrnæi Spiritui etiam Sancto, ut vidimus, una cum Deo Patre honorem divinum adscribunt. Quæro, qua ratione? an ut Domino facto? sed dicat nobis Irenici auctor, quando et quomodo Spiritus Sanctus e servo Dominus factus fuerit? An ut Spiritui creato cæteris spiritibus sive angelis excellentiori? sed omnes fatentur, cultum divinum nulli creaturæ per se, sit ea licet excellentissima, deberi. Ad hæc sacræ literæ ubique clarissime docent [n], Spiritum S. in ipso Deo subsistere, ejusque mentem et arcana omnia intime cognita ac perspecta habere, ubique præsentem esse, &c. neque

[n] Vide imprimis 1 Cor. ii. 10, 11.

vel unum iota uspiam tradiderunt, ex quo ipsum in rerum creatarum censu collocari suspiceris. Unde maxima semper et sagacior Pneumatomachorum pars satius existimarunt, Spiritus Sancti ipsam per- 58
sonalitatem rotunde negare, atque asserere nihil aliud illum esse quam ipsius Dei Patris virtutem et potentiam, neque ab eo distingui, quam creaturam ipsum esse, contra tot ac tam luculenta Scripturæ testimonia, affirmare. Sed et frustra illi sunt; nam in Scripturis Spiritus Sanctus haud minus clare a Deo Patre discriminatur, quam ipse Filius; (quod, si res ista nunc ageretur, demonstratu perfacile esset;) et universa ecclesia catholica Spiritum Sanctum distinctam a Patre personam esse semper credidit et docuit. Reliquum est igitur, ut fateamur veteres Christianos Spiritum Sanctum adorasse sub hoc conceptu, quod sit Dei Spiritus, in ipso Deo subsistens, adeoque Deus ipse; a Deo tamen, cujus est Spiritus, persona distinctus. Quod si verum est, ut est verissimum, sequetur eosdem veteres Filium aut tanquam natura Deum adorasse, aut Spiritui Sancto inferiorem existimasse; major enim procul dubio est honoris prærogativa, coli ut natura Deum, quam ut Deum ac Dominum factum. Filium autem Spiritui Sancto inferiorem esse nemo catholicorum unquam somniavit; scilicet in Scripturis, Spiritus S. a Filio mitti ac sua ab eodem Filio accepisse dicitur; atque in omnibus veterum δοξολογίαις, in quibus personæ divinæ suo ordine enumerantur, Filius δευτέραν, Spiritus vero S. τρίτην χώραν seu τάξιν sortitur, ut cum Justino loquar.

17. Hoc sane invictissimum est divinitatis Christi argumentum; atque ita judicarunt veteres. Sic enim Novatianus, sive auctor libri de Trinitate inter opera

Tertulliani cap. 24:[o] " Si homo," inquit, " tantum-
" modo Christus, quomodo Paracletum dicit de suo
" esse sumpturum, quæ nuntiaturus sit? neque enim
" Paracletus ab homine quicquam accipit, sed ho-
" mini scientiam Paracletus porrigit; nec futura ab
" homine Paracletus discit, sed de futuris hominem
" Paracletus instruit. Ergo aut non accepit Para-
" cletus a Christo homine quod nuntiet, quoniam
" Paracleto homo nihil poterit dare, a quo ipse homo
" debet accipere, et fallit in præsenti loco Christus
" et decipit, cum Paracletum a se homine acceptu-
" rum, quæ nuntiet, dicit; aut non nos fallit, sicut
" nec fallit, et accepit Paracletus a Christo, quæ
" nuntiet. Sed si a Christo accepit quæ nuntiet,
" major ergo jam Paracleto Christus est; quoniam
" nec Paracletus a Christo acciperet, nisi minor
" Christo esset; minor autem Christo Paracletus,
" Christum etiam Deum esse hoc ipso probat, a quo
" accepit quæ nuntiat. UT TESTIMONIUM CHRISTI
" DIVINITATIS GRANDE SIT, dum minor Christo
" Paracletus repertus ab illo sumit quæ cæteris
" tradit." Ubi quod dicit minorem esse Filio Spiritum S. eodem plane modo intelligendum, quo Filii subordinationem, ad Patrem relati, infra ad sectionem quartam explicabimus; ita scilicet, ut Spiritus S. dicatur Filio minor, non naturæ, sed originis respectu, quia nempe a Patre per Filium deducitur, ut loquitur Tertullianus adversus Prax. cap. 4.[p] ac proinde sua omnia a Patre per Filium accipit, ut dicit Novatianus[q]. Eam autem Spiritus Sancti sub-

[o] [Pag. 722.] [p] [Pag. 502.]

[q] Sic et auctor Constitutionum VI. 11. ait, unum esse Deum ἑνὸς υἱοῦ Πατέρα· ἑνὸς παρακλήτου διὰ Χριστοῦ. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Ablabium tom. II. p. 459, [vol. III. p. 27.] quo-

ordinationem Tertullianus in eodem libro (nempe cap. 8.[r]) clarius explicat his verbis; " Tertius enim " est Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice " fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flu- " mine, et tertius a sole apex ex radio. NIHIL TA- " MEN A MATRICE ALIENATUR, A QUA PROPRIE- " TATES SUAS DUCIT; ita Trinitas per consertos " et connexos gradus a Patre decurrens et monar- " chiæ nihil obstrepit, et οἰκονομίας statum protegit." Ubi ita Spiritum Sanctum tertium a Patre et Filio statuit, ut interim aperte fateatur, ipsum ejusdem cum Patre ac Filio essentiæ ac naturæ esse, neque a Patris divinitate ullatenus alienari. Si quis autem suspicetur, solos Patres Antenicænos hac ratiocinatione usos fuisse, sciat is, etiam doctores ecclesiæ probatissimos, qui post Nicænam floruere synodum, eodem argumento Filii divinitatem adstruxisse; quod abunde confirmare potuissem, si instituti ratio istiusmodi παρέκβασιν admitteret. Sufficiat hic duo adduxisse testimonia duorum Patrum, qui Fidei Nicænæ extra controversiam tenacissimi fuere. Athanasius Orat. II.[s] advers. Arian. Τοῖς δὲ μαθηταῖς τὴν 59

modo ex eodem principio, Deo Patre, diversa ratione oriantur Filius et Spiritus Sanctus, sic declarat; τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. Cyrillus lib. 1. de Adorat. Ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα. Vide et ejusdem Epist. ad Regin. Damascenus lib. I. de Fid. Orthod. cap. 18. [cap. 12. vol. I. p. 148.] Καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ' ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. Hilarius lib. XII. [§. ult. p. 1144.] de Trinitate; " Conserva hanc, oro, fidei meæ incontaminatam " religionem, ut quod in regenerationis meæ symbolo—professus " sum, semper obtineam, Patrem scilicet te nostrum, Filium " tuum una tecum adorem, Sanctum Spiritum tuum, qui ex te " per unigenitum tuum est, promerear."

[r] [Pag. 504.] [s] [Orat. I. 50. vol. I. p. 454.]

θεότητα καὶ τὴν μεγαλειότητα δεικνὺς ἑαυτοῦ, οὐκέτι δὲ ἐλάττονα τοῦ πνεύματος ἑαυτὸν, ἀλλὰ μείζονα καὶ ἴσον ὄντα σημαίνων, ἐδίδου μὲν τὸ πνεῦμα, καὶ ἔλεγεν, Λάβετε τὸ πνεῦμα ἅγιον. καὶ, Ἐγὼ αὐτὸ ἀποστέλλω· κἀκεῖνος ἐμὲ δοξάσει. i. e. "Discipulis vero divinitatem et magnitudinem suam "ostendens, non jam amplius minorem se Spiritu, "sed majorem esse et æqualem[t] significans, dabat "quidem Spiritum, et dicebat, *Accipite Spiritum* "*Sanctum*; et, *Ego illum mitto; et ipse me glorifi-* "*cabit.*" Augustinus in libro XV. de Trinitate, cap. 26.[u] "Quomodo," inquit, "Deus non est, qui dat "Spiritum Sanctum? imo quantus Deus est, qui "dat Deum?" Atque hæc de Polycarpi precatiuncula et fratrum Smyrnæorum εὐλογίᾳ· quæ ideo fusius persecutus sum, ut omnes intelligant, quam antiqua ac plane apostolica sit δοξολογίας formula, quæ hodieque in ecclesia catholica usurpatur, "Gloria "Patri et Filio et Spiritui Sancto;" quamque firmum sit ipsa ac fixum, adversus omnes hæreticorum machinas, traditionis apostolicæ, de ὁμοουσίῳ Trinitate, monumentum munimentumque.

18. Ad Polycarpum vero quod attinet, duo præterea (mantissæ loco) addam, ex quibus quantum ipse tum a Samosateniana, tum ab Ariana, de Filio Dei sententia abhorruerit, manifestius adhuc fiet. Primo si Polycarpi fidem de Filio Dei aves scire, Irenæum consulas, qui in adolescentia apostolici viri diligentissimus auditor fuit; quique ejus sermones (eos imprimis, quibus exposuit quid de Domino Jesu ab apostolis acceperat,) jam senex firmiter memoria tenuit; qui denique vigentes sua ætate hæreses ex analogia Polycarpianæ fidei, Deo etiam de

[t] Majorem κατ' αἰτίαν, æqualem κατὰ φύσιν. [Verba μείζονα καὶ omittit ed. Benedict.]

[u] [Vol. VIII. p. 999.]

veritate traditionis teste invocato, refutare potuit; ut ipse testatur in fragmento Epistolæ ad Florinum, quod apud Eusebium extat Eccles. Hist. V. 20; ut a vero absimillimum adeoque prorsus incredibile sit, Irenæum aut Polycarpi sententiam de primario Christianismi capite ignorasse, aut ab ipsa cognita vel latum unguem recedere voluisse. Jam ausim affirmare, neminem ex Fidei Nicænæ assertoribus (non ipsum Athanasium excipio) de Filio Dei uspiam magnificentiora, aut adversus Arianam blasphemiam expressiora protulisse eis, quæ Irenæus de eodem Filio Dei scriptis prodidit. Hoc unum demo, quod Irenæus ipsa ὁμοουσίου voce non utatur. Haud temere a me hæc dicta esse fatebitur, quisquis ea, quæ tum in hac, tum in sequenti sectione ex Irenæo adducemus, attente legerit. Alterum, ex quo Polycarpi fidem ac sententiam de Filio Dei certo colligere licet, illud est; testatur Eusebius[x] Polycarpum in sua ad Philippenses Epistola commendasse ipsis Ignatii Epistolas tanquam lectu dignissimas, et quæ περιέχουσι πίστιν καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. i. e. "Fidem, patientiam, "et omnem ædificationem, ad Dominum nostrum "pertinentem, continent." Universam igitur Ignatianarum Epistolarum doctrinam suo comprobavit suffragio Polycarpus. Jam in septem Ignatii Epistolis, a Vossio editis, (quas easdem esse cum Polycarpiana Sylloge Eusebio cognita nemo sanus negaverit,) vera Servatoris nostri divinitas sæpius atque apertissime traditur, quemadmodum supra ostendi.

Atque hactenus doctorum ecclesiæ, qui ab ipsis apostolis viva voce edocti fuerunt, fidem ac sententiam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ explicavimus.

[x] Eccles. Hist. III. 36.

60

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. III. §. 3. SEQQ.

DE CLEMENTE ROMANO.

1. ZWICKERO temere effutienti, Clementem R. in Epist. 1. ad Corinthios vix aliam quam humanam naturam in Christo agnovisse, doctissimus auctor §. 3. hujus cap. opponit illud, quod τὰ μεγαλεῖα τῶν δωρεῶν, "magnifica illa "dona," quæ Abrahami familiæ propter ipsius fidem a Deo concessa erant describens S. Clemens §. 32. scripserit, Ἐξ αὐτοῦ ὁ Κύριος Ἰησοῦς τὸ κατὰ σάρκα, "Ex illo Dominus Je- "sus, quod ad carnem attinet." Ubi illa restrictione, τὸ κατὰ σάρκα, aliam in Christo naturam, præter humanam sive carnem, quam ex Abrahami lumbis traxit, manifeste indicari, optime animadvertit. Atqui hanc observationem haud parum exinde confirmari puto, quod Clemens episcopus Romanæ ecclesiæ, hujusque nomine ad Corinthios scribens, dictam restrictionem utique desumpsisse, imo descripsisse videatur ex S. Pauli Epist. ad Romanos ix. 5. Ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, *Ex quibus Christus secundum carnem.* Jam sicut ibi mox divinæ ejus naturæ mentio, quasi pro ratione præcedentis limitationis, subjungitur his verbis, Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *Qui est super omnia Deus benedictus in secula;* ita et Clementem, eadem Pauli limitatione usum, sequentia quoque ejus verba de Christi Deitate in animo habuisse, mihi nullum est dubium. Nam et alia Paulinæ ad Romanos Epistolæ dicta Clemens mutuatus aut saltem imitatus est. Unicum exempli gratia adduco versum (ult. cap. primi) in Clementina Epist. §. 35.[x] sic expressum: Ταῦτα γὰρ οἱ πράσσοντες στυγητοὶ τῷ Θεῷ ὑπάρχουσιν· οὐ μόνον δὲ οἱ πράσσοντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες αὐτοῖς. Unde, ut obiter id moneam, controversia de varia apostolici istius commatis lectione facile determinatur; siquidem S. Clemens procul dubio ipsum Epistolæ Pauli autographum[y],

[x] [p. 168.]

[y] [Respicit Grabius Tertulliani verba, *de Præscript. Hæret.* 36. p. 215, ubi de *authenticis apostolorum literis* agitur: sed fallitur vir doctus.]

Tertulliani adhuc tempore in ecclesia Romana asservatum, in manibus habuit, indeque sua descripsit.

2. Sed quid, si in laudatis S. Clementis literis reperiatur locus, ubi Christus diserte *Deus* fuerit nominatus? Id quidem incredibile videri posset, non modo quod Photius cod. 126. notaverit, ὅτι ἀρχιερέα καὶ προστάτην τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξονομάζων, οὐδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἐφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς· "quod Pontificem Præsidemque Do-"minum nostrum Jesum Christum appellans, illas Deo "convenientes ac sublimiores de eo voces non protulerit" (Clemens); sed et quoniam nemo theologorum, quod sciam, hostibus Deitatis Christi talem hactenus objecit locum. Extat vero is, licet non primo intuitu appareat, §. 2. hujus Epistolæ, ubi Corinthii tali ornantur elogio: Τοῖς ἐφοδίοις τοῦ Θεοῦ ἀρκούμενοι, καὶ προσέχοντες τοὺς λόγους αὐτοῦ ἐπιμελῶς, ἐστερνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. "Dei viatico contenti, et ac-"curate attendentes sermonibus ejus, dilatati eratis in "visceribus, et passiones illius præ oculis vestris erant." Nota παθήματα αὐτοῦ, *passiones ejus*; ejus sane, cujus in proxime præcedentibus mentio facta, τοῦ Θεοῦ, *Dei*[y], qui alius esse nequit, nisi Jesus Christus, Filius Dei: quippe Deo Patri παθήματα nullo modo adscribi possunt. Neque hæc phrasis a fide apostolica et Clementis ævo aliena videri debet. Sicuti enim S. Paulus in sermone Ephesi habito Act. xx. 28. Deo ἴδιον αἷμα tribuit, ac post eum Ignatius iisdem Ephesiis scripsit mox ab initio[z]: Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ· "Imitatores existentes "Dei, excitando vos per sanguinem Dei;" ita et hic in Epist. ad Romanos ista habet verba tom. I. Spicilegii Patrum Seculi II. p. 17.[a] Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι πάθους τοῦ Θεοῦ μου, "Sinite me imitatorem esse passionis Dei "mei;" quomodo et vetus Vulg. legit, reddiditque, "Con-"cedite mihi, ut sim imitator passionis Dei mei." Tatianum, aliosque Patres Clemente recentiores, qui eadem 61
phrasi usi sunt, hic taceo.

3. Non me fugit conjectura Patricii Junii, ad hunc lo-

[y] [Ita ante Grabium observavit Coteler, ut monet Bowyer.

[z] [p. 12.] [a] [§. 6. p. 29.]

cum annotantis, pro *παθήματα* forte legendum *μαθήματα*. Verum ea merito rejicitur, quod textus citra ullam necessitatem ac manuscripti alicujus codicis auctoritatem sollicitetur, quodque alibi etiam in hac ipsa Clementis Epistola "passiones Christi ante oculos fidelium positæ" vel ponendæ dicantur. Sic §. 7. *Ἀτενίσωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἴδωμεν ὡς ἔστι τίμιον τῷ Θεῷ αἷμα αὐτοῦ, ὅ, τι διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκχυθὲν παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν.* "Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui, propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit." Similiter §. 21. *Τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, οὗ τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη, ἐντραπῶμεν.* "Dominum Jesum Christum, cujus sanguis pro nobis datus est, revereamur." Pergit vero ibi S. Clemens, nullo verbo interposito, hunc in modum: *Τοὺς προηγουμένους ἡμῶν αἰδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν, τοὺς νέους παιδεύσωμεν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου τοῦ Θεοῦ· τὰς γυναῖκας ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν διορθωσώμεθα, τὸ ἀξιαγάπητον τῆς ἁγνείας ἦθος ἐνδειξάσθωσαν* κ. λ. "Præpositos nostros revereamur, seniores nostros honoremus, juvenes doceamus disciplinam timoris Dei; uxores nostras ad id quod bonum est corrigamus, amabiles castitatis mores ostendant, &c." Quæ ideo hic recitavi, ut lector videat, quam exacte ea respondeant istis, quæ quatuor vel quinque lineis præcedunt comma de *παθήμασι Θεοῦ*[a], ante oculos Corinthiorum versantibus, ac ita sonant: *Ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις, νέοις τε μέτρια καὶ σεμνὰ νοεῖν ἐπετρέπετε· γυναιξίν τε ἐν ἀμώμῳ καὶ σεμνῇ καὶ ἁγνῇ συνειδήσει πάντα ἐπιτελεῖν παρηγγέλλετε·* κ. λ. "Subditi præpositis vestris, et honorem debitum senioribus vestris tribuentes, juvenibus, ut moderata et honesta cogitarent, mandabatis; mulieribus denuntiabatis, ut in inculpata et honesta atque casta conscientia peragerent omnia, &c." Cæcus sit, qui non parallelismum horum locorum primo intuitu observet, ac deprehendat, S. Clementem in priori Corinthios ob hæc tam egregia ante præstita laudare; in posteriori autem hortari, ut hæc priora opera, quæ reliquerant, modo repetant, et ad bonam

[a] [§. 1. p. 147.]

revertantur frugem. Cum itaque in hoc moneat, Dominum Jesum, cujus sanguis pro fidelibus effusus est, venerandum esse, in illo eos utique commendasse videtur, quod passiones incarnati Dei in mente ac debito pretio habuerint.

4. Progredior ad verba Clementis §. 16. quæ doctissimus auctor noster supra §. 4. [p. 136.] ad probandam divinam Christi majestatem adduxit, ejus vero adversarius, personatus scilicet Lucas Mellierus, adeo detorsit, ut Christum non modo merum hominem, sed et peccato obnoxium, licet non actu peccantem, fecerit. Quippe ex eo, quod Jesus Christus a Clemente dicatur non venisse ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανίας, καίτοι δυνάμενος, hanc infert conclusionem: "Hic "aperte fatetur, Jesum Christum, quanquam non venerit "in jactantia superbiæ et arrogantiæ, potuisse tamen ve- "nire in jactantia superbiæ, id est, potuisse peccare, si "voluisset. At qui talia de Christo asserit, eo ipso mani- "festissime negat, eum in unam personam cum summa "divinitate coaluisse, aut ex divina illa et humana natura "personaliter conjunctis constitisse; illa enim humanam "prorsus impeccabilem reddidisset." Qualem ista censuram mereantur, si falsa sint, ipse auctor in propriam condemnationem dictitat, dum mox addit: "Quemadmodum "blasphemus esset, qui Deum summum peccare posse di- "ceret, ita non minus esset blasphemus, qui talia de hu- "mana natura, divinæ individuo et personali nexu con- "juncta, effutiret." Quare ergo, miser homuncio, adeo temere ista effutivisti, imo vero publice scripsisti, in Christum blasphemus factus, ac servi ejus S. Clementis calumniator? neque enim hic scripsit, Christum ἐν ἀλαζονείᾳ et ὑπερηφανίᾳ venire, sicque peccare potuisse; sed illum non venisse ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας ac ὑπερηφανίας, id est, in strepitu et cum pompa tali, quali οἱ ἀλάζονες et ὑπερήφανοι in medium prodire solent. Atqui cum ejusmodi externo apparatu ac splendore venire potuisset Christus, si voluisset, nec tamen arrogantiæ crimen ideo incurrisset, aut per superbiam peccasset; sicuti non peccabit, quando olim venturus est, *formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, Esaiæ lxiii. 1. sive *cum venerit in majestate sua, et*

omnes angeli cum eo, quando sedebit super thronum majestatis suæ, Matth. xxv. 31. Quæ cum ita sint, non opus est, ut ista verba, καίπερ δυνάμενος, interpretemur, *quamvis potens sit;* aut cum Hieronymo paraphrastice reddamus, *cum possit omnia;* licet id non adeo absurdum sit, uti quidem Mellierus imaginatur. Inepta quoque est cavillatio, qua reverendum Bullum exagitat, de Christo scribentem, "quod in adventu suo se non ut *Sceptrum magnificentiæ* "*Dei gesserit.*" Verissime profecto, si recte interpreteris
62 *Sceptrum magnificentiæ Dei.* Isto enim regiam Christi potestatem, quam Pater illi dedit, ut nomine ejus, tanquam Rex super montem Sion constitutus, Judæis imperet, denotari, nullus Socinianorum, puto, negaverit. Atqui Judæis quibusdam accedentibus, *ut raperent eum, et facerent eum Regem, fugit,* Joan. vi. 15. ac tandem *abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti,* Luc. xix. 12. non autem in primo adventu accepit, *neque enim confestim regnum Dei manifestabatur, quia cives ejus oderant eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos,* ibid. vers. 11, et 14. Sed tædet diutius hisce immorari.

5. Ex secunda, quæ Clementi inscribitur, Epistola ad Corinthios, duo reverendus Bullus pro Deitate Christi testimonia allegavit §. 5. [p. 139.] ad quorum primum, quo nos jubemur ita de Jesu Christo sentire, ὡς περὶ Θεοῦ, *tanquam de Deo,* nil respondit adversarius, contentus forte apud se cogitasse, aliisque cogitandum reliquisse, quod auctor Epistolæ factum, sive potius fictum, Socinianorum Deum intellexerit. Posterius vero dictum in alium prorsus, quam verba primo intuitu lectori offerunt, sensum detorsit. Textus Græcus sic se habet: Ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ, κ. λ. Quem Patricius Junius ita Latine reddidit: "Jesus Christus Domi-"nus, qui nos servavit, cum primum esset Spiritus, caro "factus est;" at Mellierus hunc in modum vertendum, aut potius pervertendum, contendit: "Jesus Christus Do-"minus, qui nos servavit, qui quidem est primarius (seu "præcipuus) Spiritus, erat caro;" per *præcipuum Spiritum* scilicet *Christum hominem exaltatum* intelligens. Vi-

deamus autem, quomodo hanc suam interpretationem ac expositionem probatum eat: " Christum hominem exalta-
" tum," inquit, " in Herma, Clementi contemporaneo, *Spi-*
" *ritum* vocari vidimus." Respexit nimirum Hermæ similitudinem IX.[b] ubi Pastor ei ait, " Volo ostendere tibi,
" quæcumque Spiritus tibi ostendit, qui in effigie ecclesiæ
" locutus est tecum; ille enim Spiritus Filius Dei est." Verum hoc loco non Filius Dei, multo minus homo Christus Jesus, dicitur Spiritus; sed contra Spiritus, qui Hermæ apparuit, dicitur esse Filius Dei; quæ plane diversa esse nemo non videt. Imo vidit ipse Mellierus, ac proinde ubi p. 45. dixerat, " Potuit hic similitudine IX. Christum, Fi-
" lium Dei hominem, vocare Spiritum," huic expositioni diffisus, continuo addit, " aut potius illum Spiritum, qui
" lib. I. dicitur Hermam rapuisse, &c. vocare Filium Dei." Frustra itaque Hermam hanc in rem allegatum patet. Deinde vocem πρῶτον quod attinet, errat Mellierus, dum eam a Clemente in 1ª. ad Corinthios Epistola §. 47. pro *primario* seu *præcipuo* usurpatam putat. Quippe πρῶτον ibi non *præcipue*, sed *primum*, seu tempus præterlapsum significare, liquet omnino ex addito, ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου, *in principio evangelii*, seu evangelicæ prædicationis; nec non ex eo, quod ista, quam Clemens ibi indigitat, reprehensio Corinthiorum ob diversa in Petrum, Paulum, aliosve studia, 1 Corinth. i. 11. et seqq. non fuerit præcipuum, de quo Paulus ad Corinthios scripsit; siquidem alia majoris momenti in eadem Epistola continentur, veluti demonstratio resurrectionis fidelium, &c. In hac posteriori quidem Epistola §. 3. vocem πρῶτον *præcipue* verti posse concedo; sed contra §. 11. ea manifeste *primo* seu *prius* significat hisce in verbis: Λάβετε ἄμπελον· πρῶτον μὲν φυλλορροεῖ, εἶτα βλαστὸς γίνεται, κ. λ. *Sumite vitem; primo quidem foliis defluit, deinde germinat.* Pendet itaque lis inter Junium et Mellierum, ac licet mihi pari jure pro illo dicere, quod ὂν τὸ πρῶτον πνεῦμα recte vertatur, *cum primum esset Spiritus*, ac Mellierus dixit, τὸ πρῶτον πνεῦμα *præcipuum Spiritum* commodissime denotare posse; sed addit, *imo*

[b] [Init. p. 114.]

debet. Sit ita: posito, non tamen concesso, τὸ πρῶτον πνεῦμα hic denotare *præcipuum Spiritum;* unde vero *Christum hominem exaltatum* ita a Clemente dictum probabit? sane nec ex ipso, neque ex ullo alio apostolicorum scriptorum. Equidem si τὸ πρῶτον πνεῦμα pro *præcipuo* seu *principe Spiritu* accipiendum esset, tum Christum secundum divinam naturam postea carne indutam ita appellatum intelligerem; quoniam ipse est, et jam inde ab initio fuit, Princeps angelorum et sanctorum spirituum Dei, Josuæ v. 14. ac postea homo factus est, "Uti sicut in supercœlestibus, "et spiritualibus, et invisibilibus Princeps est Verbum Dei; "sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat," juxta Irenæi doctrinam III. 18. p. 241. col. 1.[c] quam Ariani olim approbarunt, licet Sociniani hodie impie rejiciant. Nunquam autem a me impetravero, ut πρῶτον πνεῦμα, ὃ ἐγένετο σὰρξ, interpreter Christum *præcipuum Spiritum* postea factum, *qui* prius *caro fuerat.*

6. Sed pergit audax adversarius: "Hunc omnino sen-"sum res, de qua agit Clemens, postulat." Fingit nempe, S. Patrem, postquam affirmaverat, "fideles in carne ven-"turos" in regnum Dei, tacitæ occurrere objectioni dicentium, "Imo in regno Dei erimus spiritales, cur ergo dicis
63 "nos *in carne venturos esse?*" ac in hunc sensum re-spondere, "Ecce Christus Dominus noster, qui nos serva-"vit, qui nobis in exemplum datus est, qui nunc Spiritus "est, imo præcipuus Spiritus, caro antea erat. Non ita-"que ista secum pugnant. Poteritis etiam vos spiritus "immortales sive spirituales effici, etiamsi caro sitis, et in "carne venturi, &c." Post quæ tandem concludit, "Vides "quam egregie ista cohæreant, quam appositum sit hac "ratione exemplum Jesu Christi, quod adducit Clemens." At video plane, quam inepte ista cohæreant, quamque appositum sit hac ratione exemplum Christi ad objectionem adversariorum non solvendam, sed confirmandam. Ut tu quoque videas, attende. Pugnat auctor Epistolæ contra istos Corinthios, qui resurrectionem ejus, quam in terris gerimus, carnis negabant, rati hanc æternæ vitæ incapa-

[c] [c. 16, 6. p. 206.]

cem esse, nec simul cum Spiritu, immortalitatis auctore, consistere posse. " Nemo vestrum," inquit, " dicat, quod " hæc caro non judicatur, neque resurgit. Agnoscite in " quo servati estis, et in quo visum recepistis, nisi dum in " hac carne estis;" post quæ, paucis interjectis, sequuntur verba controversa; " Jesus Christus Dominus, qui nos ser- " vavit, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ, κ. λ." Quibus postremis, si voluisset Clemens, Christum, cum prius caro fuisset, postea Spiritum factum esse, adversarius instans proprio eum gladio jugulare potuisset, ita retorquens; quemadmodum Jesus, caro existens, post mortem Spiritus factus est; ita et nos carne per mortem deposita toti spiritus erimus, ac sine hac carne resurgemus. Tantum enim abest, ut eos, qui antea in carne fuerant, spiritus fieri posse negaverint, aut hæc tanquam repugnantia rejecerint hæretici, quemadmodum Mellierus fingit, ut hæc ipsa illorum fuerit hypothesis. Quorsum itaque illam probatum ivisset Clemens? " Ast finge," pergit nostram expositionem impugnaturus, " ipsum" (auctorem Epistolæ) " de incarnatione loqui, frigida certe et futilia erunt, quæ " vetustissimus ille Christianus hic protulit. Nonne, quan- " do dicit, *sic et nos*, manifeste nos comparat cum Christo " ea in re, quam de Christo asserit?" Minime, inquam, sicque omnem huic quæstioni superstructam φλυαρίαν exsuffio. Istud οὕτω ἡμεῖς, *sic et nos*, respicit proxime præcedens οὕτως ἡμᾶς ἐκάλεσεν, *sic nos vocavit*, ac hanc continet argumentationem: " In quo statu a Christo vocati, ac vo- " cationi ejus obedientes fuimus, in eodem etiam glorifi- " cabimur, et mercedem accipiemus; Atqui in hac carne a " Christo vocati ac vocationi ejus obedientes fuimus; " Ergo in hac carne glorificabimur, et mercedem recipie- " mus." Hæc enim verba immediate ista, de quibus disputamus, præcedunt, " Quemadmodum enim in carne vo- " cati estis, ita in carne veniemus." Atque ita etiam in hoc commate; " Sic," nempe in carne, " vocavit nos; sic " quoque in hac carne mercedem recipiemus;" nam *quos vocavit, hos et glorificavit*, juxta Rom. viii. 30. Obiter vero mentionem injicit Clemens, quod in carne vocati si-

mus a Christo, ipso quoque carne vestito, cum prius Spiritus tantum esset; hac ratione dignitatem carnis, quam adversarii Spiritus, ac proinde immortalitatis, incapacem pronuntiabant, indirecte extollens, ac novo telo ipsos feriens. Quidni enim nostra caro spiritu in altera vita superindui ac simul cum eo consistere potis sit futura, cum Christus, spiritus secundum Deitatem existens, haud dedignatus fuerit carnem induere, hancque intime sibi unire? Hic quippe est genuinus, isque commodus sensus phraseos, qua Christus λόγος a Joanne, et *spiritus* a Clemente *caro factus* dicitur; ut adeo non opus sit cavillo Mellieri orthodoxæ doctrinæ ex ea intentato respondere. Quod vero attinet lectionem εἷς pro ὁ Ἰησοῦς in MS. codice Alexandrino,[d] quanquam hæc nil eum juvare queat, tamen majoris certitudinis ergo libenter dictum codicem inspicerem, ac quomodo is habeat, indicarem. Sed ejus copia mihi modo non datur, quod doctissimus D. Bentleius, regiæ bibliothecæ custos, jam Cantabrigiæ ob publica negotia moretur; unde nec alteram in postscripto additam conjecturam de νῦν pro μὲν legendo falsitatis convincere possum. Dabitur tamen, Deo volente, alia id faciendi occasio satis opportuna.

7. Quod denique attinet verba Clementis, quæ Basilius M. et ex eo reverendus auctor noster supra §. 5. [p. 140.] allegavit, iis, quoniam a Melliero in dubium vocantur, confirmandis addo gemina ex Epist. I.[e] ad Corinthios, ita sonantia; Οὐχὶ ἕνα Θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα Χριστὸν, καὶ ἓν Πνεῦμα, κ. λ. *Nonne unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum?* ubi omnes tres Deitatis personas junctim nominat, licet primam, tanquam principium duarum, Deum κατ' ἐξοχὴν appellet. Sed manum de tabula.

64 TESTIMONIA PRO DEITATE CHRISTI

ADDUCTA EX

TESTAMENTIS XII. PATRIARCHARUM.

Quandoquidem Testamenta XII. patriarcharum ex doc-

[d] [Persæpe ibi legitur ΟΙΣ pro ὁ Ἰησοῦς.] [e] [§. 46.]

torum quorundam virorum sententia seculo I.[f] post Christum natum scripta sunt, ac proinde Spicilegio Patrum seculi I. a nobis inserta, insignia pro vera Christi Deitate testimonia ex iis collecta hoc loco sistere placet. In Testamento Simeonis, p. 156. hæc legimus verba; Κύριος ὁ Θεὸς μέγας τοῦ Ἰσραὴλ φαινόμενος ἐπὶ γῆς ὡς ἄνθρωπος, καὶ σώζων ἐν αὐτῷ τὸν Ἀδάμ· "Dominus Deus magnus Israel apparebit "in terra ut homo, et salvabit in ipso Adam:" et mox, p. 157. Ὁ Θεὸς σῶμα λαβὼν, καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις, ἔσωσεν αὐτούς· "Deus corpus assumens, et comedens cum homi- "nibus, salvabit" (salvavit) "homines." Paulo post Messiam vocat Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, "Deum et hominem." In Testamento Levi, p. 159. angelus Levi his alloquitur verbis, Διά σου καὶ Ἰούδα ὀφθήσεται Κύριος ἐν ἀνθρώποις, σώζων ἐν αὐτοῖς πᾶν γένος ἀνθρώπων· "Per te et Judam apparebit Do- "minus in hominibus, salvans in ipsis omne genus homi- "num:" deinde p. 160. Levi ait infernum spoliatum iri ἐπὶ τῷ πάθει τοῦ ὑψίστου, "in passione Altissimi." In Testamento Judæ, p. 187. mentio fit παρουσίας τοῦ Θεοῦ τῆς δικαιοσύνης, "adventus Dei justitiæ," ni fallor, ex Jerem. xxiii. 6. et xxxiii. 16; et p. 188. de Messia dicitur, Οὗτος ὁ βλαστὸς Θεοῦ ὑψίστου· "Hic est germen Dei altissimi," ex Esaiæ iv. 2. In Testamento Zabulon, p. 203. Μετὰ ταῦτα ἀνατελεῖ ὑμῖν αὐτὸς Κύριος, φῶς δικαιοσύνης· "Posthæc orietur "vobis ipse Deus," (Dominus,) "lumen justitiæ;" Καὶ ὄψεσθε Θεὸν ἐν σχήματι ἀνθρώπου· "Et videbitis Deum in "forma hominis." In Testamento Dan, p. 208. Οὐκ ἔτι ὑπομένει Ἱερουσαλὴμ ἐρήμωσιν, οὐδὲ αἰχμαλωτίζεται Ἰσραὴλ, ὅτι Κύριος ἔσται ἐμμέσῳ αὐτῆς, τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφόμενος, καὶ ἅγιος Ἰσραὴλ βασιλεύων ἐπ' αὐτοὺς ἐν ταπεινώσει καὶ ἐν πτωχείᾳ· "Non amplius sustinebit Hierusalem desolationem, neque "captivabitur Israel, quoniam Dominus erit in medio "ejus, cum hominibus conversatus, et sanctus Israel reg- "nans super ipsos in humilitate et paupertate." Lege, si placet, quæ ad istum locum annotavi in fine dicti Spicilegii, p. 358. seq. In Testamento Nephthalim, p. 216. Διὰ τοῦ σκήπτρου αὐτοῦ ὀφθήσεται Θεὸς, κατοικῶν ἐν ἀνθρώποις

[f] Circa annum 190. *Cave.* BOWYER.

ἐπὶ τῆς γῆς, σῶσαι τὸ γένος Ἰσραήλ· " Per sceptrum ejus" (Judæ) " apparebit Deus, habitans inter homines in terra, " ut salvet genus Israel." In Testamento Aser, p. 228. seqq. Ὁ ὕψιστος ἐπισκέψεται τὴν γῆν, καὶ αὐτὸς ἐλθὼν ὡς ἄνθρωπος, ἐσθίων καὶ πίνων μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ συντρίβων τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος δι' ὕδατος. οὗτος σώσει τὸν Ἰσραὴλ καὶ πάντα τὰ ἔθνη, Θεὸς εἰς ἄνδρα ὑποκρινόμενος· " Altissimus vi- " sitabit terram, et ipse veniens ut homo, cum hominibus " manducans et bibens, et in silentio conterens caput Dra- " conis per aquam. Hic salvabit Israel et omnes gentes, " Deus in virum absconditus." Denique in Testamento Benjamin hæc de temporibus Messiæ habetur prophetia[g]; Τότε καὶ ἡμεῖς ἀναστησόμεθα, ἕκαστος ἐπὶ σκῆπτρον ἡμῶν, προσκυνοῦντες τὸν βασιλέα τῶν οὐρανῶν, τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα ἐν μορφῇ ἀνθρώπου ταπεινώσεως· " Tunc et nos resurgemus, unusquis- " que in sceptrum nostrum, adorantes Regem cœlorum, " qui in terra apparuit in forma humanæ" (hominis) " hu- " militatis." Moxque addit Israelitas judicandos, ὅτι παραγενόμενον Θεὸν ἐν σαρκὶ ἐλευθερωτὴν οὐκ ἐπίστευσαν, " quoniam " advenientem Deum in carne Liberatorem non credide- " runt." Ecce Christum *Deum, Dominum, magnum Deum*, &c. appellatum.

CAP. IV.

65

Exponitur sententia Justini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni. Atque obiter fides de S. Trinitate Christianorum, Luciani ætate, ex ipso Luciano declaratur.

1. APOSTOLICIS scriptoribus succenturiandus est, si non ipsis connumerandus, Justinus Martyr; cujus libri fere omnes tot ac tam luculentis testimoniis pro Filii τῷ ὁμοουσίῳ referti sunt, ut non possim sine indignatione legere convitia, quibus audaculi quidam scriptores neoterici sanctissimum Pa-

[g] Pag. 251.

trem ac martyrem, tanquam cum impiis Arianis sentientem, conspurcarunt.

In Apologia, secunda quæ dicitur, (cum revera prima[h] sit,) eos reprehendit Justinus[i], qui negant, ὅτι ἐστὶν υἱὸς τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων· ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸς ὑπάρχει. i. e. "Filium esse Patri "universorum, qui, quod Verbum Dei primogeni- "tum sit, Deus etiam existit." Ubi aperte colligit, Filium perinde ac Patrem Deum revera existere, ex eo, quod is ex ipso Deo Patre, ut Verbum et primogenitus ejus, prodierit et generatus sit. Similiter in Dialogo cum Tryphone[k] Judæorum cœcitatem perstringit, qui negarent, Christum εἶναι Θεὸν, τοῦ μόνου καὶ ἀγεννήτου καὶ ἀῤῥήτου Θεοῦ υἱὸν, "Deum esse, utpote "singularis et ingeniti ineffabilisque Dei Filium." Et post aliqua in eodem libro Christum pronuntiat[l] Κύριον καὶ Θεὸν, Θεοῦ υἱὸν ὑπάρχοντα. i. e. "Dominum "et Deum, utpote Dei Filium existentem."

2. Hinc idem Justinus Christum ubique prædicat verum, genuinum, germanum et proprie dictum Dei Filium; quod Ariani nunquam ex animo dixerunt, aut dicere potuerunt. Sic in Apologia prima, vel potius secunda[m]: Ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, "Filius autem ejus," (Dei Patris) "qui "solus proprie dicitur Filius." In Apologia II.[n] juxta vulgatas editiones: Υἱὸς δὲ Θεοῦ, ὁ Ἰησοῦς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος, διὰ σοφίαν ἄξιος υἱὸς Θεοῦ λέγεσθαι· Πατέρα γὰρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε πάντες συγ-

[h] Apologiam primam scripsit circa an. 140. *Cave.* BOWYER.
[i] Pag. 96. [Apol. I. 63. p. 81.]
[k] Pag. 355. [§. 126. p. 219.]
[l] Pag. 357. [§. 128. p. 221.]
[m] Pag. 44. [Apol. II. 6. p. 92.]
[n] Pag. 67. [Apol. I. 22. p. 57.]

γραφεῖς τὸν Θεὸν καλοῦσιν. εἰ δὲ καὶ ἰδίως παρὰ τὴν κοινὴν γένεσιν γεγενῆσθαι αὐτὸν ἐκ Θεοῦ λέγομεν λόγον Θεοῦ, ὡς προέφημεν, κοινὸν τοῦτο ἔστω ὑμῖν. i. e. "Cæterum Filius "Dei, Jesus dictus, etiamsi communi aliorum more "homo tantum esset, propter sapientiam tamen dig- "nus esset, qui Dei Filius diceretur; Parentem "enim virumque deumque scriptores cuncti Deum "vocant. Sin PROPRIE etiam præter communem "nativitatem genitum ipsum ex Deo Verbum Dei "dicimus, quemadmodum antea dixi, commune hoc "nobis sit vobiscum." Et ibidem paulo post[o]: Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγένηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος καὶ δύναμις. i. e. "Jesus "Christus solus proprie Filius Deo genitus est: ut- "pote qui Verbum ejus et primogenitus et potentia "existit." Denique in Dialogo cum Tryphone Christus ab Justino dicitur[p] μονογενὴς τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων, ἰδίως ἐξ αὐτοῦ λόγος καὶ δύναμις γεγεννημένος, καὶ ὕστερον ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου γενόμενος. i. e. "Universi- "tatis hujus Parenti unigenitus, proprie ex eo Ver- "bum et virtus genitus, et postea homo factus per "Virginem." Sensum Justini hisce in locis, ut et sacræ Scripturæ, ubi Christum Dei Filium proprium atque unigenitum nominat, optime expressit Athanasius paucis his verbis[q]: Τὸ γὰρ ἔκ τινος φύσει γεννώμενον, καὶ μὴ ἔξωθεν ἐπικτώμενον, υἱὸν οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τοῦτο τοῦ ὀνόματός ἐστι τὸ σημαινόμενον. i. e. "Quod na- "turaliter ab aliquo gignitur, nec asciscitur aliunde, "id pro filio agnoscit natura, eaque nomini huic "potestas subjicitur." Vide Petavium de Trinit. II. 10. per totum.

3. Præterea Justinus divinam Filii generationem

[o] Pag. 68. [23. p. 57.]
[p] Pag. 332. [§. 105. p. 200.]
[q] De Decret. Nicæn. Synod. [§. 10. vol. I. p. 217.]

ita passim explicat, iisque similibus elucidat, ut manifestissimum sit, ipsum τὸ ὁμοούσιον ejus omnino agnovisse. Illustris imprimis est locus in Dialogo cum Tryphone, ubi modum generationis Filii his verbis declarat[r]: Ὅτι δύναμις αὕτη, ἣν καὶ Θεὸν καλεῖ ὁ προφητικὸς λόγος, διὰ πολλῶν ὡσαύτως ἀποδέδεικται, καὶ ἄγγελον, οὐχ' ὡς τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὀνόματι μόνον ἀριθμεῖται, ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερόν τι ἐστὶ, καὶ ἐν τοῖς προειρημένοις διὰ βραχέων τὸν λόγον ἐξήτασα, εἰπὼν τὴν δύναμιν ταύτην γεγενῆσθαι ἀπὸ 66
τοῦ Πατρὸς, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ· ἀλλ' οὐ κατ' ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα καὶ τεμνόμενα οὐ τὰ αὐτά ἐστιν ἃ καὶ πρὶν τμηθῆναι· καὶ παραδείγματος χάριν παρειλήφειν τὰ ὡς ἀπὸ πυρὸς ἀναπτόμενα πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν, οὐδὲν ἐλαττουμένου ἐκείνου, ἐξ οὗ ἀναφθῆναι πολλὰ δύνανται, ἀλλὰ ταὐτοῦ μένοντος. i. e. "Virtutem istam, quam Deum sermo propheticus vocat, prout pluribus similiter est probatum, et Angelum, non ut solis lumen nomine tantum numerari, verum numero aliud quiddam esse, ratione exquisita supra paucis explicavi; Virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute et consilio ipsius; non per abscissionem, tanquam dispertita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa et secta non eadem sunt, quæ ante fuerunt quam scinderentur. Atque exempli gratia illud sumpsi, quod ex igne ignes alios accensos videmus, illo nihil diminuto, sed eodem manente, unde multi accendi possunt ignes." His verbis Justinus aperte docet, Filium esse quidem ἀριθμῷ ἕτερόν τι, numero seu persona alium a Patre, sed neutiquam natura diversum; quippe qui ex ipsa Dei Patris essentia progenitus sit, ac proinde Filius ipsi consubstantialis. Etenim modum generationis Filii quadan-

[r] Pag. 358. [§. 128. p. 221.]

tenus explicare aggressus ait, Filium ex Patre genitum esse οὐ κατ' ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας, "non per abscissionem, quasi disper-" tita esset Patris substantia." Quorsum vero illud spectat, si Filius in generatione sua cum Patris substantia nihil quicquam commune habeat? Deinde simile, quo hic catholicam doctrinam illustrat Justinus, τὸ ὁμοούσιον Filii manifeste comprobat. Ait enim Filium ex Patre genitum esse, quemadmodum ignis ex igne accenditur. Quis autem non fatebitur, ignem ab alio igne accensum ejusdem cum ipso naturæ ac substantiæ esse? quod et ipse Justinus alibi in eodem Dialogo eadem similitudine modum generationis Filii adumbrans diserte monuerat. Verba sunt[s], Ὁποῖον ἐπὶ πυρὸς ὁρῶμεν ἄλλο γινόμενον, οὐκ ἐλαττουμένου ἐκείνου ἐξ οὗ ἡ ἄναψις γέγονεν, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ μένοντος, καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ ἀναφθὲν, καὶ αὐτὸ ὂν φαίνεται, οὐκ ἐλαττῶσαν ἐκεῖνο ἐξ οὗ ἀνήφθη. i. e. "Quemadmodum in igne "videmus alium fieri, non decrescente illo, unde "facta est alterius accensio, sed in eodem statu per-"manente; et qui ex ipso accenditur, etiam ipse "esse apparet, non imminuens illum unde est ac-"census." Ubi cum dicit, quod ex ipso igne accenditur, etiam ipsum ignem esse, manifeste vult, pari ratione Filium Dei, qui ex ipso Deo est genitus, itidem Deum esse ipsissimum. Tam clara luce refulgent hæc loca, ut ipse Petavius, (idem qui Justinum Arianismi accusavit,) postquam ea ex parte citaverat, hæc subjicit[t]: "Quid ad hanc professionem "fidei ac Trinitatis potest adjici? aut quid in Ni-"cæno ipso Patrum consessu, vel post ipsum, ex-"pressius, significantius, efficacius proditum est?

[s] Pag. 284. [§. 61. p. 158.]

[t] Præfat. in tom. II. Theolog. Dogmat. c. 3. n. 1.

" nam solemni illi formulæ, quæ ibi constituta est, " Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de " Deo vero, præivit tanto ante Justinus sententia " ista; ex qua et τὸ ὁμοούσιον, hoc est, substantiæ, " sine ulla partitione, communio et identitas effi- " citur."

4. Cæterum diligenter observandum est, Justinum in loco, quem ex Dialogo cum Tryphone in proxime præcedenti paragrapha primum adduximus, (qui nempe extat ejusdem libri p. 358.[u]) eorum hæresim ex professo impugnare, qui idem fere tum temporis docerent, quod postea Sabellius asseruit; scilicet, " Virtutem a Patre rerum omnium provenientem, " quæ Mosi apparuit aut Jacobo aut Abrahæ, *an-* " *gelum* vocari, cum ad homines, quibus mandata Pa- " tris per ipsam denuntiantur, progreditur; *gloriam* " vero, cum in visione incomprehensibili aliquando " exhibetur; *virum* autem et *hominem* nominari, " quando quidem ea specie, quam Pater velit, con- " spiciatur; et propterea *Verbum* appellari, quod " Patris sermones ad mortales perferat: virtutem " autem eam a Patre nullo pacto disjungi et secerni " posse; eo videlicet modo, sicuti solis lux in terris " ab eo in cœlis recidi et segregari nequit, atque eo " occidente illa una aufertur; tali nimirum modo " Patrem, cum vult, efficere, ut virtus ejus prosiliat; " et cum vult, ut eandem ad seipsum retrahat." Hi vero hæretici, ut apparet, hæresim suam confirmare adnisi sunt argumento ducto a Confessione catholicorum, qui docerent Filium esse ejusdem cum Deo Patre essentiæ. Inde scilicet hoc sophisma contexuerunt: Aut Filius idem cum Patre est, neque ab ipso persona distinctus; aut dicendum, essentiam divi-

[u] [Pag. 221.]

nam in duas partes dispertitam esse, quarum altera Patris, altera Filii personam constituat. Id ex loco Justini hac satis evidenti ratione colligimus. Catholici non erant, qui dicerent dispertiri divinam essentiam; imo illud tanquam blasphemum omnino rejicit Justinus. Neque hæretici, contra quos agit Justinus, id affirmabant; sed contra ideo Dei naturam μονοπρόσωπον statuebant, ut istam divinæ essentiæ partitionem effugerent. Reliquum est igitur, istos Sa-
67 bellii præcursores catholicam doctrinam de generatione Filii ex Patris substantia, qui distincta a Patre persona sit, hoc invidioso πορίσματι onerasse, quod ex ea sequeretur, divinam substantiam quasi in duas partes dissecari et dividi. Nihil certius. Jam ut huic sophismati occurrat Justinus, non negat Filium ex Patris substantia productum esse, imo id pro indubitato habet; sed ostendit Filium ex ipso Patre generari, idque ita, ut distincta a Patre persona sit, non per abscissionem ab essentia paterna, (quod hæretici cavillabantur,) sed per simplicem essentiæ communicationem, qualis fere est inter ignem, ignem alium sine sui jactura et diminutione ulla producentem, et ipsum productum ignem. Quem explicandi modum adhibet Tatianus etiam, Justini discipulus, in Oratione cont. Græc. his verbis[x]: Γέγονε δὲ κατὰ μερισμὸν, οὐ κατ' ἀποκοπήν· τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τοῦ πρώτου κεχώρισται· τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τὴν αἵρεσιν προσλαβὸν οὐκ ἐνδεᾶ τὸν ὅθεν εἴληπται πεποίηκεν. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δαδὸς ἀνάπτεται μὲν πυρὰ πολλὰ, τῆς δὲ πρώτης δαδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δαδῶν οὐκ ἐλαττοῦται τὸ φῶς, οὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ Πατρὸς δυνάμεως οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα. i. e. "Natus est au-
"tem participatione, (sive communicatione,) non ab-

[x] Pag. 145. [§. 5. p. 247, 248.]

" scissione. Quod enim abscinditur, a primo sepa-
" ratur; quod vero communicatur, id functione do-
" natum propria nihil imminuit illum, a quo vim
" suam sumpsit. Quemadmodum enim ab una face
" aliæ multæ accenduntur, nec tamen primæ facis
" lux imminuitur propter plures inde succensas, sic
" etiam Verbum e Patris virtute progressum non
" reliquit Genitorem Verbi expertem." Ex his vero clare efficitur, doctrinam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, sive ex ipsâ Dei Patris essentia ac substantia productione, dogma fuisse Justini ætate in ecclesia catholica receptum, fixum, ratum ac stabilitum: hæreticosque illorum temporum doctrinam istam eadem cavillatione oppugnasse, qua postea Ariani aliique hæretici usi sunt: ac denique catholicos Justini ævo eadem omnino responsione sophisma illud diluisse, quam catholici doctores, post excitatam ab Ario de τῷ ὁμοουσίῳ controversiam, ad Arianorum ora obstruendum adhibuerunt. Recole omnino quæ supra disseruimus hujus sectionis cap. 1. §. 10, 11, 12.

5. Porro idem Justinus in Dialogo cum Tryphone prolixe ostendit[y], Christum in Veteris Instrumenti Scripturis *Deum* et *Dominum*, *Dominum virtutum*, *Israelis Deum* appellari; illum esse, qui Abrahamo, Mosi et patriarchis apparuit, quem hi tanquam Deum suum adorarent, quique nomine tetragrammato a Spiritu Sancto honestatur. Quin et quæ iisdem in Scripturis, maxime in Psalmis, de summo omnium Domino ac Deo dicuntur, ea Christo convenire probat. Sic, verbi gratia, citato Davidis loco Psal. xlv. 6. *Thronus tuus, O Deus, in sæculum sæculi*, &c. illum cum auctore Epistolæ ad Hebræos, et antiquissimis Hebræorum magistris, Christo accommodat;

[y] Pag. 286, 287. [§. 63. p. 160.]

indeque Servatorem nostrum esse καὶ προσκυνητὸν, καὶ θεὸν, *et adorandum, et Deum* concludit. Nunquam Justino (ut nec veterum catholicorum cuiquam) in mentem venerat commentum, quo Erasmus et post eum Grotius (uterque, nescio quo fato, ad loca Scripturæ illustriora quæque pro Filii divinitate, quam tamen et ipsi agnovisse videntur, convellenda natus) verborum Psalmistæ sensum eludunt. Ait enim Erasmus [z], "legi *posse*;" Grotius, "legi *debere*, "non, *O Deus thronus tuus est in sæculum sæ-* "*culi*; sed, *ipse Deus est tibi thronus in sæculum* "*sæculi*;" hoc est, Deus thronum tuum in æternum sustentabit. Quæ (malum) ratio viris doctis suasit, ut luculento huic contra Judæos et Judaizantes Christianos testimonio tenebras offundere conarentur? "Sermo Græcus," inquit Erasmus, "anceps "est [a]." Esto. Sed sensus et scopus auctoris Epistolæ ad Hebræos certus et manifestus est ex ver. 2, 3. ubi Christum dicit Dei Filium, per quem sæcula condita sunt, Splendorem Paternæ gloriæ, Characterem essentiæ ipsius, qui omnia sustentat verbo suo potenti. Hanc divinam Christi gloriam ac majestatem, ejusdemque super angelos omnes et excellentissimas creaturas infinitam præcellentiam, (adversus scilicet Gnosticos et alios hæreticos, qui Æones suos et angelos et potestates Filio Dei fere exæquarunt [b]; quod apprime notandum, cum alioqui frigida prorsus videatur tam operose instituta comparatio inter Christum Deum et angelos creaturas,) probare voluit divinus auctor in sequentibus, usque ad finem capitis. Quid autem facit ad hoc auctoris institu-

[z] In Not. ad Epist. ad Hebr. i. 8.

[a] Vid. Pol. Syn. Crit. in Heb. i. 8. BOWYER.

[b] Confer Coloss. ii. 8, 9, 10, 18, 19.

tum textus Psalmistæ ver. 8, 9. allegatus, si juxta interpretamentum Erasmi et Grotii intelligatur? Et quis sanus dubitat, quin auctor in versibus ἀμέσως sequentibus, nempe ver. 10, 11, 12. ex eodem Psalmista voluerit ostendere, Christum esse Dominum illum, qui in initio fundavit terram et manibus suis formavit cœlum, quique, tota hac mundi compage deficiente, Deus idem immutabilis in æternum permansurus sit? Deinde, sit sermo anceps; at certe pendulam debuit lancem deprimere veterum auctoritas. Stat enim hic Justinus non solus, sed universo sanctorum Patrum quasi exercitu stipatus, qui omnes uno consensu ὁ Θεὸς hoc in loco vocative ac- 68
ceperunt[b]; prout in Psalmis frequenter a LXX. usurpatur, et alioqui familiare Græcis est, Atticis præsertim, nominandi casum vocative sumere. Quin et Judæi antiquiores (utcunque recentiores rabbini ineptiant) juxta nobiscum Christianis locum Psalmistæ interpretati sunt; certe Aquila, teste Hieronymo, אֱלֹהִים vocativo vertit Θεέ. Et observatu dignum est, quod Origenes refert[c], se hoc testimonio vehementer aliquando ursisse Judæum, qui sapiens habebatur apud suos, ipsumque, cum non posset se explicare, respondisse, sicut decebat Judæum, scilicet, ad universitatis Deum dictum esse illud, *Sedes tua, O Deus, in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui;* ad Christum vero illud, *Dilexisti justitiam, et habuisti odio iniquitatem,* &c. Scilicet de Erasmiano et Grotiano commento, Deum esse Messiæ thronum, Judæus iste sapiens (ad effugium alioqui quodviscumque satis instructus et paratus,) ne somniavit quidem unquam. Interim a Grotio

[b] [Vid. Luc. xviii. 13.]

[c] Contra Cels. I. p. 43. [§. 56. p. 371.]

accipimus, quod largitur, nempe, " pro ὁ Θεὸς in He-
" bræo esse אלהים, quod nomen pluribus sive ange-
" lis sive judicibus dari solet; at cum uni tribuitur,
" ut hoc in loco, Deo soli convenit; quia tunc est
" oratio ἐλλειπτικὴ pro אלהי אלהים." Sed hæc ob-
iter; ad Justinum redeo.

6. Notatu sane dignus est ejusdem locus, qui postmodum sequitur in eodem Dialogo [d]. Ubi Trypho testimonium Esaiæ, *Egredietur Virga de radice Jessæ, et conquiescet super eum Spiritus Dei*, &c. de Christo, uti debuit, interpretatur; deinde super eodem testimonio Justinum sic interrogat: " Cum Deum ipsum prius fuisse affirmes, ac de con-
" silio et voluntate Dei incarnatum, et ex Virgine ho-
" minem natum esse asseras, Πῶς δύναται ἀποδειχθῆναι
" προϋπάρχων, ὅστις διὰ τῶν δυνάμεων τοῦ Πνεύματος τοῦ
" Ἁγίου, ἃς καταριθμεῖ ὁ λόγος διὰ Ἡσαίου, πληροῦται, ὡς
" ἐνδεὴς τούτων ὑπάρχων;" i. e. " Quomodo probari pot-
" est eum prius fuisse, qui per virtutes Spiritus
" Sancti, quas Verbum per Esaiam enumerat, com-
" pletur, perinde atque iis indiguisset?" Cui respondet Justinus: Νουνεχέστατα μὲν καὶ συνετώτατα ἠρώτησας· ἀληθῶς γὰρ ἀπόρημα δοκεῖ εἶναι· ἀλλ' ἵνα ἴδῃς καὶ τὸν περὶ τούτων λόγον, ἄκουε ὧν λέγω. ταύτας τὰς κατηριθμημένας τοῦ Πνεύματος δυνάμεις, οὐχ' ὡς ἐνδεοῦς αὐτοῦ τούτων ὄντος, φησὶν ὁ λόγος ἐπεληλυθέναι ἐπ' αὐτὸν, ἀλλ' ὡς ἐπ' ἐκεῖνον ἀνάπαυσιν μελλουσῶν ποιεῖσθαι, τουτέστιν, ἐπ' αὐτοῦ πέρας ποιεῖσθαι, τοῦ μηκέτι ἐν τῷ γένει ὑμῶν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος προφήτας γενήσεσθαι. ὅπερ καὶ ὄψει ὑμῖν ἰδεῖν ἐστι· μετ' ἐκεῖνον γὰρ οὐδεὶς ὅλως προφήτης παρ' ὑμῖν γεγένηται. i. e. " Acutissime et prudentissime interrogasti; nam
" vere hoc dubitationem in se habere videtur. Ve-
" rum ut de his quoque rationem teneas, quæ dicam,

[d] Pag. 314. [§. 87. p. 184.]

" accipe. Virtutes Spiritus, quæ recensitæ sunt, " Verbum non ita super eum venisse ait, quasi in- " digus earum ipse fuerit; sed quod acquieturæ in " illo essent, hoc est, in eo finem facturæ; ita ut in " genere vestro non amplius more veteri prophetæ " futuri essent. Quod et oculis ipsi vestris cernere " potestis; post illum namque nullus omnino apud " vos natus est propheta." Fateor miram esse Justini interpretationem prophetici sermonis, quem de Christo homine, Spiritus Sancti donis præ aliis omnibus locupletato, exponendum omnes vident. Interim hinc constat, pro certa et rata habuisse Justinum hanc hypothesin: Filium Dei, utpote Deum verum, natura sua absolutissimum ac perfectissimum esse, nullius rei indigum, qui neque ipsius Spiritus Sancti donis opus unquam habuerit. Scilicet ita manifeste argumentatur Trypho: Verus Deus nullius rei indigus esse potest; Atqui Christus, teste Esaia, Spiritus Sancti donis indiguit: Ergo Christus non est verus Deus, quemadmodum tu, Justine, contendis. Propositionem admittit Justinus, assumptionem vero negat, et merito quidem; siquidem de Christo Deo disputatio inter ipsum et Tryphonem instituta fuit; quanquam Esaiæ locum perperam, ut dixi, interpretetur. Quod si cum Ario sensisset Justinus, facillime et nullo negotio potuisset Tryphoni respondere; nihil absurdi in eo esse, si Filius Dei statuatur Dei gratia indiguisse, et in melius proficere potuisse; utpote qui creatura sit, Deusque per adoptionem factus. Sane Arius aperte dicere non est veritus, Filium Dei conversioni et mutationi obnoxium, ac pro arbitrii libertate virtutis et vitii capacem fuisse; ut ex Epistola Alexandri ad catholicos[e] ubique gen-

[e] Vide Socrat. H. E. I. 6. et 9.

tium coepiscopos scripta, et ex synodica Epistola Patrum Nicænorum, ac denique ex ipso symbolo Nicæno manifestum est. Verum si ita respondisset Justinus, suam ipsius disputationem præcedentem funditus evertisset; utpote in qua totus in id incumbit, ut probet, Servatorem nostrum Deum esse verum et adorandum.

7. Idem Justinus alibi, nempe in Oratione Paræ-
netica ad Græcos [f], observat, qui Mosi in rubo apparuit, quem ubique profitetur Dei fuisse Filium, se dixisse τὸν ὄντα, "Eum qui est:" ac deinde expresse notat, istam descriptionem τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν, "semper existenti Deo convenire." Testimonium
69 integrum commodiore loco, nempe ad sectionem sequentem de Filii τῷ συναϊδίῳ, adducemus. Huic adjungendus est locus Justini illustrissimus, qui in præclara ejus ad Diognetum Epistola continetur. Ea Epistola quin Justini sit genuina, nemo doctus (quod sciam) hodie dubitat; unde Scultetus ipsam inter scripta recenset, quæ omnium consensu Justino tribuuntur. Quod enim objicit Sandius [g], nempe Bellarminum hanc Epistola ne in Catalogo quidem operum Justini recensuisse, id prorsus frivolum est; quippe constat, Bellarminum secutum esse Roberti Stephani operum Justini editionem an. MDLI. Parisiis elaboratam, in qua Λόγος πρὸς Ἕλληνας et Ἐπιστολὴ πρὸς Διόγνητον omittuntur; sed postea an. MDXCII. ab Henrico Stephano, Roberti filio, seorsim edita sunt cum Latina ejusdem interpretatione et prolixis annotationibus. Unde et Oratio ad Græcos, quia in Roberti Stephani editione desiderabatur, in Bellarmini Catalogo pariter omittitur; quæ tamen quin

[f] Pag. 19, 20. [§. 21. p. 22.] [g] De Script. Eccl. p. 20.

Justini genuina sit, nemo qui ipsam attente legerit, et cum cæteris Justini scriptis contulerit, poterit dubitare. Epistolam autem illam ad Diognetum plane Justinum redolere, si cum cæteris ejus scriptis conferatur, et multa cum illis habere communia, recte observavit Fredericus Sylburgius [h]. Sed quid multis opus est? ipse Sandius alibi (nempe Enucl. Hist. Eccl. p. 76.) hanc Epistolam pro genuino Justini opere agnoscit. Nunc recitemus amplissimum, quod promisimus, ex hac Epistola testimonium; verba sunt [i], Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ καὶ παντοκτίστης καὶ ἀόρατος θεὸς, αὐτὸς ἀπ' οὐρανῶν τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον ἀνθρώποις ἐνίδρυται [k], καὶ ἐγκατεστήριξε ταῖς καρδίαις αὐτῶν· οὐ καθάπερ ἄν τις εἰκάσειεν, ἀνθρώποις ὑπηρέτην τινὰ πέμψας, ἢ ἄγγελον, ἢ ἄρχοντα, ἢ τινὰ τῶν διεπόντων τὰ ἐπίγεια, ἢ τινὰ τῶν πεπιστευμένων τὰς ἐν οὐρανοῖς διοικήσεις· ἀλλ' αὐτὸν τὸν τεχνίτην καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων· ᾧ τοὺς οὐρανοὺς ἔκτισεν· ᾧ τὴν θάλασσαν ἰδίοις ὅροις ἐνέκλεισεν· οὗ τὰ μυστήρια πιστῶς πάντα φυλάσσει τὰ στοιχεῖα· παρ' οὗ τὰ μέτρα τῶν τῆς ἡμέρας δρόμων εἴληφε [l] φυλάσσειν· ᾧ πειθαρχεῖ σελήνη, νυκτὶ φαίνειν κελεύοντι· ᾧ πειθαρχεῖ τὰ ἄστρα, τῷ τῆς σελήνης ἀκολουθοῦντα δρόμῳ· ᾧ πάντα διατέτακται καὶ διώρισται καὶ ὑποτέτακται, οὐρανοὶ καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς· γῆ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· θάλασσα καὶ τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ· πῦρ, ἀὴρ, ἄβυσσος· τὰ ἐν ὕψεσι, τὰ ἐν βάθεσι, τὰ ἐν τῷ μεταξύ. τοῦτον πρὸς αὐτοὺς ἀπέστειλεν· ἆρά γε, ὡς ἀνθρώπων ἄν τις λογίσαιτο, ἐπὶ τυραννίδι, καὶ φόβῳ, καὶ καταπλήξει; οὔ μενοῦν· ἀλλ' ἐν ἐπιεικείᾳ (καὶ) πραΰτητι ὡς βασιλεὺς

[h] In not. ad pag. 501. v. 43. operum Justini.

[i] Justin Epist. ad Diognet. p. 498. [§. 7. p. 237.]

[k] Al. ἐνίδρυσε.

[l] Notat Stephanus, ante εἴληφε vel post φυλάσσειν desiderari vocem ἥλιος. Forte autem pro εἴληφε φυλάσσειν legendum ἥλιος φυλάσσει.

πέμπων υἱὸν βασιλέα ἔπεμψεν· ὡς Θεὸν ἔπεμψεν· ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἔπεμψεν· ὡς σώζων ἔπεμψεν· κ. λ. i. e. "Ipse om-
" nipotens et omnium Cqnditor et invisibilis Deus e
" cœlis Veritatem et Verbum sanctum et incompre-
" hensibile inter homines locavit, et in cordibus eo-
" rum firmam habere sedem voluit; non quemad-
" modum aliquis conjicere possit, misso hominibus
" MINISTRO aliquo, sive angelo, sive principe, sive
" aliquo eorum, qui terrena gubernant, aut quopiam
" eorum quibus commissa est rerum in cœlis admi-
" nistrandarum cura; sed IPSO OPIFICE et CREA-
" TORE omnium; quo cœlos condidit, quo mare suis
" terminis conclusit; cujus mysteria fideliter ab om-
" nibus elementis observantur; a quo spatia diurno-
" rum cursuum (sol) observanda accepit; cui paret
" luna, jubenti eam lucere nocte; cui astra obtem-
" perant, lunæ cursum sequentia; a quo omnia dis-
" posita sunt et suis limitibus circumscripta, et cui
" supposita sunt, cœli et quæ in cœlis sunt, terra et
" quæ in terra sunt, mare et quæ in mari; ignis,
" aer, abyssus, quæ in altitudinibus, quæ in profun-
" ditatibus, quæque in medio locata sunt. Hunc ad
" eos misit; an, ut aliquis hominum cogitare possit,
" in tyrannide et metu et terrore? minime vero, sed
" in clementia et in lenitate, tanquam Rex mittens
" Filium Regem misit; misit tanquam Deum [m], tan-
" quam ad homines misit, tanquam servans misit,
" &c." Locus omni observatione dignissimus; quippe qui profundum redemptionis humanæ mysterium egregie describat; nec non locis illis omnibus medelam porrigat, in quibus scriptor sanctissimus de Fi-

[m] Scil. qui sua natura bonus et benignus est, hominumque amans. Vide Clem. Alexand. Pædag. p. 109, [p. 131.] 113. [p. 135.] et confer 1 Joan. iv. 8.

lio Dei loqui minus honorifice videatur. Sed ad præsens nostrum institutum quod attinet, quid his disertius pro vera Filii divinitate contra Arianam blasphemiam dici potuit? τὸν λόγον sive Filium Dei ὑπηρέτην, *ministrum* sive creaturam esse, (nam ἰσοδύναμα esse hæc duo sæpius notavi, et satis per se manifestum est,) expresse negat; eum incomprehensibilem, et ipsum Opificem Creatoremque omnium appellans, a cujus nutu pendeat, et virtute sustineatur, tota mundi tam cœlestis quam terrestris compages; 70
cuique creaturæ omnes, cujuscunque ordinis, tanquam Auctori, Deo, ac Domino suo subjectæ sint atque obtemperent. Ait ipsum in hunc orbem missum fuisse ut Regem a Rege, ut Deum a Deo, scilicet Filium Regem, a Patre Rege, Filium Deum a Patre Deo [n]. Dixi supra [o], locum Pauli ad Philippenses ii. 6. et seqq. et ei geminum Clementis in Epistola ad Corinthios ex hoc Justini loco clarissimam lucem accipere, ut ista vicissim huic lucem porrigunt; temere an secus id pronuntiaverim, nunc judicet cordatus lector. Quod Paulus de Christo ante suam κένωσιν dicit, quod *in forma Dei* tum subsisteret, et Clemens, quod *Sceptrum magnificentiæ Dei* fuerit, id Justinus ita exponit, ut dicat, Christum eo in statu *Dei ministrum non fuisse*, (quippe servi forma, sive creata natura, nondum assumpta,) sed *ipsum omnium Dominum et Creatorem*. Quod Paulus dicit, Christum postea *servi formam sumpsisse, hominemque factum fuisse*; idem ab Justino dicitur, dum ait, Verbum sive Filium Dei, cœlitus missum, *inter homines collocatum fuisse*. Denique quod

[n] [Plura habes de h. l. in Respons. ad G. Clerke.]

[o] Vid. hujus sect. 3. 4. [p. 137.]

Paulus docet, Christum ad homines venientem *suam cum Deo Patre æqualitatem non venditasse, sed semet exinanivisse;* et Clemens, "Christum "non venisse in jactantia superbiæ et fastus, quam- "vis potuerit, sed in humilitate;" idem Justinus vult, cum subdit, Verbum et Filium Dei a Patre in mundum missum fuisse "non in tyrannide et metu "et terrore," hoc est, non cum ostentatione tremendæ suæ majestatis divinæ, sed "in clementia "et lenitate, tanquam qui ad homines missus fu- "erit." Hac certe locorum collatione nulla aptior excogitari potest.

8. Claudam meas ex Justino citationes loco desumpto ex Apologia, Secunda inscripta; in quo sanctus martyr integram divinarum Personarum Trinitatem, quæ conjunctim eodem religioso cultu adorandæ sint, quæque solæ, exclusis creaturis omnibus, istiusmodi mereantur adorationem, diserte profitetur. Scilicet ibi infidelibus, tanquam atheos accusantibus Christianos, quod cultum idolorum repudiaverint, respondet Justinus, Christianos atheos non esse, siquidem, licet falso dictos et habitos gentium deos spernant et contemnant, unum tamen et verum Deum, tribus personis distinctum, religiosissime colant ac venerentur. Verba sunt [p]: *Καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι· ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ Πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας Θεοῦ· ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.* i. e. "Et fatemur qui-

[p] Pag. 56. [Apol. I. 6. p. 47.]

" dem nos talium qui habentur deorum esse ex-
" pertes et atheos; sed non verissimi illius Dei, Pa-
" tris videlicet justitiæ et castitatis et virtutum alia-
" rum, et ab omni vitii mixtione et labe alieni, ex-
" pertes; verum hunc ipsum, et, qui ab eo venit,
" (atque nos ista et aliorum famulantium assimilato-
" rumque bonorum angelorum exercitum docuit,)
" Filium, et Spiritum Sanctum [q] colimus et adora-
" mus, cum ratione et veritate venerantes." Ex hoc quidem loco adstruere conatur Bellarminus religiosum angelorum cultum; quæ ejus collectio, si valida sit, concidet plane argumentum nostrum, inde ductum, pro Filii et Spiritus Sancti vera divinitate. Scilicet Bellarminus post verba διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα distinctionis notam collocat, legitque, " sed et illum, et
" Filium, qui venit ab eo, nosque hæc docuit, et
" aliorum sequentium similiumque bonorum angelo-
" rum exercitum et Spiritum Sanctum colimus et
" adoramus, &c." Sed huic Scultetus [r], justo ardore accensus, hanc acrem et acutam responsionem reddit: " At quam ille," inquit, " in Romano Lycæo
" excogitatæ distinctiunculæ rationem adfert? nul-
" lam adfert; repudiamus igitur incisum Perionii
" sophisticum. Docet Justinus passim, Filium no-
" bis omnia, adeoque Deum ipsum, revelasse. Ad-
" dit hoc loco, de angelorum ministerio nos ab eo-
" dem edoctos. Hoccine vero articulo Jesuitico a
" contextu sejungendum erat, ut superstitiosus an-
" gelorum cultus Justini quoque suffragatione stabi-
" liretur? Non animadvertisti, sycophanta, recepta
" distinctiuncula tua, Spiritum Sanctum angelis in-

[q] [Potius *propheticum.*]

[r] Medull. Patrum in synthesi doctrinæ Justini Martyris cap. 18.

" feriorem, contra perpetuum Justini sensum, statui,
" quippe qui quarto demum loco esset adorandus.
" Vertisses unam pagellam, præsentis loci nebulas
" clarissima alias luce vidisses dissipatas; ubi Pa-
" trem primo loco, Filium secundo, tertio loco Spi-
" ritum Sanctum, angelos non proximo a Filio, sed
" nec quarto, nec quinto a Christianis loco adorari
" docuit. Consuluisses Tryphonem Dialogum, qui
" sic inscribitur, ex cultu adorationis Angelum, qui
" Loto apparuit, Filium Dei demonstratum legisses;
" quæ demonstratio nihil habebit roboris, si creatu-
" rarum angelicarum supposita fuerit adoratio." Quibus et illud addas, quod inprimis observandum erat, in iis ipsis Justini verbis, ex quibus cultum angelo-
71 rum exsculpere voluit Bellarminus, angelos diserte dici τοὺς ἑπομένους spiritus, *sequentes* sive *famulantes*[s], (ὑπηρέτας, *ministros* dicit in loco ex Epistola ad Diognetum modo adducto; ubi et ex numero et censu τῶν ὑπηρετῶν Filium Dei, ut hic tam Filium quam Spiritum Sanctum, eximit,) unde sequitur ipsos neutiquam adorandos esse. At quorsum, inquies, spectat mentio ejus, quod per Filium Dei de bonorum angelorum ministerio edocti sumus, Filii elogio παρενθετικῶς inserta? Respondeo, Spectat ista parenthesis (quod velim ut lector accurate notet) ad ea quæ proxime apud Justinum ibidem præcesserant; dixerat Justinus, Socratem, eo quod asseruit unicum et verum Deum solum colendum esse, repudiatis gentium idolis, tanquam dæmonibus, hoc est; spiritibus malis Deoque inimicis, ab improbis hominibus, Diabolo instigatis, quasi atheum et impium occisum fuisse: deinde subjungit, idem prorsus Chris-

[s] Scil. metaphora est ducta a pedissequis, qui dominos a tergo sequi solent.

tianis accidisse. Verba sunt: Καὶ ὁμοίως ἐφ' ἡμῶν τὸ αὐτὸ ἐνεργοῦσιν· οὐ γὰρ μόνον Ἕλλησι διὰ Σωκράτους ὑπὸ λόγου ἠλέγχθη ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἐν βαρβάροις ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου μορφωθέντος καὶ ἀνθρώπου γενομένου, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ κληθέντος. ᾧ πεισθέντες ἡμεῖς τοὺς ταῦτα πράξαντας δαίμονας οὐ μόνον μὴ ὀρθοὺς[t] εἶναι φαμὲν, ἀλλὰ κακοὺς καὶ ἀνοσίους δαίμονας, οἳ οὐδὲ τοῖς ἀρετὴν ποθοῦσιν ἀνθρώποις τὰς πράξεις ὁμοίας ἔχουσι. i. e. "Id ipsum itidem de nobis faciunt; "non modo enim apud Græcos per Socratem a "Verbo hæc sunt reprehensa, sed apud Barbaros "quoque ab ipsomet Verbo formato et homine facto, "atque Jesu Christo dicto. Cui nos credentes, eos "qui hæc patrarunt dæmones, non tantum non rec- "tos esse dicimus, sed malos etiam et impuros dæ- "mones, quibus ne hominum quidem virtutem ex- "petentium similes sint actiones." Postquam autem dixerat nos per Christi fidem edoctos esse de cultu malorum angelorum fugiendo, mox in dicta parenthesi appositissime addit, per eundem Christum nos etiam de aliis angelis, nempe bonis, tanquam spiritibus Deo nobiscum famulantibus, ac proinde neutiquam adorandis, instructos esse; ut verba parenthesis sic omnino construenda et exponenda sint; Qui nos ista, nempe quæ præcesserant de malis angelis non adorandis, et simul de famulantium Deique bonitatem imitantium sanctorum angelorum exercitu edocuit. Summa est, Per Christum edocti sumus tam de malis quam de bonis angelis; de malis, quod mali sint Deoque rebelles spiritus, proinde execratione potius quam adoratione digni; de bonis, quod spiritus sint Deo servientes et obsequentes, bonitatemque ejus pro modulo imitantes, adeoque

[t] Grabius in Adversariis legit θεούς. BOWYER.

neque ipsi adorandi [u]. Itaque locus hic tantum abest, ut pro Bellarmino et pontificiis quicquam faciat, ut contra invictum præbeat argumentum adversus religiosum angelorum cultum, et clarissime ostendat, ex mente primævorum Christianorum, ejusmodi cultum neque angelis neque ulli Deo servientium et famulantium, hoc est, creaturarum ordini, sed soli, quæ omnia creavit, et cui cuncta subjecta sunt, sanctissimæ Trinitati, Patri, Filio et Spiritui Sancto tribui debere; id quod Arianorum etiam cæterorumque antitrinitariorum figmenta penitus evertit. Cæterum loca illa Justini, quæ cum his pugnare nonnullis visa sunt, infra ad sect. IV. de Filii subordinatione ad Patrem, expendemus. Vereor autem, ne unicum locum, a Sandio objectum, ibi omittam; in quo scilicet Justinus docuisse dicitur, Filium Dei esse *angelum creatum*. Verum certum habeat lector, istiusmodi locum in Justini scriptis nuspiam inveniri; sed a Sandio impudenter, pro more suo, martyri sanctissimo affictum esse. Ab Justino nunc ad alios Patres progredior.

9. Athenagoras [x] in Legatione pro Christianis communionem naturæ atque essentiæ, quæ inter Patrem et Filium intercedit, apertissime agnoscit. Nam quis sit Filius ille Dei, quem Christiani venerantur, eth-

[u] Sed Justinum verbis hactenus explicatis id potius velle, quod Christus Dei Patris justitiam aliaque attributa angelis pariter atque hominibus patefecerit, sive clarius revelaverit, in notis ad istum Justini locum p. 11. nostræ edit. dixi, et geminis Irenæi verbis probavi. GRABE. [Utrasque has interpretationes, tam Bulli, quam Grabii, rejicit editor Benedict. et angelorum cultum his Justini verbis prædicari strenue contendit. Plura habet Bull. in Respons. ad G. Clerke.]

[x] Claruit circa an. 177. *Cave*. BOWYER.

nicis philosophis explicaturus, ait[y]: Ἀλλ' ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ. πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ· ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. i. e. " Sed Filius Dei est Verbum Patris in idea et " operatione. Ab ipso enim et per ipsum omnia facta " sunt; cum sit unum Pater et Filius, et sit in Pa- " tre Filius, et Pater in Filio, unitate et virtute " Spiritus, mens et Verbum Dei, Filius Dei est." Ecquis Arianorum de Filio Dei ita locutus est? dicit Patrem et Filium unum esse, idque non tantum consensu, quod Ariani contendebant, sed mutua περιχωρήσει, sive *circumincessione*, ut scholastici loquun- 72
tur; ita ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio. Dicit Filium esse ipsam mentem et verbum Dei Patris, quod quo sensu intelligendum sit, infra[z] ostendemus; interim certum est, illud cum Ariano dogmate nullo sensu conciliari posse. Neque illud negligendum, quod Athenagoras de creationis opere, quod in Scripturis Filio Dei tribuitur, agens, non modo δι' αὐτοῦ, *per ipsum* Filium, quod Ariani concedebant, intelligentes nimirum *per ipsum*, tanquam *per instrumentum*, quod per se nihil valet agere, sed πρὸς αὐτοῦ[a], *ab ipso*, ut causa scilicet efficiente principali, cum Patre conjuncta, condita fuisse universa

[y] Pag. 10. ad calcem. Just. Mart. ed. Par. 1615. [§. 10. p. 286–7.]

[z] Sect. III. 5. §. 4, 5, 6.

[a] " Valde mihi displicet hæc scriptura. Neque enim, ut erudito " Bullo visum est, idem valet ac ὑπ' αὐτοῦ, neque ullum afferri possit " exemplum, in quo omnia πρὸς τοῦ λόγου creata dicantur, pro eo " quod sæpissime usurpatur ὑπὸ τοῦ λόγου. Sed si legamus πρὸς αὐ- " τὸν, præclara extabit sententia, nempe *omnia secundum Verbum*,

doceat; idque addita hac ratione, quod unum sint Pater et Filius, nempe essentia ac natura, proindeque virtute et operatione; quod Arianæ hæresi veluti ex diametro repugnat. Mox vero ibidem diserte negat Athenagoras, Filium in principio ex Patre progressum esse ad condenda universa, *ὡς γενόμενον, ut factum*, sive a Deo creatum; quod jugulum ipsum petit Arianæ blasphemiæ. Locum infra ad sectionem tertiam [b] integrum adducemus. Pauculis interjectis, plenam *τῆς ὁμοουσίου τριάδος* confessionem edit his verbis [c]: *Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους*; i. e. "Quis igitur non miretur, cum "audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, et Deum "Filium, et Spiritum S. eorum in unitate virtutem "et in ordine distinctionem explicantes, atheos vo-"cari?" Cui gemina est explicatio sententiæ Christianorum de SS. Trinitate, quam alibi [d] in eodem libro tradit, his verbis concepta: *Θεὸν φαμὲν, καὶ υἱὸν τὸν λόγον αὐτοῦ, καὶ πνεῦμα ἅγιον, ἑνούμενα μὲν κατὰ δύναμιν, τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα· ὅτι νοῦς, λόγος, σοφία υἱὸς τοῦ πατρὸς, καὶ ἀπόῤῥοια, ὡς φῶς ἀπὸ πυρὸς, τὸ πνεῦμα.* i. e. "Deum asserimus, et Filium ipsius Verbum, et Spi-"ritum S. virtute unitos, Patrem, Filium et Spiri-"tum Sanctum; Filius enim Patris mens, verbum "et sapientia est, et effluentia, ut lumen ab igne, "Spiritus." Ubi Patrem, Filium et Spiritum S. unum esse Deum inde satis aperte colligit, quod unicus sit fons divinitatis, nempe Pater, ex cujus essentia Filius et Spiritus S. derivantur; idque ita, ut

"*sive secundum exemplar in Verbo descriptum creata esse.*" Editor Benedict.]

[b] Cap. 5. 2. [c] Pag. 11. [p. 287.] [d] Pag. 27. [§. 24. p. 302.]

Filius sit λόγος, ex ipsa mente paterna ab æterno existens et nascens, (nam id voluisse Athenagoram infra clare ostendemus,) et Spiritus quoque Sanctus ita effluat et emanet ex ipso Deo Patre, (nempe per Filium, quemadmodum supra docuimus,) ut lumen ab igne procedit. Obiter animadvertas, Spiritus Sancti, perinde ac Filii, homoousion ab Athenagora omnino agnitum fuisse. Ἀμέσως vero ibidem ad angelos progreditur divinus philosophus, quos ἑτέρας δυνάμεις, *alias et diversas* a Patre, Filio et Spiritu S. *potestates* appellat; utpote quæ a natura increata, in qua subsistunt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, longissime distant. Hinc angelos mox a Deo γενομένους, *factos* esse diserte dicit. Quæ autem Petavius, Sandius, et alii ex Athenagora protulerunt, tanquam Arianismo faventia, ea frustra ab ipsis allegata esse, infra ad sectionem tertiam [e], de Filii τῷ συναϊδίῳ, demonstrabimus. Et de reliquis Patribus trium primorum sæculorum id semel lectorem moneo, loca ex ipsis in Arianismi patrocinium a sophistis adducta, quæcunque in hac sectione prætermiserim, me alibi, sive in sectione illa tertia, sive in quarta de Filii subordinatione, expendisse, deque ipsis luculentam, ni fallor, rationem reddidisse. Ac de Athenagora hactenus.

10. Tatianum supra [f] audivimus dicentem, Filium ex Deo Patre genitum esse, οὐ κατ' ἀποκοπήν, *non per abscissionem*, ἀλλὰ κατὰ μερισμόν, *per participationem*, sive communicationem paternæ essentiæ, quomodo ex igne alius ignis accenditur: quod Filii τὸ ὁμοούσιον perspicue declarat, uti ibidem ostendimus.

[e] Cap. 5. per totum. [f] Vid. hujus capitis §. 4. [p. 184.]

Theophilus Antiochenus[f] in libris ad Autolycum, qui soli ex multis ejus lucubrationibus hodie supersunt, quædam habet, quæ catholicam doctrinam egregie confirmant. Sic lib. II.[g] Θεὸς ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ πεφυκώς. i. e. "Deus existens Sermo, utpote ex "Deo progenitus;" quibus in verbis Filium esse Deum inde colligit, quod ex ipso Deo natus sit; scilicet juxta regulam, quam alicubi[h] ex Irenæo[i] commemoravi: Τὸ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν Θεός ἐστι. i. e. "Quod "ex Deo genitum est, Deus est." Idem paulo ante monuerat, per Filium Dei omnino intelligendum τὸν λόγον, τὸν ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. i. e. "Verbum perpetuo insitum sive existens in corde "Dei:" manifeste significans, Filium in ipsa Dei Patris essentia æternum subsistere. Integram quoque SS. Trinitatem agnovisse Theophilum, ex illis ejus verbis liquet, in quibus docet[k], tres dies, qui solis et lunæ creationem præcesserunt, typos fuisse τῆς τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, "Trinitatis, videlicet Dei, et Verbi ipsius, et "Sapientiæ ipsius." Petavius quidem (qui primorum Patrum scripta eo consilio videtur legisse, ut in iis nævos et errores vel inveniret vel faceret) ex his ipsis Theophili verbis calumniam optimo Patri struere conatur. Verba ejus hæc sunt[l]: "Trinitatem longe "aliter explicat Theophilus, quam Christiana fert "professio. Siquidem tres illos dies, qui in mundi

[f] Ad episcopatum Antiochenum circa an. 168. promotus. *Cave.* BOWYER.

[g] Pag. 100. [§. 22. p. 365.]

[h] [Pag. 102.]

[i] Lib. I. 1. p. 39. GRABE. [I. 8. 5, p. 41.]

[k] Pag. 94. [§. 15. p. 360.]

[l] Petav. de Trin. I. 3, 6.

" ortu solis ac lunæ procreationem antecesserunt, 73
" figuram ait Trinitatis, nempe Dei, et Verbi ipsius,
" et ipsius Sapientiæ. Ibi mentio nulla Spiritus,
" quem cum τῷ λόγῳ confudisse videtur; eundem
" quippe λόγον et πνεῦμα τοῦ Θεοῦ et vere σοφίαν appel-
" lasse, superius ostendimus." Quibus respondeo: Veteres secundæ et tertiæ personæ, ob communem utrique tum naturam, tum ab eadem πηγῇ Θεότητος derivationem, etiam nomina fecisse communia. Hinc ut secundam ὑπόστασιν aliquando *Spiritum Dei* vocant, (ut superius[l] ostensum est,) quo tertiam frequentius designant; ita nomine σοφίας nonnunquam tertiam personam indigitant, quo tamen secundam, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, notare solent. Hoc, præter Theophilum, ab Irenæo quoque et Origene factum esse alibi[m] observabimus. Neque tamen ideo censendi sunt sancti Patres ὑποστάσεις secundam et tertiam inter se confudisse; siquidem ex eorum scriptis, idque ex iis locis, ubi nomina utriusque commiscent, manifestissime apparet, ipsos Filium et Spiritum S. pro personis a se invicem revera distinctis habuisse. Ad Theophilum vero quod attinet, quis non videt, ipsa ejus verba suæ purgationi sufficere? quomodo enim censendus est Spiritum S. tertiam divinitatis personam cum τῷ λόγῳ confudisse, qui τὴν τριάδα diserte profitetur? Quid? an Pater et Filius sine Spiritu, seu tertia persona ab utroque distincta, Trinitatem possunt constituere? itaque manifestum est, Theophilum Filii et Spiritus S. non personas sed nomina tantum confudisse. Sed de Theophilo Antiocheno satis inpræsentiarum.

11. Cæterum hic oro lectorem, ut liceat mihi cum

[l] [Pag. 53.] [m] Vide sectionis hujus c. 5. §. 7. et IV. 3. 11.

bona ipsius venia a sanctorum Patrum monumentis ad ethnici hominis scripta paulisper divertere. Auctor Dialogi Luciano tributi, qui Philopatris inscribitur, prope finem [n] ridens inducit Christianum catechizantem ethnicum, (quem ideo alicubi in eo Dialogo catechumenum diserte appellat,) et inter alia mysterium SS. Trinitatis ipsi explicantem. Roganti ethnico Christianum, atque dicenti: "Quem-"nam igitur tibi jurabo?" Triephon, Christiani personam sustinens, respondet: Ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία· ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τὸν δὲ ἡγοῦ Θεόν. i. e. "Deum alte regnantem, magnum, "immortalem, cœlestem, Filium Patris, Spiritum ex "Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno "tria; hæc tu Jovem puta, hunc existima Deum." Quibus post aliqua hæc regerit ethnicus, Οὐκ οἶδα τί λέγεις· ἓν τρία, τρία ἕν. i. e. "Non intelligo quid dicas; "unum tria, tria unum!" Sane parum videt, qui non perspicit, in his verbis Trinitatem ὁμοούσιον, sive unum Deum in tribus personis subsistentem, clarissime doceri. Nihil autem est dubium, quin auctor hæc ex Christianorum suæ ætatis disciplina hauserit. Jam si hic Dialogus Luciani fuit, floruit ille Marci Antonini temporibus, (ut evidentissime probavit summus vir I. Gerardus Vossius [o],) circiter annum scilicet Christi 170. paulo post Justini tempora; σύγχρονος vero fuit Tatiani et Athenagoræ, quorum doctrinam modo explicavimus. Sed Jacobus Micyllus in Argumento ait, dubitari posse an Luciani sit Dialogus; siquidem, licet quod argumentum attinet, non abhorreat ab illius ingenio et dicacitate, phrasis tamen et

[n] [vol. III. p. 596. ed. Hemsterhus.]

[o] De Histor. Græc. II. 15.

tota adeo compositio cæteris ejus scriptis haudquaquam similis est. Atque in hanc Micylli sententiam pedibus iverunt alii viri eruditi. Addit tamen idem Micyllus et hæc: "Cæterum," inquit, "cujuscunque scriptum hoc fuit, videtur is Trajano Cæsari "ob victoriam in oriente partam potissimum gratulari voluisse contra eos, qui per id tempus sive "ipsi urbi, sive alteri alicui loco, (nam patriam solam "vocat,) pericula et clades præsagiebant: quos ipse "a principio sophistas appellat; ad finem tamen ita "describit, ut propemodum Christianos intelligere "videatur. Eo enim pertinet, quod in fine de Persico supercilio, de Susis, de tota Arabum regione "meminit. Omnia enim illa a Trajano devicta in "pop. Rom. potestatem illis tum temporibus rediere, "ut apud Dionem et Eutropium et cæteros, qui ejus "ætatis historiam scripserunt, videre est." Quod si verum sit, tum hinc colligere licet, qualisnam fuerit Christianorum fides de SS. Trinitate etiam sub Trajani imperio, diu ante Luciani tempora. Sed crediderim potius, in fine Dialogi, Marci Antonini, quo imperante Lucianum floruisse jam dictum est, victoriam contra Persas designari. Nam sic de eo scribit Sextus Aurelius Victor[p]: "Ejus ductu Persæ, "cum primum superavissent, ad extremum triumpho "cessere." Sic plane et auctor Dialogi, prope finem, Cleolaum quendam inducit festinantem atque anhelantem, ut lætum hoc nuncium apportaret: Πέπτωκεν ὀφρὺς ἡ πάλαι βωμένη Περσῶν, καὶ Σοῦσα, κλεινὸν ἄστυ. i. e. "Cecidit supercilium illud olim celebratum Persa"rum, et Susa urbs inclyta." Sed et illud tempora Marci Antonini non obscure indicat, quod in hoc

[p] In libro de Cæsaribus, in M. Aurel. Antonino.

Dialogo notantur quidam, qui de gravissimis et insolitis calamitatibus, quibus Romana tum affligeretur respublica, conquererentur, indeque pejora mala præ-
74 sagirent. Audi autem quid de initio imperii M. Antonini scribat Aurel. Victor. in Epitome: " M. " Antoninus," inquit, " imperavit annos 18. Iste vir- " tutum omnium cœlestisque ingenii extitit, ærum- " nisque publicis quasi defensor objectus est. Et- " enim nisi ad illa tempora natus esset, profecto " quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. " Quippe ab armis nusquam quies erat; perque om- " nem orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella " fervebant; terræ-motus non sine interitu civita- " tum, inundationes fluminum, lues crebræ, locusta- " rum species agris infestæ; prorsus ut prope nihil, " quo summis angoribus atteri mortales solent, dici " seu cogitari queat, quod non illo imperante sævi- " erit." Scriptus itaque fuit hic Dialogus vel ab ipso Luciano, (quod mihi quidem placet,) vel certe ab aliquo Luciani coætaneo; quod præsenti nostro instituto æque accommodum est. Audiamus nunc, quid contra hoc testimonium opponat Sandius: " Di- " cerem equidem," inquit [q], " Tryphonem" (Triephonem sive Triephontem dicere debuerat) " id ge- " nus hominum significare, de quibus legimus in " Clem. Rom. Constit. VI. 25. Ignat. ad Trall. Tars. " et Philipp. Justin. cont. Tryphonem, qui Luciano " sunt antiquiores." Scilicet nulla ipsi religio est, quid dicat, quid comminiscatur, quid fingat, modo id impiæ suæ causæ quacunque ratione inserviat. Nam quis non videt, auctorem hujus Dialogi non particularem aliquam obscuram Christianorum sec-

[q] Enucl. Histor. Eccl. I. p. 88.

tam, sed ipsam religionem Christianam sibi ridendam proponere? deinde hæretici, de quibus legimus apud pseudo-Clementem, Ignatium interpolatum, et Justinum, dicebant Filium esse ipsum qui super omnia Deus est, hoc est, ipsum Deum Patrem. At in hac brevi Trinitatis confessione Deus ille alte regnans, nempe Pater, primus nominatur, utpote qui fons divinitatis est; deinde Filius Patris, ut a summo illo Deo et omnium Parente distincta persona, subjungitur; qui tamen cum Spiritu S. ita Deo Patri natura conjunctus statuitur, ut tres illi unum Deum constituant, et tres tamen revera maneant; quæ quidem doctrina catholicorum est semperque fuit sententia; ab hæreticorum vero, de quibus somniavit Sandius, opinione longissime discrepat. Porro ridet hanc doctrinam Critias, confictus ille catechumenus, tanquam ἀκατάληπτον· "Non intelligo," inquit, "quid dicas, "unum tria, tria unum." Atqui hæretici, quos Sandius commemorat, Deum μονοπρόσωπον statuebant, hoc est, unam et singularem personam, qui triplici tantum quasi φάσει nunc Pater, nunc Filius, nunc demum Spiritus S. audiat; in qua sententia nihil est incomprehensibile. Denique Critias postea in eodem Dialogo, a Triephonte scilicet edoctus, ridens jurat per Filium in hac formula: Νὴ τὸν υἱὸν, τὸν ἐκ Πατρὸς, οὐ τοῦτο γενήσεται. i. e. "Per Filium, illum qui "ex Patre est, haudquaquam istud fiet." Jam Filium, illum qui ex Patre est, agnoscebant catholici; hæretici vero, quorum sententiam in hoc Dialogo explicari vult Sandius, non item. Res clara est. A profano scriptore ad sanctos ecclesiæ doctores redeo.

75 ## ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. IV. §. 1. SEQQ.

DE S. JUSTINO MARTYRE.

1. ARGUMENTUM primum pro vera Filii Deitate vir reverendus desumpsit ex istis Justini M. locis, ubi Christus ideo Deus dicitur, quod ex ipso Deo Patre, tanquam primogenitus ac λόγος ejus, sit generatus, in Apologia nempe Antonino Pio oblata p. 96. et in Dialogo cum Tryphone p. 355, et 357; sed et præcedenti p. 354.[r] illud clarissimis hisce verbis asseruit: Ἐπάλαισεν Ἰακὼβ μετὰ τοῦ φαινομένου μὲν, ἐκ τοῦ τῇ τοῦ Πατρὸς βουλῇ ὑπηρετεῖν, Θεοῦ δὲ, ἐκ τοῦ εἶναι τέκνον πρωτότοκον τῶν ὅλων κτισμάτων. "Luctatus est "Jacob cum eo qui illi apparuit, siquidem Patris voluntati "ministrabat, Deus autem erat, eo quod Filius primo-"genitus esset omnium creaturarum." Confer p. 267. D[s]. Notatu quoque dignum est, quod Justinus non simpliciter docuerit, Deum generasse λόγον, sed *ex se ipso* eum genuisse. Ita in Dial. cum Tryphone p. 284. A.[t] ex Scriptura se demonstraturum promittit, ὅτι ἀρχὴν πρὸ πάντων τῶν κτισμάτων ὁ Θεὸς γεγέννηκε δύναμιν τινὰ ἐξ ἑαυτοῦ λογικὴν, ἥτις καὶ δόξα Κυρίου ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου καλεῖται, ποτὲ δὲ υἱὸς, ποτὲ δὲ σοφία, ποτὲ δὲ ἄγγελος, ποτὲ δὲ Θεὸς, ποτὲ δὲ Κύριος καὶ λόγος. "Quod primitus[u] ante omnes creaturas "Deus genuerit ex semetipso Virtutem quandam rationa-"lem, quæ a Spiritu S. et *Gloria Domini* vocatur, ali-"quando autem *Filius*, nonnunquam vero *Sapientia*, "quandoque autem *Angelus*, nonnunquam vero *Deus*, in-"terdum autem *Dominus et Verbum*."

2. Atqui cum duo posteriora Θεοῦ et Κυρίου nomina Dei propria sint, hæc quam sæpe Justinus ductu Scripturæ λόγῳ seu Filio Dei tribuerit, neque nude appellari, sed revera esse Deum et Dominum crediderit, ex sequentibus

[r] [§. 125. p. 218.] [s] [§. 48. p. 143.] [t] [§. 61. p. 157.]

[u] ["Reddendum non duxi, *initio ante omnia*, sed *principium* "*ante omnia*." Edit. Bened.]

Dialogi cum Tryphone locis patet. Sic postquam pag. 246. C.[x] eum vocaverat Κύριον δυνάμεων, deinde p. 254. D.[y] accingit se ad demonstrationem, ὅτι καὶ Θεὸς καὶ Κύριος τῶν δυνάμεων ὁ Χριστὸς, "quod et Deus et Dominus exercituum "sit Christus;" hancque præstat ex Psalmo xxiii. xlvi. &c. Porro p. 275. C.[z] ait: Πειράσομαι ὑμᾶς πεῖσαι νοήσαντας τὰς γραφὰς, ὅτι ἐστὶ καὶ λέγεται Θεὸς καὶ Κύριος ἕτερος ὑπὲρ[a] τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων· "Persuadere annitar vobis scientibus "Scripturas, esse videlicet et dici Deum et Dominum "alium præter Factorem omnium;" quomodo et p. 281. D.[b] de ipso ait, Θεὸς καλεῖται, καὶ Θεός ἐστι, καὶ ἔσται. "Deus "vocatur, et Deus est, et erit." Petiit autem demonstrationes ex apparitionibus factis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mosi, quibus non Deum Patrem, sed λόγον visum fuisse, adeo sæpe Tryphoni inculcat, ut loca vix numerari queant.

3. Cum autem in plerisque illis locis, et ipso modo citato, eum qui Abrahæ ac Mosi apparuit dicit ἕτερον Θεὸν, Filium non alienæ aut diversæ a Patre essentiæ vult esse, sed solum distinctam ejus ὑπόστασιν indicat. Quod ex collatione p. 283. A.[c] et 227.[d] seq. clare patet. Illic enim ait: Οὐχ ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἔσται Θεὸς ὁ τῷ Μωσεῖ εἰπὼν αὐτὸν εἶναι Θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸν Ἰακὼβ, ἀλλ' ὁ ἀποδειχθεὶς ὑμῖν ὀφθαι τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ Ἰακὼβ, τῇ τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων θελήσει ὑπηρετῶν. "Non Conditor hujus universi- "tatis est Deus ille, qui Mosi dixit, se esse Deum Abra- "hæ, et Deum Isaaci, et Deum Jacobi, sed is, qui vobis "demonstratus est apparuisse Abrahamo et Jacobo, vo- "luntati Creatoris universorum ministrans," nempe λόγος seu Filius Dei. Hic vero ita sermocinatur: Οὔτε ἔσται ποτὲ ἄλλος Θεὸς, ὦ Τρύφων, οὔτε ἦν ἀπ' αἰῶνος, πλὴν τοῦ ποιήσαντος καὶ διατάξαντος τόδε τὸ πᾶν· οὐδὲ ἄλλον μὲν ἡμῶν, ἄλλον δὲ ὑμῶν ἡγούμεθα Θεὸν, ἀλλ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἐξαγαγόντα τοὺς πατέρας ἡμῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου ἐν χειρὶ κραταιᾷ, καὶ βραχίονι ὑψηλῷ· οὐδ' εἰς ἄλλον τινὰ ἠλπίκαμεν· οὐ γάρ ἐστιν· ἀλλ' εἰς τοῦτον, εἰς ὃν καὶ

[x] [§. 29. p. 126.] [y] [§. 36. p. 133.] [z] [§. 56. p. 151.]
[a] [Pro ὑπὲρ editor Benedict. restituit ὑπὸ ex MSS.]
[b] [§. 58. p. 156.] [c] [§. 60. p. 157.] [d] [§. 11. p. 111.]

ὑμεῖς, τὸν Θεὸν τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακώβ· "Neque "unquam alius erit, o Trypho, neque a condito seculo fuit "Deus, præter eum, qui fecit ac disposuit hoc universum: "neque alium nostrum, alium vestrum ducimus Deum, sed "illum ipsum, qui eduxit Patres vestros e terra Ægypti in "manu forti et brachio excelso: neque in alium quemquam "speramus, (non enim extat,) verum in eum, in quem et "vos, Deum Abrahæ, et Isaaci, et Jacobi." Est itaque ex sententia Justini Deus Creator mundi idem qui Deus Abrahæ, Isaaci et Jacobi, et non est idem; est scilicet idem in essentia, non est idem in persona. Linquo hoc a nomine Dei petitum argumentum pro ὁμοουσίῳ Filii, ubi unicum adhuc in dicto Dialogo locum annotavero p. 340. D.[e] ubi Justinus de Josua ait, quod Israelitis non æternam, sed temporalem tantum hæreditatem distribuerit, ἅτε οὐ Χριστὸς ὁ Θεὸς ὢν, οὐδὲ υἱὸς Θεοῦ, "utpote qui neque Christus "Deus esset, neque Filius Dei." Quæ verba ideo adjeci, ut si forte quispiam Arii vel Socini sectator, distinctione inter Θεὸν et τὸν Θεὸν, i. e. sine articulo et cum illo, ex Clementis Alexandrini lib. III. Strom. p. 460. C.[f] petita, Christum τὸν Θεὸν a Justino dictum negaverit, os ei obstrui queat.

4. Accedit denique, quod Christum Deum adorandum esse ex Scripturis in eodem Dialogo passim docuerit Justinus; sic p. 287. B.[g] citatis verbis Psalmi xliv. *Ipse est Dominus tuus, et adorabis eum*, subdit iis indicatum esse, ὅτι καὶ προσκυνητός ἐστι, καὶ Θεὸς, καὶ Χριστός· "Quod et ado-"randus sit, et Deus, et Christus." Et p. 293. B. C.[h] dum ex Tryphone quærit, num ipse alium quempiam προσκυνητὸν, καὶ Κύριον, καὶ Θεὸν, "adorandum, et Dominum, et "Deum," in Scripturis dictum noverit, πλὴν τοῦ τοῦτο ποιήσαντος τὸ πᾶν, καὶ τοῦ Χριστοῦ, "præter Conditorem univer-"sitatis hujus, et Christum?" hunc pariter atque illum tamen esse indicat. Et sequenti p. 294. C.[i] iterum mentionem facit Scripturarum, αἳ διαῤῥήδην τὸν Χριστὸν καὶ παθη-

[e] [§. 113. p. 206.] [f] [p. 548.] [g] [§. 63. p. 160.]
[h] [§. 68. p. 165.] [i] [§. 68. p. 166.]

τὸν, καὶ προσκυνητὸν, καὶ Θεὸν ἀποδεικνύουσιν, "quæ disertis "verbis Christum et passionibus obnoxium, et adorandum, "et Deum demonstrant." Denique p. 302. B.[k] ex Scriptura docet, Θεὸν ἰσχυρὸν καὶ προσκυνητὸν Χριστὸν ὄντα, "Deum "fortem atque adorandum esse Christum." At vero neminem nisi verum Deum adorandum esse, planissime docet Justinus Apol. I. p. 31. lin. 5. et p. 32. l. 30. nostræ edit. vel pag. 63.[l] et seq. edit. Paris. Christum igitur talem esse credidit.

AD §. 10.

DE TATIANO ET THEOPHILO ANTIOCHENO.

Duo Tatiani loca, quibus Christum Deum vocat, annotare haud abs re erit. Nam sect. 22. p. 54. lin. 8. nuperrimæ editionis, ab amicissimo Worthio egregie elaboratæ[m], Spiritum S. appellat τὸν διάκονον τοῦ πεπονθότος Θεοῦ, "Mi"nistrum Dei passi." Et sect. 35. p. 77. lin. 9. seqq.[n] hæc habet verba: Οὐ γὰρ μωραίνομεν, ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ λήρους ἀπαγγέλλομεν, Θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες. "Non desipimus, o Græci, neque nugas vobis pro"ferimus, Deum sub hominis forma natum annuntiantes." Ad ea itidem, quæ ex Theophilo Antiocheno allata sunt, duo ex lib. III. ad Autolycum adjicio. Ibi nempe p. 122. D.[o] ait: Νομοθέτην ἔχομεν τὸν ὄντως Θεόν· "Legislatorem "habemus eum qui vere Deus est." Atqui eum, qui Mosi in monte Sinai apparuit, ac legem tulit, non Deum Patrem, sed Filium fuisse, Theophilus procul dubio cum universo Patrum ejus ævi choro credidit, idque satis clare indicavit lib. II. p. 100. A.[p] In ipso fine denique lib. III. ait, ethnicos præmia et honores decernere Christianis, τοῖς εὐφώνως ὑβρίζουσι τὸν Θεὸν, "qui sonora voce Deum contumeliis "afficiunt." Atqui Christiani non compellebantur ab ethnicis supremum Deum, primum rerum omnium causam, negare vel contumeliis afficere, sed Christum, quem ipsi

[k] [§. 76. p. 174.] [l] [§. 16. p. 53.] [m] [§. 13. p. 255.]
[n] [§. 21. p. 262.] [o] [§. 9. p. 386.] [p] [§. 22. p. 365.]

Dei Filium esse et unum cum Patre Deum confitebantur. Hunc itaque nomine Dei hic indigitasse videtur Theophilus.

77 CAP. V.

Declaratur Irenæi doctrina de Filio Dei, Nicænam fidem apertissime confirmans.

1. NUNC attente audiamus, quæ S. episcopus et martyr Irenæus [q] de Filii Dei vera divinitate ex apostolico ipsius præceptore Polycarpo edidicit, aliosque adeo edocuit. Præclara quidem ex hoc scriptore testimonia contra Arianos me allaturum, supra promisi [r]; an vero fidem meam in hoc capite liberaverim, penes lectorem non prorsus iniquum judicium esto. In libro III. cap. 6.[s] totus in eo est Irenæus, ut probet, " Neque Dominum, neque Spiritum S. " neque apostolos, eum qui non esset Deus, defini- " tive et absolute Deum nominasse aliquando, nisi " esset verus Deus; neque Dominum appellasse ali- " quem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, " Deum Patrem et Filium ejus." Idem mox testimonium illud ab Justino citatum ex Psal. xlv. *Sedes tua, Deus, in æternum*, &c. allegat, subjungens, *Utrosque Dei appellatione significavit Spiritus, et eum qui ungitur Filium, et eum qui ungit, id est, Patrem.* Unde hujusmodi argumentum formamus: Quisquis in Scripturis Deus absolute et definitive dicitur, is revera Deus est; at Filius, perinde ac Pater, Deus in Scripturis absolute ac definitive dicitur: ergo Filius perinde ac Pater est revera Deus. Præ-

[q] Natus an. 97. scripsit adversus hæreses an. 175. *Cave.* BOWYER.

[r] Cap. 3. §. 18. Grabe. [p. 167.] [s] [Pag. 180.]

misse sunt Irenæi; ergo et conclusio inde necessario sequens. Addit postea [t] Irenæus: "Scriptu-
"ram, cum eos, qui non sunt dii, nominat, non in
"totum ostendere illos deos, sed cum aliquo addi-
"tamento et significatione, per quam ostenduntur
"non esse dii."

2. Huic adjungendus est locus in lib. IV. cap. 11.[u] "Dominus enim noster," inquit, "et Magister in ea
"responsione, quam habuit ad Sadducæos, qui dicunt
"resurrectionem non esse, et propter hoc inhono-
"rantes Deum atque legi detrahentes, et resurrec-
"tionem ostendit, et Deum manifestavit, dicens eis,
"*Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem*
"*Dei. De resurrectione enim*, inquit, *mortuorum*
"*non legistis quid dictum est a Deo dicente, Ego*
"*sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Ja-*
"*cob?* et adjecit, *Non est Deus mortuorum, sed vi-*
"*ventium*; omnes enim ei vivunt. Per hæc utique
"manifestum fecit, quoniam is qui de rubo locutus
"est Moysi, et manifestavit se esse Deum Patrem, hic
"est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus,
"nisi qui est super omnia [x] Deus, super quem alius
"non est Deus?" Et paulo post: "Qui igitur a
"prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum
"Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi, qui
"et Sadducæos redarguit, qui et resurrectionem do-
"navit." Post aliqua sic concludit: "Ipse igitur
"Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locu-
"tus est Moysi, qui et Patribus manifestatus est."
Quid his manifestius esse potest? scilicet, juxta Irenæum, qui Mosi de rubo locutus est, seque Patribus manifestavit, is est Deus vivus, Deus viventium,

[t] [§. 3. p. 181.] [u] [Cap. 5. 2. p. 232.]

[x] [Verba *super omnia* rejicit editor Benedict.]

Deus super omnia, et super quem alius non est Deus; at juxta eundem Irenæum Christus ipse cum Patre is est, qui locutus est Mosi, et Patribus manifestatus est. Quid vero ex his sequitur? scilicet, ergo Christus ipse cum Patre est Deus vivus, Deus viventium, Deus super omnia, et super quem alius non est Deus; quod et in terminis Irenæus affirmat.

3. Hoc ex eo amplius confirmatur, quod idem Irenæus III. 18.[y] citet apostoli testimonium Rom. ix. 5. iisdem verbis eodemque sensu, quo ipsum hodieque accipiunt catholici. Nam probaturus contra hæreticos, "non alium Jesum, alterum Christum "fuisse, sed unum et eundem esse," post alia illum Pauli locum ita adducit: "Et iterum ad Romanos "scribens de Israel dicit, *Quorum Patres, et ex "quibus Christus secundum carnem, qui est Deus* 78 "*super omnes benedictus in sæcula.*" Erasmus tamen (quem secuti sunt alii) hoc etiam irrefragabile pro vera Filii divinitate testimonium reddere incertum conatus est; nam triplicem hic verborum constructionem commentus est, quarum una tantum Filii Deitatem agnoscit. Atqui antiquissimus Pater Irenæus nullam aliam præter receptam lectionem ac constructionem agnovit. Irenæo autem consentiunt Tertullianus lib. cont. Prax. cap. 13. [p. 507.] &c. 15. [p. 509.] Novatian. de Trinit. cap. 13 et 30[z]; Cyprian. lib. II. Testim. cont. Judæos[a], (etsi secus pronuntiavit Erasmus, mendoso Cypriani codice deceptus,) Origenes ad Roman. ix. 5.[b] Athanasius Orat. II.

[y] [Cap. 16. 3. p. 205.]

[z] [Pag. 715. et 729.]

[a] [c. 6. p. 286.]

[b] [Vol. IV. p. 612. His Antenicænis testibus adde Hippol. c. Noet. 2. vol. II. p. 7, &c. 6. p. 10. Dionys. Alex. p. 246. et 248. Epist. Syn. Concil. Antioch.]

et V. cont. Arianos, et in libro de communi essentia[c]; Gregorius Nyssen. lib. X. cont. Eunom.[d] Marius Victorinus lib. I. cont. Arium; Hilarius lib. IV. et VIII; Ambrosius lib. I. de Spiritu S. cap. 3; et lib. IV. de Fide cap. 6; Augustinus lib. II. de Trinit. cap. 13; et lib. I. cont. Faust. cap. 3 et 6; Cyrillus lib. I. Thesauri; Idacius contra Varimadum lib. I. Cassianus initio lib. III. de Incarn. Gregorius M. Homil. VIII. in Ezech. Isidorus Hispalensis libro de Different. num. 2. et alii ferme omnes Patres, "qui "Erasmum" (inquit Petavius[e]) "temeritatis incon- "sultæ reum peragunt, dum ita pronuntiare non "est veritus: *Qui contendunt ex hoc loco evidenter "evinci, Christum aperte dici Deum, aut videri "aliis Scripturæ testimoniis parum fidere, aut "nihil ingenii tribuere Arianis, aut parum attente "contemplari sermonem apostoli.*" Falso id quidem (subjicit Petavius) et impudenter, in quo etiam a Beza reprehensus est. Sed ad Irenæum redeo.

4. Nobilissimus est ejusdem locus in lib. IV. cap. 8.[f] "Omnia," inquit, "mensura et ordine Deus facit, et "nihil non mensum apud eum, quoniam nec incom- "positum. Et bene qui dixit, ipsum immensum "Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Pa- "tris Filius, quoniam et capit eum." Quid his clarius? docet Filium immenso Patri commensurari, eumque totum, quantus quantus sit, capere comprehendereque; proinde ipsi per omnia (si id tantum demas, quod a Patre sit) æqualem esse. Nam ca-

[c] [Athanas. Orat. I. 11. vol. I. p. 415. Orat. IV. 1. p. 617. Epist. II. ad Serap. 2. p. 684. Epist. ad Epict. 10. p. 908. De communi essentia, 27. vol. II. p. 16.]

[d] [Vol. II. p. 693.] [e] De Trin. II. 9. 2.

[f] [c. 4. 2. p. 231.]

pere magnitudinem Patris Irenæo idem esse, quod Patri esse æqualem, constat ex alio Irenæi loco I. 1. ubi Valentini fabulam refert, nempe Bythum genuisse Nun ὅμοιόν τε καὶ ἴσον τῷ προβαλόντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ Πατρός. i. e. "Similem et æqua- "lem ei qui emiserat, et solum capientem magnitudi- "nem Patris." Notandum autem, non simplex esse hoc testimonium, neque tantum Irenæi, sed et alterius scriptoris catholici, ipso antiquioris, vel certe ejus ὁμήλικος, cujus hic verba citantur, sensum declarare. Sed vide, quomodo hoc invictum Irenæi testimonium evadere conetur Irenici auctor. Respondet scilicet [h], "Irenæum non de quavis mensura hic "loqui, qua Filius Patrem mensuret; sed vel de ea "mensura, de qua modo egerat, scilicet, quod Filius "ea legis impleat, perficiat et capiat, quæ hactenus "apud Patrem mensa et determinata fuerant; vel, "si de alia etiam mensura, cognitionis scilicet, agit, "eam in suo genere perfectam, non vero mox sum- "mam intelligere." Quibus hæc regero; Primo, quod de legis impletione, perfectione et comprehensione per Christum hæreticus respondet, plane sophisticum est. Nam verba testimonii, quibus probatio nostra innititur, nempe hæc, "ipsum immen- "sum Patrem in Filio mensuratum, &c." non ἀμέσως connectuntur cum iis, quæ de lege dixerat Irenæus initio capitis. Scilicet ibi affirmat, legi veteri rituali suum tempus a Deo mensum ac definitum fuisse, ita nimirum ut a Mose illa inciperet, et in Joanne desineret. Deinde a particulari ad universale transiens obiter docet, omnia universim mensura et ordine Deum fecisse, et nihil non mensum apud Deum esse. Hæc autem dum cogitat vir sanctus, mente subito

[g] [P. 5.] [h] Irenic. p. 46.

quasi volatu in sublime evecta, (quod hujusmodi scriptoribus alias non raro accidit,) videt, Deum mensuræ et proportionis adeo amantem esse, ut neque sibi ipsi deesse mensuram voluerit, qua veluti circumscriberetur et contineretur infinitas sua et immensitas. Quod confirmat hoc insigni et egregio catholici cujusdam scriptoris dicto, " ipsum immen-
" sum Patrem in Filio mensuratum, &c." Mox vero se recolligens, et quasi discedens ab illa sublimitate, redit ad institutum, ostendens, totam Veteris Testamenti administrationem temporalem fuisse. Hanc veram esse ejus capitis analysim facile videbit, quisquis ipsum non prorsus oscitanter legerit. Præterea quis adeo vecors est, ut serio existimet, horum verborum, " ipse immensus Pater in Filio mensura-
" tur, &c." hunc esse sensum: voluit Deus, ut lex Mosis ritualis definitum suum tempus haberet, atque, ut a Mose inceperit, ita per Christum tandem impleta cessaret et aboleretur? Nam agit ibi manifeste Irenæus non de lege morali perpetua et æterna; sed de ceremoniali, ut loquuntur, quæ nempe " a Moyse
" inchoavit, et consequenter in Joanne desivit, et de
" legisdatione, quam finem oportuit habere, manifes-
" tato Novo Testamento." Secundo, quod alterum anonymi interpretamentum attinet, diserte loquitur Irenæus non de mensura, in suo qualicunque genere perfecta, sed de summa et adæquata, hoc est, 79
de ejusmodi mensura, in qua ipse immensus Pater, quantumcunque immensus sit, mensuretur. Certe conspicua est emphasis in voce *ipsum*, neque hoc, *ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum* &c. aliud significare potest, quam Patrem, quatenus immensus est, hoc est, a nulla creatura capi potest, a Filio quidem comprehendi. Sensum loci red-

didit, nescio an ipsum locum respexerit, Gregorius Thaumaturgus in Oratione Panegyrica ad Origenem, ubi ait, Deum Patrem Filio suo seipsum ἐκπεριϊέναι *circumambire;* quod mox explicans dicit Filium gaudere τῇ ἴσῃ πάντῃ δυνάμει τῇ αὐτοῦ. i. e. "virtute usquequaque paternæ æquali." Locum integrum infra[i] adducemus. Tertio, frustra omnino conatur sophista hunc Irenæi locum altero illo, in libro V. haud longe ab initio, eludere. Neque enim ibi dicit Irenæus, hominem capere magnitudinem Patris, vel ipsum immensum Patrem in eo mensuratum esse; et alibi, quomodo vir pius capere aliquatenus Patrem dicatur, clare explicat, nempe in lib. IV. cap. 37. Verba sunt[k]: "Præsignificabant enim "prophetæ quoniam videbitur Deus ab hominibus, "quemadmodum et Dominus ait, *Beati mundo "corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed secun-"dum magnitudinem quidem ejus, et mirabilem glo-"riam, *nemo videbit Deum et vivet;* incapabilis "enim Pater; secundum autem dilectionem et hu-"manitatem, et quod omnia possit, etiam hoc conce-"dit iis qui se diligunt, id est, videre Deum." Diserte hic negat Irenæus, mundos corde Deum videre et capere secundum magnitudinem ejus et mirabilem gloriam, siquidem Deus hoc modo incapabilis sit, nempe ab homine et creaturis omnibus; (unde et paulo superius ibidem dixerat, Deum "secundum magni-"tudinem ignotum esse omnibus his qui ab eo facti "sunt;) at in loco, quo de agitur, clare docet, Filium Dei capere Patrem suum etiam secundum magnitudinem ejus, ita scil. ut ipse immensus Pater in Filio mensuretur. In re omnibus manifesta pluribus non est opus.

[i] Cap. 12. 4.

[k] Pag. 370. [c. 20. 5. p. 254.]

5. Pene infinitus forem, si loca Irenæi omnia, quæ ad confirmandum Filii τὸ ὁμοούσιον faciunt, adducerem. Itaque contentus ero, allatis modo martyris beatissimi testimoniis unum præterea et alterum adjecisse, quæ Arianæ hæresis jugulum ipsum prorsus confodiunt. In lib. II. c. 43.[1] prodigiosam Valentinianorum superbiam, qui omniscientiam quandam sibi arrogarunt, reprimit ac retundit, pulcherrima comparatione hominis ad Filium Dei instituta, his verbis: "Si autem et aliquis non invenerit causam omnium quæ requiruntur, cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, et qui ex parte acceperit gratiam, et qui nondum æqualis vel similis sit Factori, et qui omnium experientiam et cogitationem habere non possit ut Deus: sed in quantum minor est ab eo qui factus non est, et qui semper idem est, ille qui hodie factus est et initium facturæ accepit, in tantum secundum scientiam, et ad investigandum causas omnium, minorem esse eo qui fecit. NON ENIM INFECTUS ES, O HOMO, NEQUE SEMPER COEXISTEBAS DEO, SICUT PROPRIUM EJUS VERBUM; sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturæ accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit. Ordinem ego serva tuæ scientiæ, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum [m]." Verba tam clara luce refulgent, ut nulla prorsus nostra sive explicatione sive deductione indigent. Huic autem loco geminus est alter in lib. III. cap. 8.[n] ubi itidem Irenæus inter Verbum seu Filium Dei et creaturas collationem instituit hunc in modum: "Sed nec quid-

[1] [c. 25, 3. p. 153.]

[m] [Vid. hæc verba iterum citata in III. 2, 4.]

[n] [Pag. 183.]

" quam," inquit, " ex his quæ constituta sunt, et in " subjectione sunt, comparabitur Verbo Dei, per " quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster " Jesus Christus. Quoniam enim sive angeli, sive " archangeli, sive throni, sive dominationes, ab eo, " qui super omnes est Deus, et constituta sunt et " facta per Verbum ejus, Joannes quidem sic signi- " ficavit. Cum enim dixisset de Verbo Dei, quoniam " erat in Patre, adjecit, *Omnia per eum facta sunt,* " *et sine eo factum est nihil.* David quoque, cum " laudationes enumerasset, nominatim universa quæ- " cumque diximus, et cœlos, et omnes virtutes eorum, " adjecit [o], *Quoniam ipse præcepit, et creata sunt;* " *ipse dixit, et facta sunt.* Cui ergo præcepit? " Verbo scilicet, per quod, inquit [p], *Cœli firmati* " *sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* " Quoniam autem ipse omnia fecit libere, et quem- " admodum voluit, ait iterum David [q], *Deus autem* " *noster in cœlis sursum, et in terra, omnia, quæ-* " *cumque voluit, fecit.* Altera autem sunt, quæ con- " stituta sunt, ab eo qui constituit, et quæ facta " sunt, ab eo qui fecit. Ipse enim infectus et sine " initio, et sine fine, et nullius indigens, ipse sibi " sufficiens, et adhuc reliquis omnibus, ut sint, hoc " ipsum præstans: quæ vero ab eo sunt facta, ini- " tium sumpserunt; quæcumque autem initium sump- " serunt, et dissolutionem possunt percipere, et sub- " jecta sunt, et indigent ejus qui se fecit; necesse
80 " est omnino, uti differens vocabulum habeant, apud " eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo " talia habent; ita ut is quidem, qui omnia fecerit, " CUM VERBO SUO, juste dicatur Deus et Dominus " solus; quæ autem facta sunt, non jam ejusdem

[o] Psal. cxlviii. 5. [p] Psal. xxxiii. 6. [q] Psal. cxxxv. 5.

" vocabuli participabilia esse, neque juste id vocabu-
" lum sumere debere, quod est Creatoris." Docet hic aperte Irenæus, Verbum seu Filium Dei ab iis omnibus, quæ constituta, facta, et subjecta sunt, (sint licet illa supremi ordinis creaturæ, scilicet sive angeli, sive archangeli, sive throni, sive dominationes) tam infinitis intervallis dissitum esse, ut ea, vel ideo quod constituta, facta, ac subjecta sint, in comparationem cum ipso venire neutiquam mereantur. Docet, eundem Dei Filium juxta cum Patre suo increatum esse, et æternum, nullius indigentem, sibi ipsi sufficientem, ac porro creaturis omnibus, ut sint, largientem. Ad hæc diserte docet, Verbum seu Filium Dei, propterea quod tum ipse increatus sit, tum per ipsum omnia sint facta, una cum Patre suo in consortium divini nominis admitti debere; reliquis vero omnibus, quæ facta et constituta sunt, Dei vel Domini vocabulum, utpote Creatoris proprium, abusive atque improprie omnino tribui. Denique hæc omnia eo fervore asserit, ut qui increatam naturam a rebus creatis ad eum modum distinguere et discriminare nesciunt, communis eos sensus plane expertes esse pronuntiet. Nescio sane, an quicquam his efficacius contra Arianam blasphemiam ab ullo catholicorum doctorum, qui post concilium Nicænum scripserunt, dictum aut prolatum unquam fuerit.

6. Neque tamen vel hic Irenæi locus Petavii censuram potuit effugere. Nam ex eo, quod Pater optimus, postquam citaverat Psalmistæ verba, *Quoniam ipse præcepit, et creata sunt*, &c. hæc subjecerit, " Cui ergo præcepit? Verbo scilicet," colligit Jesuita[r], *ὑπουργίαν* quandam ab ipso et ministri func-

[r] Petav. de Trin. I. 3. 7. Vide et Sand. Enucleat. Hist. Eccl. I. p. 91.

tionem in rerum creatione Dei Filio tribui, qualem et lib. IV. cap. 17.[s] significat. Sed quis hic viri ἐπιείκειαν et candorem non desideret? quam facile ipsi erat, verbis illis ex ipso loci contextu sanam interpretationem adhibere? Scilicet Deus Verbo suo creationem mundi præcepit, non ut Dominus servo, (Filium enim Dei diserte ibidem eximit Irenæus ex eorum numero, quæ constituta, facta et subjecta sunt,) sed ut Pater Filio, ejusdem cum ipso increatæ naturæ, divini imperii ac potestatis consorti. Præcepit autem Deus Verbo suo, ut mundus fieret, hoc est, voluit mundum fieri per Verbum suum, concurrente ipsius Verbi voluntate. Hinc ipse Petavius alibi, quasi sui oblitus, fatetur, Irenæum hæc catholice scripsisse, et aliquos veterum, qui post Nicænam vixere synodum, et Arianæ hæresis hostes acerrimi fuerunt, eodem genere sermonis sine ulla offensione usos fuisse. Nam in lib. II.[t] de Trinit. sic scribit: " Sunt autem aliqui, qui eodem genere sermonis " nulla penitus offensione sunt usi, ut Patris man- " datum ac præceptum sapere illa verba (nempe, " *Faciamus hominem*, &c. Gen. i. 26.) putarent. " Ita enim Irenæus Verbum ait infectum et æter- " num esse, eique præcepisse Deum, creare omnia. " Et alibi[u]: Hominem esse procreatum Patre vo- " lente ac jubente, Filio vero exequente et effi- " ciente[x]. Basilius[y] quoque et προστάσσοντα, id est, " imperantem Dominum, et δημιουργοῦντα λόγον, id est,

[s] [c. 7, 4. p. 236.]

[t] c. 7. n. 7.

[u] Iren. IV. 75. [c. 38. 3. p. 285.]

[x] [Græce τοῦ μὲν Πατρὸς εὐδοκοῦντος καὶ κελεύοντος, τοῦ δὲ υἱοῦ πράσσοντος καὶ δημιουργοῦντος.]

[y] Basil. l. de Sp. S. c. 16. [vol. III. p. 32.]

" Verbum efficiens appellat. Et Cyrillus in libro " XXIX. Thesauri. Athanasius etiam in libro de " Decretis Nicæn. Synod.[z] hæc de Psalmo secundo " ac tricesimo, *Ipse mandavit, et creata sunt*, expo- " nit sic, ut Patrem Filio mandasse velit. Marius " item Victor libro primo de Rerum Creatione:

" Quæ mandante Deo cum plenus mente Parentis
" Filius omnipotens faceret.

" Tum auctor libri de Incarnatione, qui tomo IV. " extat operum Augustini, Filium dicit in omni con- " ditione Patri ministrasse, quia per ipsum omnia " facta sunt. Eodemque spectant et illa Prosperi " in Commentario ad Psalmum cxlviii. *Ipse man-* " *davit, et creata sunt:* quod enim Deus dicit, Verbo " dicit; et Verbum, per quod facta sunt omnia, man- " datum dicentis exequitur." Ita scil. Petavio ipse Petavius optime respondit. Cæterum quod in loco, quo de agimus, Irenæus dicat, ipsum Deum libere omnia fecisse, id ex Davide probans dicente, *Deus autem noster in cœlis sursum, et in terra, omnia, quæcumque voluit, fecit*, inde sic porro argumentatur Irenici auctor[a]: "Quasi," inquit, " diceret, Ver- " bum quidem secundum mandatum Patris omnia " fecisse; at Deum ipsum libere, quicquid voluit; " quæ oppositio Patrem Filio majorem dici innuit." Verum si Irenæum unquam attente legisset hæreticus, certe tam insulsa cavillatione omnino abstinuisset. Nimirum cum Irenæus Deum Patrem per Verbum, sive Filium suum, omnia libera sua voluntate

[z] [§. 9. vol. I. p. 216.] Vide et Athanasium, Orat. contr. Gentes tom. I. p. 51. [§. 46. vol. I. p. 45.]

[a] Pag. 46.

fecisse dicit, Gnosticos oppugnat, qui docuerunt, ab inferioribus potestatibus mundum factum fuisse, id-
81 que præter summi Dei sententiam ac voluntatem. Adversus hos hæc duo ubique in libris suis adfirmat et probat sanctus episcopus; 1°. Hunc mundum neutiquam ab inferioribus potestatibus, a summi Dei essentia et natura alienis, conditum fuisse; sed ab ipso summo Deo per *suam* ipsius *progeniem*, perque proprias *suas manus*, (ut ipsis Irenæi verbis utar[b],) nempe per Filium et Spiritum Sanctum factum. 2°. Mundum hunc fabricatum non fuisse per virtutes aliquas *abscissas a sententia* Dei, (ut loquitur in loco, quem mox citabimus ex lib. I. cap. 19.[c]) hoc est, quæ agerent præter ejus sententiam ac voluntatem; sed ab ipso Deo per Filium et Spiritum S. *consulto* et *liberrime* productum fuisse. Iterum dico, vel non omnino vel perfunctorie tantum et incuriose admodum legisse Irenæi scripta, qui hanc esse optimi Patris ipsissimam mentem ac sententiam non intelligit.

7. Quod ad alterum locum attinet, quem carpit Petavius, in libro IV. cap. 17.[d] ubi Filio, ut et Spiritui Sancto, ministri functionem tribuere videtur Irenæus in rerum creatione, respondeo, intelligere ibi Irenæum ministrum non Patri *extraneum*, (quod Ariani voluerunt,) sed ὁμοούσιον et *connaturalem*; seu potius id tantum velle, Deum Patrem per Filium et Spiritum S. opus illud creationis perfecisse, quod angelis ministris aut inferioribus potestatibus tribuebant hæretici. En ipsa Irenæi verba; "Hæc "enim Filius," inquit, "qui est Verbum Dei, ab "initio præstruebat, non indigente Patre angelis,

[b] [Vid. IV. 20, 1. et V. 1. et 28.] [c] [c. 22. p. 98.]
[d] [c. 7, 4. p. 236.]

" uti faceret conditionem, et formaret hominem, " propter quem et conditio fiebat; neque rursus in- " digente ministerio ad fabricationem eorum quæ " facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, " quæ secundum hominem erant, sed habente copio- " sum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim " ei ad omnia sua progenies et figuratio sua, id est, " Filius et Spiritus Sanctus, Verbum et Sapientia; " quibus serviunt et subjecti sunt omnes angeli." Quasi diceret, Universorum Patri ad condendam creaturam ministris non opus erat, sive angelis sive aliis inferioribus potestatibus, ab ipsius essentia et natura remotis, quemadmodum vos hæretici temere adeoque impie finxistis; abunde enim et ad hoc et ad omnia sufficiebat ei sua ipsius progenies, quæ ex ipso et in ipso erat, Filius nempe et Spiritus S. qui adeo ministri non sunt, ut ipsis revera ministrent, serviant, et subjectæ sint creaturæ omnes, adeoque ipsi angeli. Papæ! quantum hæc ab Arianismo distant! libet tamen in clariorem rei explicationem alia nonnulla Irenæi loca huic subjicere. In libro I. cap. 19.[c] prope initium, de rerum creatione per Filium et Spiritum S. sic disserit; " *Omnia per ip-* " *sum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* " Ex omnibus autem nihil subtractum est, sed om- " nia per ipsum fecit Pater, sive visibilia sive in- " visibilia, sive sensibilia sive intelligibilia, sive tem- " poralia propter quandam dispositionem, sive sem- " piterna et æonia, non per angelos, neque per vir- " tutes aliquas abscissas ab ejus sententia; nihil " enim indiget omnium Deus; sed et per Verbum " et Spiritum suum omnia faciens et disponens et " gubernans, et omnibus esse præstans." Eandem

[c] [c. 22. p. 98.]

doctrinam tradit in libro II. cap. 55.[f] sub finem his verbis; " Solus unus Deus Fabricator, hic, qui est " super omnem principalitatem et potestatem et do- " minationem et virtutem; hic Pater, hic Deus, hic " Conditor, hic Factor, hic Fabricator, qui fecit ea " per SEMETIPSUM, hoc est, per Verbum et per Sa- " pientiam suam, cœlum et terram et maria, et omnia " quæ in eis sunt." Cui loco geminum habemus in lib. IV. cap. 37.[g] prope initium; " Non ergo," inquit, " angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, " nec angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec " alius quis præter Verbum Domini, nec virtus longe " absistens a Patre universorum. Nec enim indi- " gebat horum Deus ad faciendum quæ ipse apud " se prædefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet " manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapi- " entia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus " omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, " dicens, *Faciamus hominem ad imaginem et simi-* " *litudinem nostram;* IPSE A SEMETIPSO substan- " tiam creaturarum, et exemplum factorum, et figu- " ram in mundo ornamentorum accipiens." Quibus in locis Irenæus eam Patris, Filii, et Spiritus Sancti, quem nomine Sapientiæ cum Theophilo Antiocheno et aliis indigitat, οὐσίας ταυτότητα (salva semper personarum distinctione) asserit, ut Patrem, per Filium et Spiritum S. mundum creantem, per semetipsum illum fecisse dicat. Ex his vero omnibus tandem manifestissimum fit, S. Irenæum ab Ariano dogmate prorsus abhorruisse, eamque fidem, quæ postea a Patribus Nicænis exposita fuit, omnino tenuisse.

8. Quod venerando scriptori ab auctore Irenici, Sandio, et aliis objicitur, nempe ab ipso tribui Filio

[f] [c. 30, 9. p. 163.] [g] [c. 20. p. 253.]

Dei, etiam qua Deus est, diei et horæ extremi judicii ignorantiam, prorsus insulsam esse cavillationem, facile demonstrabimus. In libro II. cap. 49.[h] ita quidem scribit, "Etenim si quis exquirat cau-
"sam, propter quam in omnibus Pater communi- 82
"cans Filio solus scire horam et diem a Domino
"manifestatus est, neque aptabilem magis, neque
"decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc
"inveniat in præsenti, (quoniam enim solus verax
"Magister est Dominus,) ut discamus per ipsum,
"super omnia esse Patrem. Etenim *Pater*, ait,
"*major me est;* et secundum agnitionem itaque
"præpositus esse Pater annuntiatus est a Domino
"nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura
"hujus mundi sumus, perfectam scientiam et tales
"quæstiones concedamus Deo; et ne forte quæren-
"tes altitudinem Patris investigare in tantum peri-
"culum incidamus, uti quæramus, an super Deum
"alter sit Deus." Fateor, verba primo intuitu videri, Filio Dei, etiam qua maxime proprie Dei Filius est, ignorantiam tribuere. Verum sophistis si vacasset integrum illud Irenæi caput legisse, facile vidissent, aliam prorsus fuisse sanctissimi Patris mentem ac sententiam. Nam in illo ipso capite paulo ante hæc de Christo Domino nostro scripserat, "Etsi
"enim *Spiritus* Salvatoris, qui in eo est, *scrutatur*
"*omnia, et altitudines Dei;* sed quantum ad nos,
"*divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministeri-*
"*orum, et divisiones operationum*, et nos super ter-
"ram, quemadmodum et Paulus ait, *ex parte qui-*
"*dem cognoscimus, et ex parte prophetamus.* Sicut
"igitur ex parte cognoscimus, sic et de universis
"quæstionibus concedere oportet ei, qui ex parte

[h] [c. 28, 8. p. 158.]

" nobis præstat gratiam." Ubi per *Spiritum Salvatoris* divinam ipsius naturam intelligi perspicuum est. Quippe sic et alibi, cum veteribus aliis, quos supra[h] commemoravi, Christi Θεότητα *Spiritum* vocat, nempe V. 1. Εἰ δὲ μὴ ἦν ἄνθρωπος ἐφαίνετο ἄνθρωπος, οὔτε ὁ ἦν ἐπ' ἀληθείας ἔμεινε, πνεῦμα Θεοῦ, " Si hominis tan-
" tum speciem præbebat, cum homo non esset, sane
" neque id quod vere erat, hoc est Dei Spiritus, re-
" manebat;" et paulo post ibid. " In fine Verbum
" Patris et Spiritus Dei, adunitus antiquæ substan-
" tiæ plasmationis Adæ, viventem et perfectum ef-
" fecit hominem." Manifestum est igitur, Christo homini tantum ignorantiam tribuisse Irenæum; Spiritui vero, sive divinitati ipsius, omniscientiam absolutissimam concessisse. Quippe divinam sapientiam menti humanæ Christi effectus suos impressisse pro temporum ratione, Christumque, qua homo fuit, προκόψαι σοφίᾳ, *profecisse sapientia*, (ut Luc. ii. 52. diserte dicitur,) adeoque pro tempore suæ ἀποστολῆς, quo ista scientia opus non habebat, diem judicii universalis ignorare potuisse, nemini sano absurdum videbitur; quanquam reformatos ob istam sententiam mire exagitent pontificii, atque inter eos imprimis os fœdissimum Feuardentii, qui in hunc ipsum Irenæi locum nos " posteriores Gnosticos, a ve-
" teribus ne latum quidem unguem recedentes," nec non " viperarum genimina" vipera ipse omnium virulentissima appellat. Sed ad Irenæum redeo. Illud certum est, sanctissimum doctorem ubique alias de Filio Dei ita loqui, tanquam filio, qui tum naturam, tum voluntatem paternam perfectissime noverit. Addo, eundem Irenæum passim Gnosticos impietatis reos arguere, quod Sophiam et Monogenen Patris

[h] [Pag. 53.]

ignorantiæ passionibus subjicerent. Clara imprimis sunt verba ejus de Sophia II. 25.[i] in ipso initio; "Quomodo autem non vanum est, quod etiam So-"phiam ejus dicunt in ignorantia, et in deminora-"tione, et in passione fuisse? Hæc enim aliena sunt "a Sophia et contraria, sed nec affectiones ejus sunt; "ubi enim est improvidentia et ignorantia utilitatis, "ibi Sophia non est. Non jam igitur Sophiam pas-"sum æonem vocent; sed aut vocabulum ejus aut "passiones prætermittant." Quisquamne vero est, qui credat, Irenæum hæreticis objecturum fuisse, quod fictæ suæ Sophiæ ignorantiæ passionem addixissent, si veræ Sophiæ, hoc est, Filio Dei, eandem ipse imperfectionem tribuisset. Præterea Irenæum dicentem audivimus, immensum Patrem in Filio mensurari, Filium capere Patrem et complecti. Qui hæc scripsit, credibile est, ipsum sensisse, Dei Filium paternam voluntatem ulla ex parte ignorasse? Denique relegat, qui hac de re dubitat, verba ejusdem Irenæi II. 43.[k] quæ hujus capitis §. 5. citavimus. Ibi enim comparationem hominis ad Filium Dei instituens, omniscientiam, quam sibi impie arrogarunt Valentiniani, hac ratione impugnat, quod nemo hominum, nulla creatura "æqualis sit vel si-"milis Factori, neque semper coextiterit Deo, sicut "proprium ejus Verbum." Certum est igitur, concessisse Irenæum proprio Dei Patris Verbo, utpote ipsi æquali et semper coexistenti, absolutissimam omniscientiam[l].

9. Cæterum cum a nonnullis, quibuscum se jungit Sandius, accusetur etiam Irenæus, quod nusquam

[i] [c. 18. p. 140.] [k] [c. 25, 3. p. 153.]

[l] [Vid. Respons. ad G. Clerke, ubi plura habet auctor de h. Irenæi loco.]

in scriptis suis Spiritus S. divinitatem agnoscat, visum est hic obiter sanctissimum martyrem ab hac quoque calumnia vindicare. Itaque paucis quidem, sed evidentissime demonstrabo, Irenæum credidisse, Spiritum S. 1. Personam esse a Patre et Filio distinctam, non meram Patris ἐνέργειαν ἀνυπόστατον· 2. Personam esse divinam, hoc est, ejusdem cum
83 Deo Patre et Filio naturæ atque essentiæ. Prius illud ex his locis (ut alia complura omittam) satis evincitur. In libro IV. cap. 14.[m] sic de Filio loquitur: "Ab omnibus accipiens testimonium, quoniam "vere homo et quoniam vere Deus, a Patre, a Spi-"ritu, ab angelis, &c." Ubi manifeste alius testis Pater, alius Spiritus S. et uterque alius a Filio, cui testimonium præbuerunt. Alludit scil. ad baptismum Christi, in quo omnes tres Personæ SS. Trinitatis se simul distincte exhibuerunt, Pater in voce e cœlis sonante, Spiritus S. in columba desuper veniente, Filius in carne humana. Idem ibidem paulo post: "Unus," inquit, "Deus Pater, et unum Ver-"bum, Filius, et unus Spiritus." Hic *unus, et unus, et unus* necessario tres personas efficiunt; et manifestum quoque est, ab Irenæo unum dici Spiritum S. eodem sensu, quo et unus Filius dicitur; at Filium pro distincta a Patre persona habuisse Irenæum, omnes fatentur. Sed apertissimus est locus ejusdem libri cap. 37.[n] quem superius integrum adduxi, hic vero iterum ex parte recitabo, "Adest "enim," inquit, "ei (Patri) semper Verbum et sa-"pientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus "omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur "dicens, *Faciamus hominem ad imaginem et simi-*

[m] [c. 6, 7. p. 235.] [n] [c. 20. p. 253.]

"*ditudinem nostram.*" Animadverte; Patri semper sive ab æterno aderat et Filius et S. Spiritus; neuter vero erat ipse Pater; et si Pater in verbis illis, *Faciamus hominem*, &c. non modo Filium, sed et Spiritum S. allocutus est, ergo Spiritus S. perinde ac Filius, persona est a Patre distincta; quin et hinc divinitas Spiritus S. certo colligitur. Nam ab æterno is cum Patre et Filio extitisse dicitur; nihil autem æternum, saltem ex sententia Irenæi, præter Deum. Deinde idem adjungitur Patri et Filio in opere creationis; creationis autem opus, juxta Irenæum, (ut et sanos omnes,) Dei solius proprium est. Nam in lib. III. cap. 8. (quem locum supra etiam allegavimus,) eum qui alia facit et creat, ab iis quæ facta et creata sunt, ita distingui docet, ut is qui creat, sit ipse increatus, æternus, αὐτάρκης· ista vero initium existentiæ habeant, dissolubilia sint, a conditore suo dependeant, ipsique serviant et subjecta sint. Unde et ibidem ex eo, quod Deus Pater per Verbum sive Filium suum omnia creaverit, concludit, ipsum illum Filium, juxta cum Patre, increatum esse, æternum, omniumque Dominum. Sed divinitas Spiritus S. alibi etiam ab Irenæo aperte declaratur. Sic in loco, in superioribus itidem laudato, lib. IV. cap. 17.[o] Dei Patris ipsa *progenies et figuratio* dicuntur Filius et Spiritus S. idque ad distinctionem eorundem ab angelis ministris, a Deo Patre per Filium et Spiritum S. creatis, qui proinde omnes Filio et Spiritui S. perinde ac Deo Patri, servire et subjici, nempe ut Conditori suo, dicuntur. Omni vero exceptione major est locus Irenæi in lib. V. cap. 12.[p] in quo Spiritum S. ab afflatu illo, sive

[o] [c. 7, 4. p. 236.]

[p] [Pag. 306.]

spiritu, quo Adamus animatus est, differre docet, quod Spiritus ille sanctus, increatus, omnium Creator ac Deus sit; afflatus autem, creatus. Dignissimus est locus, qui integre recitetur: "Aliud est," inquit, "afflatus vitæ, qui et animalem efficit hominem; et "aliud Spiritus vivificans, qui et spiritalem efficit eum. "Et propter hoc Esaias ait [q], *Sic dicit Dominus, "qui fecit cœlum, et fixit illud; qui firmavit ter-"ram, et quæ in ea sunt; et dedit afflatum po-"pulo, qui super eam est, et Spiritum his, qui cal-"cant illam;* afflatum quidem communiter omni, "qui super terram est, populo dicens datum; Spiri-"tum autem proprie his, qui inculcant terrenas con-"cupiscentias. Propter quod rursus ipse Esaias "distinguens quæ prædicta sunt ait [r], *Spiritus enim "a me exiet, et afflatum omnem ego feci.* Spi-"ritum quidem proprie in Deo deputans, quem in "novissimis temporibus effudit per adoptionem filio-"rum in genus humanum; afflatum autem commu-"niter in conditionem, et facturam ostendens illum; "aliud autem est, quod factum est, ab eo qui fecit; "afflatus igitur temporalis, spiritus autem sempi-"ternus [s]." Nihil hic moramur inconcinnam locorum Esaiæ interpretationem; neque enim Irenæum consulimus ut felicissimum ubique S. Scripturæ interpretem, sed ut testem apostolicæ traditionis, saltem de primario Christianismi capite, fide dignissimum. Nec quam validis ex Scriptura testimoniis doctrinam ille catholicam adstruxerit, (quanquam etiam hac ex parte se plerumque doctis et piis omnibus egregie probaverit,) sed quid pro catholica doc-

[q] Isai. xlii. 5. [r] Isai. lvii. 16.

[s] Vide et Tertullianum adversus Marcionem II. 4. fere per totum.

trina habuerit, nunc inquirimus. Hic igitur, inquam, Irenæus et Deum et Creatorem Spiritum S. manifeste prædicat. Nam (ut optime Petavius annotavit) *in Deo deputari* Spiritum, Græce ἐν Θεῷ vel εἰς Θεὸν λογίζεσθαι, idem est ac *Deum deputari*[t]; sicut cum statim addit, " Afflatum in conditionem, et fac- " turam ostendens," idem dicit atque creaturam facturamque censeri. Tum perspicue *quod factum* 84
est, id est *afflatum*, a *Spiritu*, id est *eo qui fecit*, esse diversum asserit; atque hunc *sempiternum*, illum *temporalem* esse. Non est igitur Spiritus Sanctus, juxta Irenæum, creatura, aut factura, sed Deus ex Deo exiens, et Creator, ac sempiternus. Ac de Irenæo in præsenti satis.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD CAP. V.

DE S. IRENÆO.

1. TESTIMONIIS pro Deitate Christi ex Irenæo allatis sequentia addere haud abs re erit. Lib. I.cap. 2. pag. 45. recentissimæ editionis (quam hic semper citabo) symbolum fidei, quam catholica ecclesia ab apostolis eorumque discipulis accepit, recitans, Christum ut Dominum nostrum ac Deum, etiam post futuram resurrectionem, ab omnibus, Deo Patre id volente, adorandum proponit his verbis lin. 15. seqq.[u] ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ σωτῆρι, καὶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ Πατρὸς τοῦ ἀοράτου πᾶν γόνυ κάμψῃ, " ut Christo Jesu Domino " nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, secundum placitum

[t] Græca apud Damascenum sunt: Τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τάξας, τὴν δὲ πνοὴν κοινῶς ἐπὶ τῆς κτίσεως, καὶ ποίημα ἀναγορεύσας αὐτήν. Quæ ultima verba doctissimi Bulli explicationem confirmant. GRABE.

[u] [c. 10. p. 48.]

" Patris invisibilis omne genu curvet, &c." Deinde lib. III. cap. 10. pag. 213. col. 1. rationem munerum, quæ magi Christo recens nato attulerunt, exponens, thus ideo oblatum dicit lin. 32.[x] " quoniam Deus" (erat) " qui et *notus* " *in Judæa factus est*, et manifestus eis, qui non quære- " bant eum." Eodem lib. cap. 18. p. 242. col. 1. lin. 10. seqq.[y] docet de Christo, quod sit " Salvator eorum qui sal- " vantur, et Dominus eorum qui sunt sub dominio, et Deus " eorum quæ constituta" (creata) " sunt, et unigenitus Pa- " tris." Notatu quoque digna sunt, quæ de unione Deitatis et humanitatis in Christi persona, ejusque ratione, sequenti cap. 20. pag. 247. lin. ult. et pag. 248. lin. 1. seqq.[z] disserit, sic sonantia: Ἥνωσεν οὖν, καθὼς προέφαμεν, τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. πάλιν τε, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔσχομεν αὐτήν. Καὶ εἰ μὴ συνηνώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. Ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος, εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν. " Itaque adunivit, quemadmodum prædixi- " mus, hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimi- " cum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus " autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter habere- " mus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo, non " potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat " enim Mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque " domesticitatem, in amicitiam et concordiam utrosque re- " ducere." Porro cap. 23. col. 2. lin. 8.[a] docet, prophetas intimasse, quod venturus sit " Filius Dei, qui Deus est." Et mox lin. 16. " Manifeste significans," (Habacuc) " quoniam Deus, et quoniam in Bethleem adventus ejus." Unde tandem concludit lin. 22.[b] Ὁ Θεὸς οὖν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς. " Deus igitur homo factus est, " et ipse Dominus salvabit (salvavit) nos." Et cap. 26. pag. 257.[c] recitatis Esaiæ de Christo Immanuele verbis,

[x] [c. 9, 2. p. 184.]
[y] [c. 16, 7. p. 206.]
[z] [c. 18, 7. p. 211.]
[a] [c. 20, 4. p. 214.]
[b] [c. 21. p. 215.]
[c] [c. 21, 4. p. 217.]

hæc sua subjungit col. 1. lin. 6. " Diligenter igitur signifi-
" cavit Spiritus S. per ea, quæ dicta sunt, generationem
" ejus quæ est ex Virgine, et substantiam, quoniam Deus;
" Emmanuel enim nomen hoc significat." Et col. 2.
lin. 5. " Quod autem *non consentiet nequitiæ, ut eligat*
" *bonum*, proprium hoc est Dei, uti non per hoc, quod
" *manducabit butyrum et mel*, nude solummodo eum ho-
" minem intelligeremus, neque rursus per nomen Emma-
" nuel sine carne eum Deum suspicaremur." Atque
ex eodem Esaiæ loco ac aliis ejusdem prophetæ verbis
ix. 6. " *Et vocatur nomen ejus admirabilis Consiliarius,* 85
" *Deus fortis,*" itidem lib. IV. cap. 66. pag. 363.[d] probat
Irenæus prædictum esse, " quoniam Verbum caro erit, et
" Filius Dei filius hominis, et hoc factus, quod et nos, Deus
" fortis est, et inenarrabile habet genus." Denique lib. V.
cap. 14. pag. 421. seqq.[e] S. Pater eum, cui libros suos mi-
sit, ita affatur: " Memor igitur, dilectissime, quoniam
" carne Domini nostri redemptus es, et sanguine ejus red-
" hibitus, et Deum confitens, et hominem ejus firmiter ex-
" cipiens, &c." Et cap. 17. p. 426. col. 1. lin. 19. seqq.[f]
" Peccata igitur remittens" (Jesus) " hominem quidem"
(paralyticum) " curavit, semetipsum autem manifeste osten-
" dit, quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata,
" nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus, et cu-
" rabat homines, manifestum, quoniam ipse erat Verbum
" Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem remissio-
" nis peccatorum accipiens, quoniam homo, et quoniam
" Deus; ut quomodo homo compassus est nobis, tanquam
" Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra,
" quæ Factori" (Creatori) " nostro debemus Deo." Atqui
Christum unum eundemque cum Creatore, in quem pecca-
veramus, Deum esse, Irenæus aperte indicat in præceden-
tibus pag. 425. col. 1. lin. 36.[g] ita contra hæreticos disputans: " Bene igitur Verbum ejus" (Dei) " ad hominem di-
" cit, *remittuntur tibi peccata;* idem ille, in quem pecca-

[d] [c. 33, 11. p. 273.] [e] [Pag. 311.]
[f] [Pag. 314.] [g] [Pag. 313.]

" veramus in initio, remissionem peccatorum in fine do-
" nans. Aut si alterius quidem transgressi sumus præ-
" ceptum, alius autem erat qui dixit, *remittuntur tibi pec-*
" *cata tua*, neque bonus, neque verax, neque justus est
" hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis do-
" nat? aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo
" autem vere remissa sunt peccata, nisi ille ipse, in quem
" peccavimus, donavit remissionem?" Nisi enim Christus unus cum Patre Deus sit, hoc hæreticis, duos Deos statuentibus, oppositum argumentum in caput Irenæi recidit, ac ipse sibi turpiter contradixit. His accedunt ista loca, ubi Ebionæos Deitatem Christi negantes refutavit Irenæus; quæ cum a reverendo auctore in Judicio Catholicæ Ecclesiæ, &c. cap. 1. §. 3. contra Episcopium allegata sint, hic omitto.

2. Neque Irenæus Christo *improprie* divinitatem tribuit, quomodo reges atque principes *Dii* vocari solent; sed vere atque essentialiter Deum esse credidit, uti ex sequentibus patet locis. Lib. III. cap. 21.[h] ubi contra hæreticos, qui Jesum "nude tantum hominem dicunt ex Joseph genera-
" tum," disputat, hæc post alia habet p. 249. col. 2. lin. 19. seqq. "Quoniam autem ipse" (Christus) "PROPRIE præter
" omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et
" rex æternus, et unigenitus, et Verbum incarnatum, præ-
" dicatur et a prophetis omnibus, et apostolis, et ab ipso
" Spiritu, adest" (in promptu est) "videre omnibus, qui
" vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non tes-
" tificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo
" tantum fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes
" habuit in se eam quæ est ab altissimo Patre genituram,
" præclara autem functus est et ea, quæ est ex Virgine,
" generatione, utraque Scripturæ divinæ de eo testifican-
" tur: et quoniam homo indecorus et passibilis, &c. et
" quoniam Dominus sanctus, et mirabilis Consiliarius, et
" decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens uni-
" versorum Judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant."

[h] [c. 19, 2. p. 212.]

Similiter IV. 14. p. 302. col. 1. lin. 11.[i] de Servatore ait, quod sit "ab omnibus accipiens testimonium, quoniam "VERE HOMO, et quoniam VERE DEUS, a Patre, a Spiritu, "ab angelis, ab ipsa conditione," (creatura,) "ab hominibus, "et ab apostaticis spiritibus, &c." Ad quæ verba merito hæc in nupera editione annotavi: "Adeo clare hic tam "divinæ, quam humanæ Christi naturæ veritatem eloqui-"tur, ut nullus effugii locus adversariis sit relictus." Accedunt denique ad probandam veram Christi Deitatem divina attributa, quæ Irenæus ei diserte adscribit, et quidem ea, quæ tam Ariani, quam Photiniani, prisci ac recentes, ei denegarunt, æternitatem dico et incomprehensibilitatem, ut ita appellare liceat. Ac de illa quidem postea sect. III. seorsim agitur; de hac vero sufficiat in præsenti adduxisse egregia, quibus incarnatio Filii Dei describitur, verba lib. III. c. 18. p. 241. col. 2. lin. 16.[k] "Invisibilis visibilis fac-"tus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et im-"passibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semet-"ipsum recapitulans."

DE MELITONE.

1. Irenæo Melitonem[l], ceu insignem Deitatis Christi 86
testem, jungo exemplo anonymi auctoris libri contra Artemonis Hæresin seculi III. initio scripti, cujus fragmentum nobis conservavit Euseb. Hist. Eccles. V. 28. ubi hæc inter alia legimus: Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν; "Irenæi quidem, et Melitonis, et reliquorum "scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum "simul et hominem prædicaverunt?" Ac Melitonis quidem librorum soli fere tituli nostra ætate superstites sunt, recensiti ab eodem Eusebio IV. H. E. 26. et Hieronymo in Catal. Script. Eccles. Quorum unus cum sit περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, hunc *de Deo incarnato*, nempe Christo, interpretati, eoque ad probandam inde Deitatem Servatoris

[i] [c. 6, 7. p. 235.]
[k] [c. 16, 6. p. 206.]
[l] Melito claruit circa an. 170. *Cave.* BOWYER.

" veramus in initio, remissionem peccatorum in fine do-
" nans. Aut si alterius quidem transgressi sumus præ-
" ceptum, alius autem erat qui dixit, *remittuntur tibi pec-*
" *cata tua*, neque bonus, neque verax, neque justus est
" hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis do-
" nat? aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo
" autem vere remissa sunt peccata, nisi ille ipse, in quem
" peccavimus, donavit remissionem?" Nisi enim Christus unus cum Patre Deus sit, hoc hæreticis, duos Deos statuentibus, oppositum argumentum in caput Irenæi recidit, ac ipse sibi turpiter contradixit. His accedunt ista loca, ubi Ebionæos Deitatem Christi negantes refutavit Irenæus; quæ cum a reverendo auctore in Judicio Catholicæ Ecclesiæ, &c. cap. 1. §. 3. contra Episcopium allegata sint, hic omitto.

2. Neque Irenæus Christo *improprie* divinitatem tribuit, quomodo reges atque principes *Dii* vocari solent; sed vere atque essentialiter Deum esse credidit, uti ex sequentibus patet locis. Lib. III. cap. 21.[h] ubi contra hæreticos, qui Jesum "nude tantum hominem dicunt ex Joseph genera-
" tum," disputat, hæc post alia habet p. 249. col. 2. lin. 19. seqq. "Quoniam autem ipse" (Christus) "PROPRIE præter
" omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et
" rex æternus, et unigenitus, et Verbum incarnatum, præ-
" dicatur et a prophetis omnibus, et apostolis, et ab ipso
" Spiritu, adest" (in promptu est) "videre omnibus, qui
" vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non tes-
" tificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo
" tantum fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes
" habuit in se eam quæ est ab altissimo Patre genituram,
" præclara autem functus est et ea, quæ est ex Virgine,
" generatione, utraque Scripturæ divinæ de eo testifican-
" tur: et quoniam homo indecorus et passibilis, &c. et
" quoniam Dominus sanctus, et mirabilis Consiliarius, et
" decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens uni-
" versorum Judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant."

[h] [c. 19, 2. p. 212.]

Similiter IV. 14. p. 302. col. 1. lin. 11.[i] de Servatore ait, quod sit " ab omnibus accipiens testimonium, quoniam " VERE HOMO, et quoniam VERE DEUS, a Patre, a Spiritu, " ab angelis, ab ipsa conditione," (creatura,) " ab hominibus, " et ab apostaticis spiritibus, &c." Ad quæ verba merito hæc in nupera editione annotavi: " Adeo clare hic tam " divinæ, quam humanæ Christi naturæ veritatem eloqui- " tur, ut nullus effugii locus adversariis sit relictus." Accedunt denique ad probandam veram Christi Deitatem divina attributa, quæ Irenæus ei diserte adscribit, et quidem ea, quæ tam Ariani, quam Photiniani, prisci ac recentes, ei denegarunt, æternitatem dico et incomprehensibilitatem, ut ita appellare liceat. Ac de illa quidem postea sect. III. seorsim agitur; de hac vero sufficiat in præsenti adduxisse egregia, quibus incarnatio Filii Dei describitur, verba lib. III. c. 18. p. 241. col. 2. lin. 16.[k] " Invisibilis visibilis fac- " tus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et im- " passibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semet- " ipsum recapitulans."

DE MELITONE.

1. Irenæo Melitonem[l], ceu insignem Deitatis Christi 86
testem, jungo exemplo anonymi auctoris libri contra Artemonis Hæresin seculi III. initio scripti, cujus fragmentum nobis conservavit Euseb. Hist. Eccles. V. 28. ubi hæc inter alia legimus: Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἐγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν; " Irenæi quidem, et Melitonis, et reliquorum " scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum " simul et hominem prædicaverunt?" Ac Melitonis quidem librorum soli fere tituli nostra ætate superstites sunt, recensiti ab eodem Eusebio IV. H. E. 26. et Hieronymo in Catal. Script. Eccles. Quorum unus cum sit περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, hunc *de Deo incarnato*, nempe Christo, interpretati, eoque ad probandam inde Deitatem Servatoris

[i] [c. 6, 7. p. 235.] [k] [c. 16, 6. p. 206.]

[l] **Melito** claruit circa an. 170. *Cave.* BOWYER.

usi sunt theologi. Verum non de Deo *incorporato*, sed *corporeo* (utramque enim significationem habet ἐνσώματος) Melitonem libro isto tractasse, inter alios Cotelerius in Not. ad Homil. XVII. Clementin. bene probavit verbis Origenis apud Theodoretum Quæst. 20. in Genesin, et Gennadii Massil. lib. de Dogmatibus Eccles. cap. 4.

2. Misso itaque titulo isto, videamus an non, deperditis licet integris Melitonis libris, fragmenta quædam eorum alicubi reperiantur, quibus Deitas Christi asseratur. Et sane duo ejusmodi mihi, Anastasii Hodegum pridem perlegenti, occurrerunt, apprime notanda. Quippe ibi cap. 12. p. 217. Theodosiani et Gajanitæ ex Melitonis Sardensis Oratione in passionem Christi hæc afferunt verba[k]: ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ἰσραηλίτιδος. "Deus passus est a dextra "Israelitica." Ipse vero Anastasius cap. 13. p. 258. et 260. ex Melitonis Serm. III. Περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, ubi contra hæresin Marcionis, veram Christi humanitatem negantis, disputat, sequentia cedro digna allegavit[l]: Ὡς οὐδεμία ἀνάγκη, τοῖς νοῦν ἔχουσιν, ἐξ ὧν μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε, παριστᾶν τὸ ἀληθὲς καὶ ἀφάνταστον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος τῆς καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνης φύσεως. τὰ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα, φησὶν, ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ θεότητα ἐδηλοῦν καὶ ἐπιστοῦντο τῷ κόσμῳ· Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν, τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα, τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος, ἐν οἷς διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα ἀπέκρυβε τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ θεότητος, καίπερ Θεὸς ἀληθὴς προαιώνιος ὑπάρχων. "Non est necessarium, his quos "ratio non fugit, ex actionibus Christi post baptismum "adstruere animæ ejus et corporis ac humanæ nostræ na-"turæ veritatem ab omni fictione alienam. Nam quæ "post baptismum a Christo gesta sunt, inquit," (Melito) "maxime miracula, latentem ejus Deitatem manifestabant "ac mundo comprobabant. Cum enim idem Deus simul et "homo perfectus esset, duas ejus naturas nobis demon-"stravit; divinitatem quidem per miracula, triennio illo

[k] [Rel. Sacr. vol. I. p. 116.] [l] [Ib. p. 115.]

" post baptismum patrata; humanitatem vero suam tri-
" ginta illis annis baptismum antegressis, quibus carnis
" vilitas tegebat signa Deitatis ejus, quamvis verus ante
" sæcula Deus existeret." Quæ dum confero cum loco anonymi §. 1. citato, ubi Christum Deum pariter et hominem a Melitone prædicatum testatur, vix dubito, hæc ipsa illum verba præ oculis habuisse. Addo denique sequentia, quæ in Chronico Paschali ad annum Christi 164 et 165. ex Apologetico Melitonis citantur: Οὐκ ἐσμὲν λίθων οὐδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταὶ, ἀλλὰ μόνου Θεοῦ, τοῦ πρὸ πάντων, καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὄντως Θεοῦ λόγου πρὸ αἰώνων, ἐσμὲν θρησκευταί. In quibus præpositionem ἐπὶ ante τοῦ Χριστοῦ omittendam [m], hæcque verba ita vertenda censeo: " Non sumus cultores lapidum sensu carentium, sed
" solius Dei, qui est ante omnia et super omnia, et Christi
" ejus, vere Dei Verbi ante sæcula, veneratores." Conjecturæ sive emendationis hujus rationes dabo tomo II. Spicilegii Patrum seculi II. brevi, si Deo placuerit, prodituro. Interim hic observandum lectori propono, quam frivole auctor libri Anglici, *Judicium Patrum de Trinitate contra D. Bulli Defensionem Fidei Nicænæ* p. 4. Melitonem inter S. Trinitatis adversarios numeraverit, solo titulo libri περὶ κτίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, quem Euseb. IV. 26. nominat, inductus. Cui quid reponendum sit, Valesii Annotatio ad istum locum abunde edocet; ut meis amplius verbis non sit opus.

CAP. VI.

87

S. Clementis Alexandrini luculentissima testimonia, de vera ac summa Filii divinitate, adeoque de integra SS. Trinitate ὁμοουσίῳ proferuntur.

1. AD S. Clementem Alexandrinum progredior, Irenæi coætaneum [n], et Pantæni illius τοῦ πολυθρυλ-

[m] [Pro ἐπὶ legendum esse ἔτι, post alios contendit Routh in Reliq. Sacr. vol. 1. p. 126.]

[n] [Claruit Clemens ab an. 192. *Cave.* BOWYER.

λήτου (qui, ut ex aliis refert Photius cod. 118. iis usus est magistris, qui apostolos vidissent; quin et illorum nonnullos ipse audivit,) genuinum discipulum. De hoc ipse Petavius fatetur [o], quod Christianum dogma, de Verbo Dei ac Filio, Platonis ad mentem accommodaverit, sine erroris plerumque suspicione; quodque de Filio Dei recta et fidei consentanea catholicæ tradiderit. Ibidem tamen, et eodem quasi spiritu, (ne quisquam veterum sine erroris in hoc articulo inusta ipsi nota manibus suis elaberetur,) quædam et in ipso Clemente reprehendit, quæ scil. Platonici et Ariani dogmatis indolem sapiant, de quibus suo loco agemus. Sed mirari satis nequeo Petrum Danielem Huetium, virum doctissimum, et (quantum ex scriptis ejus conjectari licet) candoris eximii; qui in Origenianis suis Bellarmino Origenem hoc argumento tuenti, quod sana et orthodoxa fuerit præceptoris ipsius Clementis, discipulorum Dionysii Alexandrini et Gregorii Thaumaturgi, de mysterio SS. Trinitatis opinio, ita respondet [p]: "Nihil profecto Origenianæ causæ contrarium magis "dicere potuit. Nullius enim ex his tribus satis puri "fuerunt et integri de Trinitate sensus. Nam et "Filii substantiam a Paterna ita secernit Clemens, "ut inferiorem eam statuat. Dionysius vero Alexandrinus Filium Patris ποίημα, eique dissimilem esse "dixit, et ἀφῆκε φωνὰς ἥκιστα πρεπούσας τῷ πνεύματι, "*voces Spiritui parum convenientes emisit*, inquit "Basilius Epist. XLI. a quo castigatus quoque est "Gregorius Thaumaturgus, quod Filium aperte creatum prædicaverit." De Origenis discipulorum nobili pari, ut et de ipso Origene, postea dicemus. De

[o] De Trinit. I. 4. 1.

[p] Huet. Origen. II. 2. quæstione 2. n. 10. [p. 122.]

Clemente Origenis præceptore nunc quæstio est. Certe Clementis Alexandrini scripta genuina, quæcunque hodie extant, omnia non indiligenter evolvi, idque eo imprimis consilio, ut ejus de hoc articulo sententiam exquirerem. Post hoc examen ita mecum statuo, neminem catholicorum doctorum, qui concilium Nicænum antecesserunt, adeoque nec quemquam eorum, qui ipsum subsecuti sunt, Filii veram divinitatem clarius, disertius, significantius docuisse, quam Clemens ille noster docuit. Sane dogma illud utramque illi scriptori paginam facit. Unde Ruffinus de Adulteratione lib. Origenis hæc de Clemente scripsit: " Clemens Alexandrinus pres-
" byter et magister illius ecclesiæ, in omnibus pene
" libris suis, Trinitatis gloriam atque æternitatem
" unam eandemque designat." Ex tanta copia nos loca aliquot illustriora seligemus.

2. Non longe ab initio Protreptici, sive admonitionis ad gentes, nobilem Pauli locum citat Clemens [q], ex Epistola ad Titum ii. 11, 12, 13. *Gratia Dei salutaris omnibus hominibus apparuit, docens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria moderate et juste et pie vivamus in hoc sæculo; expectantes beatam spem et manifestationem gloriæ magni Dei et Servatoris nostri Jesu Christi:* ibidemque Christum Servatorem τοῦ μεγάλου Θεοῦ, *magni illius Dei* elogio insignitum intelligit, hæc elegantissima subjungens: Τοῦτό ἐστι τὸ ἅγιον τὸ καινὸν, ἡ ἐπιφάνεια, ἡ νῦν ἐκλάμψασα ἐν ἡμῖν τοῦ ἐν ἀρχῇ ὄντος καὶ προόντος λόγου. ἐπεφάνη δὲ ἔναγχος ὁ πρωὼν σωτήρ· ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν, ὅτι ὁ λόγος, ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, διδάσκαλος ἐπεφάνη, ᾧ τὰ πάντα δεδημιούργηται. λόγος, ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μετὰ τοῦ πλάσαι παρασχὼν ὡς δημιουργὸς, τὸ εὖ ζῆν

[q] Pag. 6. [p. 7.]

ἐδίδαξεν, ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς
88 Θεὸς χορηγήσῃ. i. e. "Hoc est canticum novum, mani-
"festatio, quæ nunc refulsit in nobis, Verbi, quod
"erat in principio, et prius fuit. Apparuit autem
"nuper, qui prius erat, Servator; apparuit, qui est
"in eo qui est, quoniam Verbum, quod erat apud
"Deum, per quod omnia sunt fabricata, Doctor ap-
"paruit; Verbum, quod olim vitam in creatione ut
"Opifex dedisset, postquam tanquam Magister se
"manifestavit, bene vivere docuit, ut æternam vi-
"tam postea ut Deus suppeditaret." Ubi Servato-
rem Christum, æternum, in principio scil. et prius existentem, Patri ὁμοούσιον, utpote τὸν ὄντα ἐν τῷ ὄντι, h. e. in ipsa Dei Patris essentia subsistentem, denique Deum, hujus et æternæ vitæ Largitorem agnoscit. In eodem libro, ut in Filium credant, gentes hortatur his verbis[r]: Πίστευσον, ἄνθρωπε, ἀνθρώπῳ καὶ Θεῷ· πίστευσον, ἄνθρωπε, τῷ παθόντι, καὶ προσκυνουμένῳ Θεῷ ζῶντι· πιστεύσατε, οἱ δοῦλοι, τῷ νεκρῷ· πάντες ἄνθρωποι πιστεύσατε μόνῳ τῷ πάντων ἀνθρώπων Θεῷ. Quibus in verbis interpretandis misere, ut solet, hallucinatur Hervetus; sic autem locus vertendus: "Crede, homo, homini
"et Deo; crede, homo, ei qui passus est, et ei qui
"adoratur, Deo viventi; credite, servi, mortuo; cre-
"dite omnes homines ei qui solus Deus est omnium
"hominum." Ubi Christum non modo hominem, sed et Deum, Deum illum viventem, qui adoratur, (quæ manifesta est veri Dei periphrasis,) denique unicum hominum omnium Deum pronuntiat.

3. Quid vero magnificentius verbis illis, quæ in eodem libro, unica pagina interjecta, leguntur? ibi scilicet Servator noster a Clemente dicitur[s] ὁ θεῖος

[r] Pag. 66. [p. 84.] [s] Pag. 68. [p. 86.]

λόγος ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς· ὅτι ἦν υἱὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ Θεῷ. i. e. "Verbum divinum, qui est manifestissime verus "Deus, qui est universorum Domino exæquatus: "quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo[t]." Verbis utitur tam emphaticis, ut omnem operam videatur adhibuisse, uti summam Servatoris divinitatem plene exprimeret. Christum dicit Verbum divinum, verum Deum, verum Deum manifestissimum, Deo Patri æqualem; idque addita hac ratione, quod is Dei Filius sit, nempe genuinus ex ipso natus, quodque Verbum sit in ipso Deo subsistens. Idem in Pædagog. I. 5. prope finem[u], postquam dixerat per Esaiam narrari Filii Dei magnitudinem, nempe verbis illis, *admirabilis Consiliarius*, *Deus potens*, *Pater æternus*, *Princeps pacis*, statim hæc subjicit: Ὦ τοῦ μεγάλου Θεοῦ· ὦ τοῦ τελείου παιδίου· υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ· i. e. "O magnum Deum! O "perfectum Puerum! Filius in Patre, et Pater in "Filio." Postea in ejusdem libri cap. 6.[x] Filium dicit τὸν λόγον τέλειον, ἐκ τελείου φύντα τοῦ πατρός. i. e. "Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum:" hoc est, Filium Patri suo, e quo natus est, omni perfectionis genere respondentem. Operæ pretium fecerit lector, si integrum locum apud ipsum Clementem expenderit. Post aliquammulta in eodem capite plenam et perfectam sanctissimæ Trinitatis confessionem edit his verbis[y]: Εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ· εἷς δὲ καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος· καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἓν, καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ. i. e. "Unus quidem est universorum Pater; "unum est etiam Verbum universorum; et Spiritus "S. unus, qui et ipse est ubique." Animadverte; uni-

[t] [Vid. hæc verba iterum citata in IV. 2. 4.] [u] P. 91. [p. 112.]
[x] Pag. 92. [p. 113.] [y] Pag. 102. [p. 123.]

cuique Personæ sacræ Τριάδος vim divinam tribuit, quæ rerum universitatem pervadat; ita ut prima persona sit Pater universorum, altera λόγος itidem universorum, ac denique tertia ubique et in universis adsit. Rursus ejusdem libri cap. 7. de Christo Pædagogo sic loquitur[z]: Ὁ δὲ ἡμέτερος παιδαγωγὸς ἅγιος Θεὸς Ἰησοῦς, ὁ πάσης τῆς ἀνθρωπότητος καθηγεμὼν λόγος· αὐτὸς ὁ φιλάνθρωπος Θεός ἐστι παιδαγωγός. i. e. "Noster autem Pædagogus sanctus Deus Jesus, Verbum quod est omnis humanæ naturæ dux; ipse hominum amator Deus est Pædagogus."

4. Idem ejusdem libri cap. 8. totus in eo est, ut probet omnia Dei Patris attributa (nempe absoluta) ipsi cum Filio esse communia, ob communem utriusque divinam naturam, et quicquid de Patre dicitur, in Filium etiam competere. Totum caput lectu dignissimum est: nobis quædam lectori quasi digito monstrasse sufficiat. Probat Christum neminem odisse, omnium salutem velle hac ratione[a]: Εἴ τι ἄρα μισεῖ ὁ λόγος, βούλεται αὐτὸ μὴ εἶναι· οὐδὲν δὲ ἔστιν, οὗ μὴ τὴν αἰτίαν τοῦ εἶναι ὁ Θεὸς παρέχεται· οὐδὲν ἄρα μισεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου· ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ Θεός. i. e. "Si quid ergo odio habeat Verbum, id vult non esse; nihil est autem, cujus causam Deus, quod id sit, non præbeat: nihil ergo odio habet Deus; sed neque Verbum; utrumque enim unum est, nempe Deus." Ac postquam de primariis attributis divinis, bonitate nempe ac justitia, fuse ex Scripturis egerat, atque ostenderat ipsa in Patrem ac Filium æque competere, ita tandem concludit[b], Ὡς εἶναι ταῖς ἀληθείαις καταφανὲς τὸ τῶν συμπάντων Θεὸν ἕνα μόνον εἶναι, ἀγαθὸν, δίκαιον, δημιουργὸν, υἱὸν ἐν πατρὶ, ᾧ ἡ δόξα εἰς

[z] Pag. 109. [p. 131.] [a] Pag. 113. [p. 135.]
[b] Pag. 119. [p. 142.]

τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. i. e. "Ut sit veritate aper-
"tum, quod qui est universorum Deus, unus solus
"sit, bonus, justus, opifex; nempe Filius in Patre,
"cui gloria in sæcula sæculorum, Amen." Hic lectori
non prorsus stupido, monitore non est opus, ut intel- 89
ligat, Filium in Patre et cum Patre statui universo-
rum Deum, qui solus sit bonus et justus omnium-
que Opifex, cuique proinde gloria in æternum as-
cribi debeat. Idem[c] de Filio Dei hæc habet sane
magnificentissima: Ἀνενδεὴς γὰρ ὁ τὸν παντοκράτορα Θεὸν
λόγον ἔχων, καὶ οὐδενὸς, ὧν χρήζει, ἀπορεῖ ποτε· κτῆσις γὰρ
ὁ λόγος ἀνενδεὴς, καὶ εὐπορίας ἁπάσης αἴτιος. i. e. "Est
"enim minime indigens, qui VERBUM habet DEUM
"OMNIPOTENTEM, et nullo eorum, quibus opus
"habet, unquam eget. Verbum enim possessio est,
"cui nihil deest, et est causa omnis copiæ[d]." De-
nique in fine Pædagogi sic Verbum sive Filium
Dei una cum Patre orat[e]: Ἵλαθι τοῖς σοῖς, παιδα-
γωγὲ, παιδίοις, πατὴρ, ἡνίοχε Ἰσραὴλ, υἱὲ καὶ πατὴρ, ἓν
ἄμφω, Κύριε. i. e. "Propitius esto tuis, O Pæda-
"goge, pueris, Pater, Auriga Israel, Fili et Pater,
"unum ambo, Domine." Et mox sanctissimæ Τριάδι
laudes effundit hac formula: Gratias agamus, in-
quit, τῷ μόνῳ πατρὶ καὶ υἱῷ, υἱῷ καὶ πατρὶ, παιδαγωγῷ καὶ
διδασκάλῳ υἱῷ, σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι· πάντα τῷ ἑνί· ἐν
ᾧ τὰ πάντα· δι' ὃν τὰ πάντα ἕν· δι' ὃν τὸ ἀεί· οὗ μέλη πάντες·
οὗ δόξα, αἰῶνες· πάντα τῷ ἀγαθῷ, πάντα τῷ καλῷ, πάντα τῷ
σοφῷ, τῷ δικαίῳ τὰ πάντα· ᾧ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶ-
νας, Ἀμήν. i. e. "Soli Patri et Filio, Filio et Patri,
"Pædagogo et Magistro Filio, una cum Sancto Spi-

[c] Pædagog. III. 7. p. 236, 237. [p. 277.]
[d] [Hunc Clementis locum iterum citat in Resp. ad G. Clerke, q. v.]
[e] Pag. 266. [p. 311.]

" ritu; per omnia uni; in quo omnia; per que
" omnia unum; per quem est quod semper est; c
" jus membra omnes; cujus sunt gloria et sæcula
" qui est undequaque bonus, undequaque pulche
" undequaque sapiens, undequaque justus; cui gl
" ria nunc et in sæcula sæculorum, Amen." In m
ridiana luce cœcutit, qui non clare videt, in hac δεξ
λογίᾳ plenam et perfectam consubstantialis Trinitati
hoc est, unius Dei in tribus personis, Patre nemp
Filio et Spiritu S. subsistentis, confessionem co
tineri.

5. Cæterum ne videar Stromatum libros prors
neglexisse, locum ex ipsis unum et alterum hic pr
feram. Stromatum lib. IV.[g] sic de Christo loquit
Clemens noster: Οὕτως ἐγγίζει τοῖς δικαίοις ὁ Κύριος, κ
οὐδὲν λέληθεν αὐτὸν τῶν ἐνοιῶν καὶ τῶν διαλογισμῶν ὧν ποιο
μεθα[h]· τὸν Κύριον Ἰησοῦν λέγω, τὸν τῷ παντοκρατορικῷ θελ
ματι ἐπίσκοπον τῆς καρδίας ἡμῶν. i. e. " Sic justis appr
" pinquat Dominus, et nihil eum latet ex nostris c
" gitationibus, et, quas facimus animo, dissertation
" bus; Dominum Jesum dico, qui omnipotente su
" voluntate cordium nostrorum Inspector est." Vert
non egent commentario. Idem Strom. VII. Verb
sive Filii Dei, ubique præsentem, omniaque vel m
nima curantem divinitatem, hac appositissima
elegantissima similitudine illustrat[i]: Ὅνπερ γὰρ τρ
πον ὁ ἥλιος οὐ μόνον τὸν οὐρανὸν καὶ τὸν ὅλον κόσμον φωτίζε

[f] Hæc potius ita vertenda puto, *cujus gloria sunt sæcula*, i. spiritus cœlestes sive angeli. De qua τῶν αἰώνων significatione vi quæ notavi ad Irenæum, pag. 9. num. 2. GRABE. [p. 32 .inter Va Annot. in edit. Benedict.]

[g] Pag. 517. [p. 611.]

[h] [Verba ἐγγίζει—ποιούμεθα desumpta sunt e Clem. Rom. c. 21

[i] Pag. 711. [p. 840.]

γῆν τε καὶ θάλασσαν ἐπιλάμπων, ἀλλὰ καὶ διὰ θυρίδων καὶ μικρᾶς ὀπῆς πρὸς τοὺς μυχαιτάτους οἴκους ἀποστέλλει τὴν αὐγήν· οὕτως ὁ λόγος πάντῃ κεχυμένος καὶ τὰ σμικρότατα τῶν τοῦ βίου πράξεων ἐπιβλέπει. i. e. "Sicut enim sol "non solum cœlum et totum mundum illuminat, su- "per terram et mare resplendens, sed etiam per fe- "nestram et parvum foramen vel in intima pene- "tralia domorum lucem emittit; ita Verbum undi- "quaque effusum vel minima ex iis inspicit, quæ in "vita geruntur." Ex Clemente autem multo plura his adjicere potuissem: sed cui hæc non sufficiunt, sufficiet nihil.

6. Videamus jam, quid contra hæc tam clara ac diserta Petavius et cæteri sanctorum Patrum critici nimium (ne quid pejus dicam) censores ex Clemente attulerint, quo probent ipsum Ariani dogmatis labe aliqua infectum fuisse. Primo objicit Petavius[j] locum Clementis Strom. VII.[k] ubi de Filio Dei ita scribit: Τελειωτάτη δὴ, καὶ ἁγιωτάτη, καὶ κυριωτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ εὐεργετικωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη. i. e. "Per- "fectissima autem et sanctissima, maximeque prin- "cipalis, et quæ maxime imperat, et est maxime "regia, et longe beneficentissima, est natura Filii; "quæ est soli omnipotenti conjunctissima." Ita enim προσεχεστάτη vertendum censeo; quo sensu a philosophis προσεχῆ dicuntur proxima et conjuncta cum re et causa immediata. Ad locum autem Petavius hæc notat: "Naturam ait Filii omnipotenti "Deo citimam esse; quod Platonici et Ariani dog- "matis indolem sapit. Atqui non est proxima na- "tura, sed eadem cum Patre Filii." Et hunc locum a Petavio citatum respexisse credo Huetium,

j De Trin. I. 4. 1. p. 702. k [Pag. 831.]

cum pronuntiavit, "Substantiam Filii a Clemente "statui paternæ inferiorem." Sed facilis est responsio: Divina Filii natura a Clemente hic non absolute spectatur, sive personaliter, ut loquuntur, quatenus Filii ὑπόστασιν constituit; scil. vox φύσις nonnunquam a veteribus, ut et vox οὐσία, pro persona usurpatur. Vide hujus sectionis 9. 11. Ut nihil aliud voluisse Clemens censendus sit, quam Filium esse Patri suo conjunctissimum. Quid, quæso, in hoc mali? certe Gregorius Nyssenus[1] in Epistola ad Ablabium sine reprehensione dixit Filium τὸ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. i. e. "Id quod proxime, con- "tinenter, sive immediate est ex primo," hoc est Deo Patre. Quod si intelligas a Clemente hoc in loco primas Patri, Filio secundas tribui, quid etiam hic novi? Sane ἐξοχὴν quandam Patri, quatenus ipse est fons Deitatis et principium Filii, competere, Scripturæ passim testantur, et fatentur Patres Ante-Nicæni, Nicæni, et qui post concilium Nicænum scripsere, uno ore omnes; quod postea suo loco demonstrabimus. Cæterum Clementem nequaquam voluisse, substantiam Filii paternæ inferiorem esse, certum est. Huic commento reclamant tot loca a nobis superius allata, in quibus ille (si quisquam alius veterum) Filii τὸ ὁμοούσιον et veram divinitatem apertissime agnoscit; reclamat etiam hujus ipsius loci contextus. Nam in verbis ἀμέσως sequentibus Clemens perquam honorifice (ipso Petavio notante) de Filio Dei loquitur, ipsi hæc primaria divina attributa, nempe indivisibilitatem, immutabilitatem, æternitatem, omniscientiam, omnipræsentiam tribuens. Præ cæteris vero notandum, quod ibidem Filius a Clemente di-

90

[1] Oper. tom. II. p. 459. [vol. III. p. 27.]

citur ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς πατρῷον· "totus mens, totus "lumen paternum:" quæ sane verba communem Patris et Filii naturam perspicue declarant [m].

7. Objicit præterea Petavius verba hæc Clementis, quæ in eodem libro [n], paucis interjectis, habentur: Οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων Κύριος, καὶ μάλιστα ἐξυπηρετῶν τῷ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ παντοκράτορος θελήματι Πατρός. i. e. "Neque ab alio prohibitus unquam fu- "erit, qui est omnium Dominus; maxime cum boni "et omnipotentis Patris voluntati servit." Sed quas hic in sudo tenebras fecit vir doctissimus? Lege, quisquis veritatem amas, antecedentia apud Clementem et consequentia, et miraberis, nullus dubito, quid hic Petavio in mentem venerit. Ibidem totus in eo est Clemens, ut ostendat, Christum communem esse Servatorem, atque omnium hominum salutem, quantum in se est, (salva semper humani arbitrii libertate,) promovere. Ait autem, Christum in salute hominum procuranda nullam creaturam impedire posse; (cum is est omnium Dominus;) Patrem vero (qui est itidem una cum Filio Dominus omnium) impedire nolle; siquidem in hoc opere paternam Filius implet voluntatem. Hoc idem Clemens dicit [o], (ipso Petavio dictum approbante,) dum Filium appellat τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας συναγωνιστὴν γνήσιον, "Dei in homines benevolentiæ sincerum Ad- "jutorem." Denique objicit Petavius locum Clementis Strom. IV. [p] Ὁ μὲν οὖν Θεὸς ἀναπόδεικτος ὢν οὐκ ἔστιν ἐπιστημονικός· ὁ δὲ υἱὸς σοφία τε ἐστὶ, καὶ ἐπιστήμη,

[m] [Vid. hunc Clementis locum denuo citatum et defensum in Respons. ad G. Clerke.]

[n] Pag. 703. [p. 832.]

[o] Pædagog. I. 8. p. 114. [p. 136.]

[p] Pag. 537. [p. 635.]

καὶ ἀλήθεια, καὶ ὅσα ἄλλα τούτῳ συγγενῆ, καὶ δὴ καὶ δεῖξιν ἔχει καὶ διέξοδον. i. e. " Deus quidem sub de " strationem non cadit, adeoque neque sub s " tiam; Filius vero Sapientia est, et Scientia, e " ritas, et quæcunque cognata sunt istis: pr " demonstrationem habet et enarrationem." manifestum est, Clementem his verbis nihil voluisse, quam Deum Patrem immediate et per nemine cognosci, aut sciri posse; sed per Filiu velari, qui, ut λόγος Dei caro factus, et se et trem suum hominibus, pro captu ipsorum, decla Jam si hoc sit Arianismus, quam vereor, ne tandem Joannes apostolus Arianus audiat, q evangelii sui i. 18. sic scripserit, *Deum nemo unquam; Filius, qui est in sinu Patris, ips claravit eum.* Quid? quod Clemens ibidem v ἀμέσως sequentibus uno quasi ictu omnes Arii sus jugulat blasphemias, dum Filium Dei docet infinitum circulum, omnes virtutes ac potestate vinitatis in se uno complectentem, immensum denique æternum, qui existendi neque initium que finem habeat. Locum infra ad sectionem tiam recitabimus. Vides, quam frivola sint, Clementi nostro a Petavio objiciuntur.

8. Ab aliis id etiam in Clemente reprehen quod Filium Dei alicubi [q] dixerit πρωτόκτιστον σ " primo creatam Sapientiam [r]." Sed frustra pr et illi sunt. Nam constat, vocem κτιστὸς in eo mentis loco idem significare quod γεννητὸς, que

[q] Strom. V. p. 591. [p. 699.]

[r] Respexit nimirum locum Proverb. viii. 22. ubi Sapient Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ, prouti hæc ver tat, et de λόγῳ seu Filio Dei explicat, ipse Clemens in Protre p. 52. B. C. [p. 67.] GRABE.

modum etiam Latine *creare* dicitur pro *gignere*, ut *Sulmone creatos*, id est, *progenitos*. Sane Clementem non existimasse, Filium Dei esse creaturam, ex iis quæ supra ex ipso attulimus, meridiana luce clarius est. Subjungam hic verba præstantissimi viri, Henrici Valesii: "Certe veteres theologi," inquit[s], 91
"ac præcipue ii, qui ante concilii Nicæni tempora
"scripserunt, per vocabulum κτίζειν non solum crea-
"tionem intellexerunt quæ ex nihilo fit, sed omnem
"generaliter productionem, tam quæ ab æterno es-
"set, quam illam quæ in tempore." Ad eundem modum omnino exponendus est locus, quem ex Petri Apocryphis citat Clemens Strom. VI.[t] Εἷς γὰρ τῷ ὄντι ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὃς ἀρχὴν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν, μηνύων τὸν πρωτόγονον υἱόν. i. e. "Unus enim est revera Deus, qui
"fecit principium universorum, significans primoge-
"nitum Filium." Scilicet Græcis itidem usurpatum est, (quos et nos Angli imitamur,) ποιεῖν τέκνα, *facere liberos*, pro *liberos generare*; et ita seipsum interpretatur auctor ejus dicti, continuo subjungens, Μηνύων τὸν πρωτόγονον υἱὸν, "Significans primogenitum Fi-
"lium."

9. Denique Sandius[u] Clementi opus exprobrat, quod extabat olim, hoc vero tempore intercidit, Hypotyposeon; in quibus testatur Photius cod. 109. Arianæ perfidiæ semina fuisse plurima, imprimis quod Filium inter creaturas numeraverit. Sed hæc nauci sunt, neque hominem decent, qui ipsum nobis veteris Historiæ Ecclesiasticæ nucleum pollicitus est. Quippe agnoscunt hodie eruditi, (inter quos et ipse

[s] In notis ad Euseb. p. 8. [I. 2. p. 9.]

[t] Pag. 644. [p. 769.]

[u] Sandius de Script. Eccl. p. 24. et Enucl. Hist. Eccles. I. p. 94.

Petavius,) blasphema ista Clementis minime germana fuisse, sed ipsi ab impostore aliquo afficta; quod eorum judicium ex ipso Photio abunde confirmatur. Nam testatur ibidem Photius, in libris istis Hypotyposeon doceri, materiam æternam esse; ideas veluti certis decretis induci; animas a corporibus in corpora migrare; multos ante Adamum mundos extitisse; Evam ex Adamo, non ut sacri libri tradunt, sed obscœno quodam more eductam fuisse; angelos cum fœminis congressos, liberos inde sustulisse; duo ad hæc Patris Verba esse, quorum minus mortalibus sit visum, imo ne hoc quidem; quæ omnia quantum distent a Clementis doctrina, in genuinis et indubitatis ipsius scriptis tradita, non opus est ut dicamus. Ad hæc idem Photius (qui alioqui de Clemente, utpote Origenis magistro, pessima quæque facile suspicabatur) non obscure indicat, se neutiquam existimasse, ista Clementis revera esse, dum mox subjicit: Καὶ ἀλλὰ δὲ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτὸς, εἴτέ τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς. i. e. "Alia quoque id genus sexcenta blasphema voce "nugatur, sive ipse, sive quis alius, ejus personam "indutus." Denique ipse ille Photius cod. 110. de Clementis Pædagogi libris tribus agens, et de Protreptico ad Gentes, quæ scripta Clementis genuina esse omnes fatentur, observat, has elucubrationes libris Hypotyposeon, sive doctrinam sive dictionem spectes, longe absimiles esse. Verba ejus sunt, Οὐδὲν δὲ ὅμοιον ἔχουσι πρὸς τὰς ὑποτυπώσεις οὗτοι οἱ λόγοι. τῶν τε γὰρ ματαιῶν καὶ βλασφήμων ἀπηλλαγμένοι δοξῶν καθεστήκασι, καὶ ἡ φράσις ἀνθηρὰ, καὶ εἰς ὄγκον ἠρμένη σύμμετρον μετὰ τοῦ ἡδέως, καὶ ἡ πολυμάθεια ἐμπρέπουσα. i. e. "Nihil "autem simile habent hi sermones cum Hypotypo- "sibus, quando et stolidis illis ac blasphemis opinio-

" nibus omnino vacant, et dictio ipsa in his floridior
" ad temperatam gravitatem non sine jucunditate
" assurgit, et multiplex eruditio (Clementi) conve-
" niens in iis conspiciatur." Equidem ego nullus dubito, quin Ruffinus hos imprimis Hypotyposeon libros (forte et octavum Stromateon librum depravatum, qualis sua ætate apparebat in quibusdam exemplaribus; cujus etiam Photius meminit in citato codice 110) respiciens, eosque cum aliis omnibus Clementis libris indubitatis, in quibus ille catholicam de SS. Trinitate sententiam constanter defendit, componens, hæc de Clemente verba (quæ jam superius ex parte recitavi) protulerit[u]: " Clemens quo-
" que Alexandrinus presbyter, et magister ecclesiæ
" illius, in omnibus pene libris suis Trinitatis glo-
" riam atque æternitatem unam eandemque desig-
" nat; et interdum invenimus aliqua in libris ejus
" capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit.
" Numquid credibile est de tanto viro, tam in omni-
" bus catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria
" senserit, vel ea, quæ de Deo non dicam credere,
" sed vel audire quidem impium est, scripta reliqueu-
" rit?" Ac de S. Clemente Alexandrino hactenus.

ANNOTATA J. E. GRABE 92

AD CAP. VI. §. 2. SEQQ.

DE CLEMENTE ALEXANDRINO.

CITATIS Clementis Alexandrini pro ὁμοουσίῳ Filii testimoniis sequentia addere placet, a reverendo auctore nostro brevitatis ergo, uti videtur, omissa. In Protreptico pag. 5. D.[v] hæc leguntur: Νῦν δὴ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐτὸς οὗτος ὁ

[u] Ruffinus de adult. lib. Origen. [v] [Pag. 7.]

λόγος, ὁ μόνος ἄμφω, Θεός τε καὶ ἄνθρωπος, ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος ἀγαθῶν. "Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Logos," (Verbum,) "qui solus est ambo, Deus et homo, omnium "nobis auctor bonorum." Sequenti p. 8. C.[x] Ὁ μὲν Ἰωάννης ὁ κῆρυξ τοῦ λόγου ταύτῃ πῃ παρεκάλει ἑτοίμους γίνεσθαι εἰς Θεοῦ τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν. "Joannes quidem præco Verbi "ea ratione adhortabatur paratos esse ad Dei Christi ad-"ventum." In Pædagogi lib. I. c. 2. p. 80. A.[y] Christus Pædagogus fidelium dicitur Θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι, ἄχραντος, πατρικῷ θελήματι διάκονος, λόγος Θεὸς, ὁ ἐν τῷ Πατρὶ, ὁ ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς, σὺν καὶ τῷ σχήματι Θεός. "Deus in "figura hominis, impollutus, paternæ voluntatis minister, "Verbum Deus, qui est in Patre, qui est a dextris Patris, "et cum forma" (visibili) "Deus." Est Deus, perinde ut Pater, licet dicatur minister Patris, quem ordine sequitur; sicuti diaconus est minister sacerdotis, et tamen vere est homo atque clericus, perinde ut sacerdos. Ejusdem libri cap. 8.[z] his incipit verbis: Πάντα ὀνίνησιν ὁ Κύριος καὶ πάντα ὠφελεῖ, καὶ ὡς ἄνθρωπος, καὶ ὡς Θεός· τὰ μὲν ἁμαρτήματα ὡς Θεὸς ἀφιείς· εἰς δὲ τὸ μὴ ἐξαμαρτάνειν παιδαγωγῶν ὡς ἄνθρωπος. "In omnibus prodest et in omnibus juvat Dominus, et "tanquam homo, et tanquam Deus; peccata quidem re-"mittens ut Deus; ne peccemus autem, Pædagogi ritu "instituens ut homo." Lib. II. Pædagogi cap. 8. pag. 161. D.[a] Ὁρᾶτε, ὁ Κύριος τρυβλίῳ ἐπώψατο εὐτελεῖ, καὶ κατέκλινεν τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τῆς πόας χαμαὶ, καὶ τοὺς πόδας ἔνιπτεν αὐτῶν σαβάνῳ περιζωσάμενος ὁ ἄτυφος Θεὸς καὶ Κύριος τῶν ὅλων. "Videte, Christus in vili catino cibum sumpsit, et fecit "discipulos super herbam accumbere, et pedes eorum lavit "linteo accinctus, a fastu alienus Deus et Dominus om-"nium." Porro VI. Strom. pag. 684. A.[b] Christum appellat Θεὸν ἐν σαρκίῳ, "Deum in carne;" et sæpius in Stromatibus eum vocat Σωτῆρα Θεὸν, "Servatorem Deum," respiciens verba Davidis Psalm. xxiv. 5. Οὗτος λήψεται εὐλογίαν παρὰ Κυρίου, καὶ ἐλεημοσύνην παρὰ Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ·

[x] [Pag. 9.] [y] [Pag. 99.] [z] [Pag. 101.]
[a] [Pag. 190.] [b] [Pag. 812.]

quibus lib. VII. Strom. p. 733.[c] citatis, hæc sua subjungit: Κατὰ παραδρομὴν, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν Θεὸν εἶναι τὸν σωτῆρα ἀπέδειξεν ὁ Δαβίδ. "In transitu, ut videtur, nobis ostendit David, "Salvatorem esse Deum." Ecce quam sæpe Clemens Christum Dei titulo ornaverit, quod non fecisset, nisi ipsum verum Deum de vero Deo cum Nicænis Patribus credidisset.

2. Neque est ut quis excipiat, Clementem lib. III. Strom. p. 460. C.[d] distinguere inter Θεὸν ἁπλῶς dictum, et τῇ τοῦ ἄρθρου προτάξει, ita nempe ut ὁ Θεὸς appelletur, ac quod posteriori modo ὁ παντοκράτωρ, *omnipotens* sive summus Deus indicetur, ibidem docere; in omnibus vero textibus modo citatis Christum Θεὸν sine præmissione articuli dici. Ecce enim alia Clementis loca, ubi ὁ Θεὸς audit. Lib. I. Pædagogi c. 5. p. 92. A.[e] legimus τὸν Θεὸν τὸν λόγον, τὸν δι' ἡμᾶς ἄνθρωπον γενόμενον· et sequenti cap. 7. p. 110. C. D.[f] ὁ Θεὸς Κύριος, et ὁ Θεὸς λόγος. Similiter lib. II. Pædag. cap. 8. p. 182. C.[g] bis Christum vocat, τὸν Θεὸν, τὸν φιλάνθρωπον Θεόν. Denique lib. VII. Strom. p. 703. B.[h] hæc habet verba, non modo ob appositum articulum, sed et omniscientiæ attributum Christo adscriptum aliosque titulos, notatu digna: Ἄγνοια οὐχ ἅπτεται τοῦ Θεοῦ, τοῦ πρὸ καταβολῆς κόσμου συμβούλου γενομένου τοῦ Πατρός. αὕτη γὰρ ἦν σοφία ἣ προσέχαιρεν ὁ παντοκράτωρ Θεός· δύναμις γὰρ τοῦ Θεοῦ ὁ υἱὸς, ἅτε πρὸ πάντων τῶν γενομένων ἀρχικώτατος λόγος τοῦ Πατρὸς, καὶ σοφία αὐτοῦ κ. λ. "Ignorantia in Deum non cadit, qui ante "mundi constitutionem fuit Patris Consiliarius. Hæc enim "erat Sapientia, qua Deus omnipotens delectabatur; Dei "enim virtus est Filius, utpote ante omnia quæ facta sunt "Verbum Patris maxime principale, et Sophia ejus &c." Confer de omniscientia, qua ipsa cordium intima perscrutatur, et omnipotentia quoque Filii Dei, præced. p. 702. A. B. et seq. 704. B. alia loca ut taceam.

[c] [Pag. 866.] [d] [Pag. 548.] [e] [Pag. 112.]
[f] [Pag. 131, 2.] [g] [Pag. 214.] [h] [Pag. 832.]

CAP. VII.

Tertulliani sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, cum Nicæna fide omnino conspirans, explicatur.

93 1. AD Tertullianum[i] devenimus. Is cum æternitatem Filii negasse quibusdam visus sit, (qui scil. mentem obscuri auctoris investigare vel nequiverunt, vel non curarunt: nam et secundæ SS. Trinitatis Personæ æternam existentiam revera agnovisse Tertullianum, utcunque alicubi locutus sit, infra ostendam,) constanter tamen ubique, ac verbis disertissimis, Filii τὸ ὁμοούσιον confessus est. Unum ejus librum adversus Praxeam legas, in quo de SS. Trinitate fuse et ex professo agit; toties ibi ac tam aperte Filii asserit consubstantialitatem, ut auctorem crederes post Nicæni concilii tempora scripsisse. Nos tum ex eo libro, tum ex aliis Tertulliani scriptis, loca quædam nobiliora lectori exhibebimus. In Apologetici capite 21[k]: "Hunc," inquit, "ex Deo prolatum didi-"cimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium "Dei et Deum dictum, ex UNITATE SUBSTANTIÆ: "nam et Deus Spiritus." Ubi aperte Filium cum Patre unius esse substantiæ, hoc est, ipsi ὁμοούσιον, inde colligit, quod is ex Patre generatus sit. Quod idem vult, dum in libro adversus Praxeam cap. 7.[l] de Filio Dei sic scribit: "Primogenitus est, ut ante "omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo ge-"nitus, proprie de vulva cordis ipsius."

2. Verum similia expendamus, quibus Tertullianus Filii generationem quadantenus explicare conatus est; ea τὸ ὁμοούσιον manifeste comprobant. In Apo-

[i] Tertullianus Christianam religionem amplexus est circa an. 185. *Cave.* BOWYER.

[k] [Pag. 19.] [l] [Pag. 503.]

logetico post verba jam recitata et hæc sequuntur: "Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa, "sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec sepa- "ratur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu "Spiritus, et DE DEO DEUS, UT LUMEN DE LU- "MINE accensum: manet integra et indefecta mate- "riæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum "mutueris; ita et quod de Deo profectum est, Deus "est et Dei Filius, et unus ambo; ita et de Spiritu "Spiritus, et DE DEO DEUS: modulo alterum, non "numero, gradu, non statu fecit; et a matrice non "recessit, sed excessit." Ubi habes ipsa verba Nicæni Symboli et sensum quoque plane eundem. Illustris vero est locus lib. adv. Prax. cap. 8:[m] "Hæc erit," inquit, "probola veritatis, custos unitatis, qua prola- "tum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. "Protulit enim Deus Sermonem, sicut radix fruti- "cem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ "species probolæ sunt EARUM SUBSTANTIARUM, ex "quibus prodeunt." Huic geminus est locus alter ejusdem libri cap. 13: "Apostolum," inquit, "se- "quar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Fi- "lius, Deum Patrem appellem, et Jesum Christum "Dominum nominem. Solum autem Christum "potero Deum dicere, sicut idem apostolus[n], *Ex* "*quibus Christus, qui est,* inquit, *Deus super omnia* "*benedictus in ævum omne.* Nam et radium solis "seorsum solem vocabo; solem autem nominans, cu- "jus est radius, non statim et radium solem ap- "pellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen "et solem et radium ejus tam duas res et duas spe- "cies UNIUS INDIVISÆ SUBSTANTIÆ numerabo,

[m Pag. 504.] [n Rom. ix. 5.]

" quam Deum et Sermonem ejus, quam Patrem et " Filium." In quibus verbis Christum *Deum super omnia benedictum in ævum omne* ab apostolo dictum affirmat, ac Patrem et Filium esse unius et indivisæ substantiæ diserte docet. Sic et in lib. III. cont. Marcion. cap. 6. [o] expresse dicit, " Christum et " Spiritum et SUBSTANTIAM esse Creatoris, et eos " qui Patrem non agnoverint, nec Filium agnosoere " potuisse, per EJUSDEM SUBSTANTIÆ conditio- " nem." Quæ quidem constans fuit Tertulliani doc-
94 trina, ut ipse testatur in libro cont. Prax. cap. 4. [p] " Filium," inquit, " non aliunde deduco, sed de SUB- " STANTIA PATRIS." Sic et ejusdem libri cap. 12. " Cæterum," inquit, "ubique teneo unam substantiam " in tribus cohærentibus."

3. Hinc idem Tertullianus in libro de Carne Christi, duplicem in Christo naturam distinguens, divinam et humanam, contra eos qui carnis Christi veritatem negabant, diserte docet, eundem Christum tum respectu excellentioris naturæ vere Deum esse et ex Dei substantia, tum alterius naturæ respectu pariter vere hominem esse, et substantiam humanam vere assumpsisse; atque in illa natura non natum, hoc est, increatum, sive non factum, in hac natum et factum esse prædicat. En verba ejus diserta dicti libri cap. 5. [q] " Ita," inquit, " utriusque substantiæ " census hominem et Deum exhibuit; hinc natum, " inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; " hinc infirmum, inde præfortem; hinc morientem, " inde viventem. Quæ proprietas conditionum, di- " vinæ et humanæ, æqua utique naturæ utriusque " veritate dispuncta est, eadem fide et spiritus et

[o] [Pag. 400.] [p] [Pag. 502.] [q] [Pag. 310.]

"carnis." Ubi quidam e nostratibus perperam omnino *non natum* ita interpretatur, *hoc est, ex homine natum*; nam pari ratione Christus etiam qua homo dici poterit *non natus*, nempe ex homine patre. Ego autem plane persuasum habeo Tertullianum (qui ex Græcis ecclesiæ scriptoribus multum profecit) hic respexisse et magna ex parte transcripsisse celebrem Ignatii locum, quem ex Epistola ad Ephesios supra[r] adduximus: εἷς ἰατρός ἐστι, κ. λ. Nam pro eo quod Ignatius ibi habet, γεννητὸς καὶ ἀγεννήτος, Tertullianus reddit, "natus et non natus;" quod Ignatius σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, id Tertullianus, "hinc "carneus, inde spiritalis;" quod Ignatius ἐν σαρκὶ, sive ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, id Tertullianus dicit, "et Deus et "homo;" denique quod Ignatius ἐν θανάτῳ ζωὴ, idem Tertullianus, "hinc moriens, inde vivens;" ut Græcum Ignatii textum pene ad verbum Latine vertisse videatur Tertullianus. Ac sane non suis hic usum fuisse verbis Tertullianum, sed alienis, nempe Ignatii, non uno argumento inducor ut credam. Primo, permirum merito videretur, si Tertullianus in tot ipissima Ignatii verba, idque prout ab ipso continua antithesi disposita fuerunt, casu incidisset. Deinde Tertullianus, cum suo loquendi modo utitur, constanter solum Patrem *non natum* prædicat, intelligens id solum proprie non natum dici, quod a nullo ortum sit principio. Sed nimirum ἀγέννητος Ignatii ad verbum reddendum erat, *non natus*; et vidit Tertullianus ex antithesi nihil aliud voluisse Ignatium, quam Christum, qua Deus est, increatum esse; quod et ipse agnovit. Quibus illud etiam adjiciendum, illam Ignatii sententiam in Epistola ad Ephe-

[r] Vide hujus sect. cap. 2. §. 6. [p. 114.]

sios videri pro egregio dicto habitam fuisse, et magni usus adversus hæreticos, qui de Christi persona blasphema docuerunt, adeoque apud ecclesiæ doctores valde celebrem fuisse. Unde ipsam et Athanasius, et Gelasius, et Theodoretus usurparunt. Atque hinc (ut obiter id notem) clarius refellitur Dallæi sophisma contra Epistolas Ignatii a Tertulliani silentio ductum: "Tertullianus," inquit, "fuisse præco- "quos et abortivos Marcionitas notat, qui Christum "phantasma dicerent; idque probat ex Joanne "apostolo. At Ignatius eorum doctrinam perstrin- "git; eum igitur Joanni testem addidisset Tertul- "lianus, si hominem nosset." Respondet reverendus admodum atque eruditissimus præsul, Pearsonus noster [s], Tertullianum in scriptis suis, quæ extant, nullam unquam sententiam ex ullo scriptore ecclesiastico totidem verbis nomine citato excerpsisse, quod sane verissimum esse puto. Nos illud addimus, Tertullianum nihilominus in loco citato Ignatii sensus, et maximam partem ipsa verba, celato nomine, usurpasse; idque contra eos, qui Christum phantasma dicerent, quos et Ignatius impugnavit. Judicent eruditi; ego e diverticulo in viam redeo.

4. His consentaneum est, quod Tertullianus Filium, qua Deus est, Deo patri ἰσότιμον et æqualem esse, non uno in loco aperte pronuntiet. Mox ipsum audiemus affirmantem, omnes tres personas Divinitatis, Patrem, Filium, et Spiritum S. esse ut unius substantiæ, ita et UNIUS STATUS ET UNIUS POTESTATIS. Ad Filium vero quod attinet, in lib. advers. Prax. cap. 17. [t] fatetur, omnia Patris nomina et attributa in Filium etiam competere, quatenus is Dei

[s] Vind. Epist. Ignat. Part. I. c. 11. p. 102.

[t] [Pag. 510.]

Filius est. Verba sunt; " Nomina Patris, Deus " omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex " Israelis, Qui est, quatenus ita Scripturæ docent, " hæc dicimus et in Filium competisse, et in his " Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea " in se hominibus manifestasse. *Omnia*, inquit, *Pa-* " *tris mea sunt.* Cur non et nomina? Cum ergo " legis Deum omnipotentem, et Altissimum, et Deum " virtutum, et Regem Israelis, et Qui est, vide ne " per hæc Filius etiam demonstretur, SUO JURE " Deus omnipotens, qua Sermo Dei omnipotentis." Disertior est locus contra Marcion. IV. 25:[u] " *Om-* " *nia sibi tradita* dicit *a Patre.* Credas, si Crea- " toris est Christus, cujus omnia, quia NON MINORI 95 " se tradidit omnia FILIO Creator, quæ per eum " condidit, per Sermonem scilicet suum." His addas verba Tertulliani expressa in libro de Resurrectione Carnis cap. 6[x]: " Et Sermo enim Deus, qui in effigie " Dei constitutus non rapinam existimavit PARIARI " Deo:" et illa lib. advers. Prax. cap. 7[y]: " Exinde " eum PAREM sibi faciens, de quo procedendo Filius " factus est." Quin et ista ejusdem Tertulliani, ejusdemque libri cap. 22[z]: " *Unum sumus*, dicens, *ego* " *et Pater*, ostendit duos esse, quos ÆQUAT et jun- " git."

5. Atque ex his exponi debent dicta illa Tertulliani, in scriptis ipsius occurrentia, in quibus ait Filium ita se ad Patrem habere, ut *portio* se habet ad *summam*, sive totum, ex quo desumitur, ac velut decerpitur. Scilicet istiusmodi similia non ad vivum resecanda, sed candide, ex æquo et bono, attendendo nimirum ad mentem ac sententiam auctoris, alibi

[u] [Pag. 440.] [x] [Pag. 328, 329.]
[y] [Pag. 503.] [z] [Pag. 513.]

clarius et verbis propriis explicatam, accipienda sunt. In quibusdam tenet similitudo; in quibusdam vero disconveniens est. In his quadrat 1. Quod ut portio non sola et per se totum constituit, sic et Filius non est omne id quod est Deus; sed præter Filium, et aliæ ὑποστάσεις, nempe Pater et Spiritus S. in divina essentia subsistant. 2. Quod ut portio ex summa sive toto desumitur, et totum est natura prius suis portionibus sive partibus, sic et Filius ex Patris substantia derivatur, et Pater, qua Pater, est Filio quasi natura prior. Deficit vero similitudo in his; 1. Per *portionem* intelligimus id quod a toto dividitur et separatur; at Filius a Patre indivisus est, et semper fuit. Quod Tertullianus ubique et constanter affirmat. Sic in loco superius adducto ex lib. adv. Prax. cap. 8[a]; "Prolatum dicimus Filium a Patre, "sed non separatum;" et cap. 9. "Hanc me regu- "lam professum, qua inseparatos ab alterutro Pa- "trem et Filium et Spiritum testor, tene ubique;" et cap. 19. "Ostendimus etiam duos Deos in Scrip- "tura relatos et duos Dominos; et tamen ne de isto "scandalizentur, rationem reddidimus, qua Dei non "duo dicantur, nec Domini, sed qua Pater et Filius, "duo; et hoc non ex separatione substantiæ, sed "ex dispositione, quum individuum et inseparatum "Filium a Patre pronuntiamus." 2. Portio est minor toto, ex quo desumitur; at Filius per omnia (dempto quod Filius sit) Patri par et æqualis, et omnia Patris habet et possidet. Quod etiam Tertullianus tot in locis modo a nobis adductis clare docet[b]. Quibus addas, quod in lib. III. advers. Marcion. cap. 6, [c] postquam dixerat Filium portio-

[a] [Pag. 504.] [b] Vide et IV. 2. 5. [c] [Pag. 400.]

nem esse ex plenitudine divinæ substantiæ, mox diserte subjicit, portionem illam esse *plenitudinis consortem*. Cum vero Tertullianus (lib. cont. Prax. cap. 14.[d]) Patrem et Filium inter se confert similitudine a sole, hoc est ipsa substantiæ summa, ut loquitur, quæ est in cœlis, et cujus nimius fulgor inaspectabilis, et radio ejus, cujus splendor pro temperatura portionis tolerabilis, deducta; id intelligendum (nisi Tertullianum crassissimæ contradictionis reum peragere velis) de οἰκονομίᾳ illa,[e] quam Filius Dei, pro summa sua erga humanum genus charitate, sponte suscepit; qua scil. a lapsu primi hominis se demisit, et viris sanctis singulis ætatibus se utcunque conspiciendum præbuit; et in plenitudine temporum homo factus fuit, et cum hominibus familiariter versatus. Imo hanc fuisse ipsissimam mentem ac sententiam Tertulliani et cæterorum Patrum, iis in locis, ubi probant eum, qui patriarchis apparuit, non fuisse ipsum Deum Patrem, sed Filium ejus, hac ratione, quod Pater invisibilis sit, neque loco includatur, Filius vero visibilis sit et in loco reperiatur, infra ad sectionem quartam evidentissime ostendam.

6. Sed quid multis opus est? Tertullianus passim integram Trinitatem ὁμοούσιον et ὁμότιμον aperte profitetur. Sic in lib. advers. Prax. cap. 2.[f] postquam regulam fidei recitaverat, hæc subjungit, "Sed salva "ista præscriptione, utique tamen propter instruc- "tionem et munitionem quorundam, dandus est

[d] [Pag. 508.]

[e] Poterunt et ista Tertulliani referri ad illam Filii συγκατάβασιν, qua ab ipsa rerum creatione se demisit et aptavit rebus creatis, de qua vide III. 9.ª §. 10, 11.

[f] [Pag. 501.]

" etiam retractatibus locus; vel ne videatur una-
" quæque perversitas non examinata, sed præjudi-
" cata damnari; maxime hæc, quæ se existimat
" meram veritatem possidere, dum unicum Deum
" non alias putat credendum, quam si ipsum eun-
" demque et Patrem et Filium et Spiritum S. dicat.
" Quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex uno
" omnia, per substantiæ scil. unitatem, et nihilomi-
" nus custodiatur οἰκονομίας sacramentum, quæ uni-
" tatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Pa-
" trem, Filium et Spiritum S. tres autem non statu,
" sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potes-
" tate, sed specie; UNIUS AUTEM SUBSTANTIÆ,
96 " ET UNIUS STATUS, ET UNIUS POTESTATIS; quia
" unus Deus, ex quo et gradus isti, et formæ, et
" species, in nomine Patris et Filii et Spiritus S.
" deputantur." Ubi, ni fallor, per *gradum* intelligi voluit ordinem illum, quo Pater a se existat, Filius a Patre immediate prodeat, Spiritus vero S. a Patre per Filium procedat; adeoque Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia Divinitatis persona merito dicatur. Per *formas* autem et *species* significare voluisse videtur diversos τρόπους ὑπάρξεως, quibus Pater, Filius, et Spiritus S. in eadem divina natura subsistunt. Utcunque vero illud sit, manifestum est, in his verbis omnes tres personas Deitatis et ὁμοουσίους et ὁμοτίμους statui. Huic autem adjungendus est locus alter ejusdem libri cap. 13.[5] " Duos quidem," inquit, " definimus, Patrem et Filium, et jam tres
" cum Spiritu S. secundum rationem Œconomiæ,
" quæ facit numerum, ne (ut vestra perversitas in-
" fert) Pater ipse credatur natus et passus, quod non
" licet credi, quoniam non ita traditum est. Duos

[5] [Pag. 507.]

"tamen Deos et duos Dominos nunquam ex ore "nostro proferimus; non quasi non et Pater Deus, "et Filius Deus, et Spiritus S. Deus, et Deus unus-"quisque; sed quoniam retro et duo Dii et duo "Domini prædicabantur, ut, ubi venisset Christus, "et Deus agnosceretur, et Dominus vocaretur, quia "Filius Dei et Domini." Ubi obiter animadvertas, Tertullianum etiam Spiritum S. perinde ac Patrem et Filium, Deum diserte pronuntiare. Quod contra Erasmum noto temere affirmantem [h], aliquandiu, nempe usque ad Hilarii tempora, veteres non ausos fuisse Spiritum S. Deum nominare. Poteram, si id nunc ageretur, istud Erasmi pronuntiatum prolixe refutare. Sed consulas, si lubet, Petavium de Trinit. III. 7. 1. et seqq. Ego ad propositum redeo, istis quæ jam adducta sunt unicum præterea Tertulliani locum adjiciens, quem legere est in libro de Pudicitia cap. 21. [i] ubi diserte agnoscit Tertullianus "Trinitatem UNIUS DIVINITATIS, Patrem, Filium, "et Spiritum Sanctum."

7. Priusquam autem a Tertulliano ad alios scriptores ecclesiasticos transeamus, detinendus paulisper lector, dum mirum quoddam Sandii commentum refellimus. Is ait manifestum esse, Tertullianum idem quod Arius de Patre, Filio, et Spiritu S. sensisse, antequam in hæresim Montani lapsus esset. Deinde ex hac vanissima suppositione ita ratiocinatur; "Unde "si quid in scriptis ejus pro homoousio reperitur, "Ariani potiori jure" (scil. quam catholici, qui ea utuntur ad retundenda minus sana quædam ipsis visa Tertulliani de Filio Dei pronuntiata) "objec-"tione ista de Montanismo auctoritatem Tertulliani

[h] In præfatione ad Hilarium. [i] [Pag. 574.]

" enervare possunt, quasi qui demum cum Montano " Trinitatem ὁμοούσιον credere inceperit." Sed in hoc falsi arguimus hominem nugacissimum his evidentissimis rationibus. Primo, constat doctores catholicos, qui Tertullianum adeoque Montanum antecesserunt, quorum scripta ad nos devenere, omnes τὸ ὁμοούσιον Filii ut et Spiritus S. agnovisse; constat illud, inquam, luculentissimis testimoniis, quæ ex iis sigillatim in superioribus adduximus. Tertullianus igitur ab ecclesia primum catholica, cujus in communione aliquandiu mansit, non a Montano demum, ad quem postea defecit, Trinitatem ὁμοούσιον edidicit. Deinde in libris omnibus Tertulliani, tum iis qui ante, tum qui post ejus ad hæresim Montani defectionem scripti fuere, ea reperiuntur, quæ consubstantialis Trinitatis dogma apertissime confirmant; quod norunt omnes, qui ejus scripta evolverunt, et loca a nobis modo allata satis declarant. Porro ipse Tertullianus jam Montanista, quanquam ridicule admodum glorietur quidem, se a Montani Spiritu certiorem de sanctæ Trinitatis mysterio, ut et de cæteris Christianæ religionis capitibus, ad regulam fidei pertinentibus, factum fuisse, quam prius fuisset per Scripturæ literam et traditionem ecclesiasticam, diserte tamen fatetur, eandem se fidem ac sententiam de Patre, Filio, ac Spiritu Sancto semper tenuisse. Clara sunt ejus verba in libro advers. Prax. cap. 2.[k] " Nos vero," inquit, " et sem-" per, et nunc magis, ut instructiores per Paracle-" tum, deductorem scil. omnis veritatis, unicum qui-" dem Deum credimus, sub hac tamen dispensa-" tione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici Dei sit et " Filius Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, &c."

[k] [Pag. 501.]

Deinde recitata fidei regula, in ea Trinitatem ὁμοούσιον doceri affirmat. Per Paracletum autem significare Tertullianum Montani Paracletum, cujus ductui, deserta ecclesia, se jam dedisset, consentiunt docti, et res ipsa loquitur. Denique hic, velim, recolat lector, quæ de Montano supra observavimus hujus sectionis cap. 1. §. 15. [p. 100.]

8. Verum agnosce, lector, miram Sandii peritiam in veterum scriptis, quorum censuram profitetur. Ad probandam hypothesin suam hoc utitur argumento, quod dogmata illa, quæ Arianismum sapiunt, maxime reperiantur in iis Tertulliani libris, 97
" quos Hieronymus non recenset inter eos, quos pro
" Montano scripsit, imo quos necesse est eum scrip-
" sisse, antequam in Montanismum inciderit, quales
" sunt libri contra Praxeam et Hermogenem." Sed primum, in libro contra Praxeam τὸ ὁμοούσιον Filii, quod Arianæ hæresi satis adversum est, sæpissime atque apertissime doceri, supra ostendimus[1]. Deinde adeo non necesse est, ut aperte falsum sit, librum contra Praxeam a Tertulliano scriptum fuisse, antequam in Montanismum incidisset. Nam ipse Tertullianus, idque in eo ipso libro contra Praxeam, diserte profitetur, se jam tum, cum adversus Praxeam scriberet, a psychicis, quos vocet, hoc est catholicis, disjunctum, et Montani partibus addictum fuisse.

[1] Plurimis Tertulliani verbis, ex lib. contra Praxean hoc capite pro ὁμοουσίῳ Filii citatis, addo quæ de S. Trinitate protulit cap. 25. [p. 515.] ejusdem Tractatus, notatu dignissima: " Ita connexus
" Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alte-
" rum ex altero. Qui tres unum sint, non unus; quomodo dic-
" tum est, EGO ET PATER UNUM SUMUS; ad substantiæ unita-
" tem, non ad numeri singularitatem." Confer et illa, quæ sequenti cap. 8. §. 4. allegata sunt. GRABE.

Non longe enim a libri initio sic scribit [m]: "Nam "idem (Praxeas) tunc episcopum Romanum agnos- "centem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, "et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiæ et Phry- "giæ inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis "eorum adseverando, et præcessorum ejus auctori- "tates defendendo, coegit et literas pacis revocare "jam emissas, et a proposito recipiendorum charis- "matum concessare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas "Romæ procuravit; prophetiam expulit, et hæresim "intulit; Paracletum fugavit, et Patrem crucifixit." Animadvertis, Tertullianum Praxeæ, ob id quod episcopo Romano auctor fuerit, ut Montanum cum ejus asseclis et ipsorum prophetias repudiaret, adeo infensum fuisse, ut in hoc ipsum dicat Diaboli negotium procurasse. Erat igitur Tertullianus jam tum non modo Montanista, sed in ea secta Zelotes. Ibidem autem paulo post hæc legas; "Et nos quidem "agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a psy- "chicis." Ad id vero, quod Hieronymus librum contra Praxeam non recenseat inter eos libros, quos pro Montano scripsit Tertullianus, respondeo, Distinguendos esse omnino libros, quos Tertullianus jam Montanista pro Montano proprie contra ecclesiam scripsit, ab iis libris, quos idem, dum Montanista fuit, non pro Montano contra ecclesiam, sed pro communi ecclesiæ et Montani doctrina contra alios hæreticos elucubravit. In priori censu ponit Hieronymus libros *de Pudicitia, de Jejuniis, de Monogamia, de Ecstasi;* ad posteriorem classem pertinere librum *adversus Praxeam,* nos evidentissime probavimus. Sed de Tertulliano inpræsentiarum satis.

[m] [Pag. 501.]

CAP. VIII. 98

Confirmatur Nicæna fides, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, testimoniis Caii presbyteri, et S. Hippolyti celeberrimi episcopi et martyris.

1. AD scriptores jam venio ecclesiasticos, qui Tertulliano ætate proximi fuerunt. Extabat Photii temporibus liber Περὶ τοῦ παντὸς, *de Universo* inscriptus; quem alii perridicule Josepho Judæo, alii Justino Martyri, nonnulli demum Irenæo, ut refert idem Photius[n], attribuerunt. Sed recte illorum sententiam secutus est Photius, qui tradiderunt librum revera conscriptum fuisse a Caio presbytero, eodem, qui Labyrinthum (celebrem librum) composuit, et Zephyrini episcopi Romani temporibus maxime floruit[o]; siquidem ipse Caius in extremo Labyrintho testatum reliquit, se esse libri de Universi Natura auctorem[p]. Quam autem per omnia catholice de vera Christi divinitate scripserit auctor ille, nos docet Photius his verbis: Περὶ μέν τοι Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ, κλῆσίν τε αὐτὴν ἀναφθεγγόμενος Χριστοῦ, καὶ τὴν ἐκ Πατρὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμπτως ἀναγράφων. i. e. "De Christi autem veri Dei nostri divinitate aptissime disserit, quando et ipsam "Christi appellationem illi attribuit, et ineffabilem "ex Patre generationem citra reprehensionem de-"scribit." Certe de Servatoris nostri vera divinitate,

[n] In Bibliotheca cod. 48.

[o] Caius floruit circa an. 210. *Cave.* BOWYER.

[p] Scripsit Caius Περὶ τῆς τοῦ παντὸς οὐσίας, uti in fine Labyrinthi sui, exscriptore Photio, ipse testatum reliquit. Verum an id opus idem sit cum eo quod Περὶ τοῦ παντὸς inscriptum, et Hippolyti operibus vulgo annumeratum extat, incertum est. *Cave.* BOWYER. [Vid. Routh. in Reliq. Sacr. II. p. 31.]

et ejus inenarrabili generatione, non aptissime et citra reprehensionem disseruisset Caius, Photio saltem judice et censore, si quicquam ipsi excidisset, quod pro Arianis faceret, aut Filii τῷ ὁμοουσίῳ vel in speciem repugnaret. Meritissimo igitur jure hunc scriptorem inter catholicæ Nicænæ fidei vindices ac patronos numeramus.

2. Caio presbytero succenturiandus est S. Hippolytus martyr et episcopus Portuensis, (quod ab Anastasio bibliothecario discimus,) qui floruit Alexandro Mammeæ filio imperante, hoc est circiter annum Christi 220. Is in opusculis contra Beronem et Helicen, [q] apud Anastasium in Collectaneis, duplicem in Christo naturam accurate discernit, et divinam eandem plane esse demonstrat, quæ est in Patre. Nam Christum dicit [r] Θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ, καὶ περιγραπτὸν ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα. i. e. "Deum infinitum simul, et circumscriptum hominem esse et intelligi, utriusque substantiam perfectam perfecte habentem." Ejusdem est illustris hæc de Christi divina simul et humana natura confessio, qua certe a nemine unquam, vel post concilium Nicænum, expressior aut significantior edita fuit: [s] Τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἔστι καὶ μετὰ σάρκωσιν κατὰ φύσιν ἄπειρον, ἄσχετον, ἀπαθὲς, ἀσύγκριτον, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐτοσθενὲς, καὶ, τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑφεστὸς οὐσιῶδες, μόνον ἀπειροσθενὲς ἀγαθόν. i. e. "Divinitas, ut erat ante incarnationem, est et post incarnationem secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, inalterabilis, inconvertibilis,

[q] Hippolytus Sermone I. apud Anastas. in Collect. p. 210.
[r] [Vol. I. p. 226.]
[s] Hippolytus Sermone I. apud Anastas. in Collect. p. 211.

" per se potens, et ut totum dicam, substantiale quid " subsistens, quod solum infinitæ virtutis bonum sit." Nec mirabitur quisquam hæc tam præclara et magnifica de Filio Dei protulisse Hippolytum, qui meminerit ipsum fuisse discipulum (ut veteres tradiderunt) Clementis Alexandrini; qui de Christo vero Deo ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ, quemadmodum supra ostendimus.

3. Hæc autem cum tam clara ac diserta sint, Sandius nullam aliam evadendi viam cernere potuit, quam ut audacter, pro more scil. suo, pronuntiaret [t], " Opuscula de Theologia et Incarnatione contra Be- " ronem et Helicen Serm. I. apud Anastasium in " Collect. non esse Hippolyti." Sed videamus, quibus ille rationibus suam hanc decretoriam sententiam, veteris et magni illius bibliothecarii (in MSS. 99
antiquiorum Patrum codicibus, pro officio suo, versatissimi) judicio oppositam tueatur. " Nec Euse- " bius," inquit, " nec Hieronymus tractatus ejus- " modi meminerunt." Quasi scilicet omnia omnium veterum doctorum scripta Eusebius et Hieronymus commemoraverint. Sed et Eusebius [u] diserte profitetur, se plenum operum Hippolyti catalogum neutiquam exhibuisse; dum post recensita quædam ejus scripta, hæc subjungit, Πλεῖστά τε ἄλλα καὶ παρὰ πολλοῖς εὕροις ἂν σωζόμενα. i. e. " Et alia plurima apud " multos asservata licet reperire." Eusebii autem Catalogo paucissima Hippolyti scripta addidit Hieronymus. Sane haud minori verisimilitudine contendere potuisset Sandius, Hippolytum nullius unquam ecclesiæ episcopum fuisse; siquidem et Eusebius et Hieronymus locum episcopatus ipsius prorsus igno-

[t] De Script. Eccl. p. 27. [u] Hist. Eccles. VI. 22.

rarunt, et ab Anastasio demum illud didicimus. En et alteram ejus ratiunculam! "Vel Sabellianum," inquit, "vel Eutychianum eorum Excerptorum auctorem fuisse necesse est, ob hæc ejus verba: Ὁ ταυτόν ἐστι τῷ Πατρὶ, γενόμενος ταυτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν. Utraque autem loquendi formula hæretica est Ignatio Epist. ad Trall. cum dicit hæreticos docere ταυτὸν εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον· et post οὐδὲ γὰρ ταυτὸν Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. Si enim ταυτὸν identitatem subsistentiæ denotare dicatur, manifestissimus est Sabellianismus; sin unitatem essentiæ et naturæ, apertissimus est Eutychianismus." Quibus respondeo, ταυτὸν in priori membro loci unitatem essentiæ et naturæ omnino denotare, non subsistentiæ identitatem, quam solam impugnavit spurius ille Ignatius, quem citat Sandius. Neque hinc tamen concedendum, Eutychianismum confirmari in verbis illis ταυτὸν τῇ σαρκί. Ut hominis intolerabilem sive inscitiam sive fraudulentiam clarius perspicias, en tibi, lector, integrum Hippolyti locum[x]: "Sermo sive Filius Dei," inquit, τροπὴν οὐχ ὑπέμεινεν, μηδ' ἐνὶ παντελῶς, ὃ ταυτόν ἐστι τῷ Πατρὶ, γενόμενος ταυτὸν τῇ σαρκὶ διὰ τὴν κένωσιν· ἀλλ' ὥσπερ ἦν δέχα σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε. i. e. "mutationem non passus est, nec in ullo prorsus, in quo idem est cum Patre, factus est idem cum carne, propter exinanitionem; sed cujusmodi erat absque carne, ita mansit extra omnem circumscriptionem." Vides, Hippolytum hic non affirmare, sed expresse negare, Verbum sive Filium Dei post incarnationem in ullo prorsus idem factum fuisse cum carne. Sane nihil contra Eutychis insaniam ex-

[x] Anastas. in Collect. p. 210. [vol. I. p. 226.]

pressius dici potuit. Sed adhuc instat Sandius; "Porro," inquit, "auctorem Sabellianum fuisse, ab- "unde liquet ex ejusdem verbis apud Anastasium, "quibus Filio ἀγεννησίαν tribuit. Nam Ignatius d. l. "scribit, hæreticos (Simonianos Sabellii præcurso- "res) Christum ἀγέννητον putare." Scilicet ludit hic et ludificari voluit lectorem suum sophista crassa homonymia vocabuli ἀγεννησίας. Supra ostendi, voces ἀγένητος et ἀγέννητος a scriptoribus ecclesiasticis, præsertim qui Nicæna synodo anteriores fuerunt, promiscue usurpari; ita ut tam ἀγέννητον quam ἀγένητον significaret id quod increatum vel non factum sit: quo sensu Filium ἀγένητον expresse dixit verus Ignatius. Vide quæ supra disseruimus hujus sect. cap. 2. §. 6. [p. 115.] Recte itaque, licet barbare, Anastasius vocem ἀγεννησία ab Hippolyto usurpatam vertit, *infactio*. Piget de tam obviis et notis toties lectorem monuisse.

4. Speciosior est objectio eorum, qui probare conantur hæc Excerpta non esse Hippolyti, quod in iis hæresis Eutychetis, qui Hippolyto longe posterior fuit, clare refellitur. His ex Canisio respondet Possevinus in Apparatu, errorem de permistione naturarum in Christo, contra quem disputat Hippolytus, non cum Apollinari et Eutyche demum natum et introductum, sed longe antiquiorem esse, cum illius Justinus Martyr meminerit in Expositione Fidei. Falsi fortasse fuerunt Canisius et Possevinus in eo, quod Expositionem Fidei Justino Martyri tribuerint; errorem tamen, de permixtione naturarum in Christo, Apollinari et Eutychete antiquiorem esse, quin et ab ecclesiæ doctoribus, qui Hippolytum antecessere, impugnatum fuisse, aliunde certissime constat. Pluribus illud testimoniis probare potuissem. Sed unico Tertulliani loco contentus ero; ita igitur

ille in libro ipsius indubitato contra Praxeam cap. 27.[y] de Verbi Incarnatione disserit: "De hoc quæ-
" rendum, quomodo Sermo caro sit factus, utrumne
" quasi transfiguratus in carne, an indutus carnem?
" Imo indutus. Cæterum Deum immutabilem et in-
" formabilem credi necesse est, ut æternum. Trans-
" figuratio autem interemptio est pristini; omne
" enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit
" esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat;
" Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest
" esse. Sermo autem, Deus; et Sermo Domini ma-
" net in ævum, perseverando scilicet in sua forma.
" Quem si non capit transfigurari, consequens est,
" ut sic caro factus intelligatur, dum fit in carne et
" manifestatur, et videtur, et contrectatur per car-
100 " nem: quia et cætera sic accipi exigunt. Si enim
" Sermo ex transfiguratione et demutatione substan-
" tiæ caro factus est, una jam erit substantia Jesus
" ex duabus, ex carne et spiritu mixtura quædam,
" ut electrum ex auro et argento, et incipit nec au-
" rum esse, id est, spiritus, neque argentum, id est,
" caro, dum alterum altero mutatur, et tertium quid
" efficitur. Neque ergo Deus erit Jesus; Sermo
" enim desiit esse, qui caro factus est: neque caro,
" id est, homo; caro enim non proprie est, qui Ser-
" mo fuit. Ita ex utroque neutrum est; aliud longe
" tertium est, quam utrumque. Sed enim inveni-
" mus illum directo et Deum et hominem expositum
" ——certe usquequaque Filium Dei et Filium ho-
" minis, cum Deum et hominem, sine dubio secun-
" dum utramque substantiam in sua proprietate dis-
" tantem; quia neque Sermo aliud quam Deus, ne-
" que caro aliud quam homo. Sic et apostolus de

[y] [Pag. 516.]

" utraque ejus substantia docet; *Qui factus est*, in-
" quit, *ex semine David;* hic erit homo et filius ho-
" minis: *qui definitus est Filius Dei secundum*
" *Spiritum;* hic erit Deus et Sermo Dei, Filius.
" Videmus duplicem statum, non confusum, sed
" conjunctum in una persona, Deum et hominem
" Jesum." Hæc Tertullianus Hippolyto antiquior, quibus contra Eutychetis hæresim nihil expressius aut efficacius dictum unquam fuit. Quis tamen pro egregio sophista illum non haberet, qui hinc concluderet, librum adversus Praxeam Tertulliani non esse, sed auctoris, qui demum post Eutychetem scripsit? Sed nimirum ut in mundo, ita in ecclesia eadem semper recurrit fabula, et quas posterior ætas novas hæreses appellat, eæ sunt revera pristini tantum errores renovati, atque ab orco revocati.

5. Quid autem sibi vult auctor Irenici [z], cum hæc Hippolyti fragmenta rejicit ut *nuperrime producta?* an nuperrimus ipse est Anastasius, cujus in Collectaneis illa Excerpta extant, et tanquam Hippolyti extra controversiam genuina producuntur, qui ante 800 annos floruit? Nunquid vero suspicatur, Collectanea ista, quæ anno 1620. edidit Sirmondus, Anastasii bibliothecarii non esse? atqui ipse Anastasius in Præfatione indubitati operis, Historiæ nempe Ecclesiasticæ, sive Chronographiæ tripartitæ, se auctorem eorum Collectaneorum aperte profitetur, exponitque (ut observavit P. Labbæus) nonnulla ex iis opusculis, quæ Latinitate a se donata in istam collectionem conjecerat. Quod autem præterea objicit anonymus, quædam in Excerptis illis reperiri, de æternitate Filii, quæ repugnant doctrinæ Hippolyti in opere ipsius indubitato contra hæresim

[z] Pag. 67.

Noeti, quam frivolum id sit, cum ad sectionem tertiam de Filii τῷ συναϊδίῳ ventum est, clare ostendam. Frustra quoque idem est, cum ex eodem libro adversus Noetum locum hunc adducit, tanquam auctoris Excerptorum theologiæ repugnantem: "Nec "enim Verbum per se, et sine carne, perfectus Filius "erat, cum tamen esset perfectum Verbum unigeni-"tus: neque caro per se sine Verbo subsistere pote-"rat, quia in Verbo habebat τὴν ὑπόστασιν, id est, in "Verbo subsistebat[a]." Scilicet non ita insaniit Hippolytus, ut diceret, (quod dixisse illum anonymus voluit,) Verbo sive unigenito quicquam intrinsecæ perfectionis revera accessisse ex carnis assumptione; imo contrarium aperte docet. Nam primo diserte ait, Dominum nostrum perfectum fuisse Verbum et unigenitum ante incarnationem. Deinde clare docet, Verbum sive unigenitum adeo ex carne humana non melioratum esse, ut caro illa ipsam suam subsistentiam Verbo debeat. Quid ergo, inquies, voluit Hippolytus, cum ait, Verbum et unigenitum sine carne perfectum non fuisse Filium? Voluit, inquam, manifeste, τὸν λόγον ante incarnationem non omni filiationis genere, ut ita dicam, defunctum fuisse, sive nondum fuisse omni modo, quo Pater voluit, Dei Filium. Scilicet Domino nostro triplicem nativitatem et filiationem attribuerunt veteres. Prima est, qua ut λόγος ex mente Patris ab æterno natus fuit. Ex hac nativitate perfecta hypostasis divina extitit; nec ipsi quicquam postea accessit, sed potius cæteræ nativitates συγκαταβάσεις fuerunt sive conde-

[a] [Græca sunt, οὔτε γὰρ ἄσαρκος καὶ καθ' ἑαυτὸν ὁ λόγος τέλειος ἦν υἱός, καί τοι τέλειος λόγος ὢν μονογενὴς, οὐθ' ἡ σὰρξ καθ' ἑαυτὴν δέχεται τοῦ λόγου ὑποστάναι ἠδύνατο, διὰ τὸ ἐν λόγῳ τὴν σύστασιν ἔχειν. Vol. II. p. 17. In Latinis ὑπόστασιν pro σύστασιν tam Bullus quam Irenici auctor incaute substituit.]

scensiones Filii Dei. Altera nempe nativitas est, qua ὁ λόγος a Deo Patre (apud quem, cum nihil adhuc præter Deum existeret, adeoque ab æterno fuerat) κατ' ἐνέργειαν exivit, ac tanquam ex utero ejus prodiit, seque demisit ad condenda universa. Tertia demum nativitas tum fuit, cum idem ὁ λόγος caro factus est, et e sinu Patris in uterum beatissimæ Virginis illapsus homo ex ipsa natus est per inumbrationem Spiritus S. Hæc fuit τοῦ λόγου extrema συγκατάβασις, (a nobis hominibus, adeoque ab ipsis angelis, æternum adoranda,) qua peracta perfectus Filius Dei factus est, hoc est, ut dixi, omni filiationis genere defunctus est; siquidem cæteræ filiationes, quæ humanam Christi naturam spectant, ex hac dependent, atque ex ipsa consequuntur. Hæc fusius explicabimus ad sectionem illam III. de Filii τῷ συναϊδίῳ; interim illud observandum est, inter ea, quæ Irenici auctor ex libro Hippolyti contra Noetum adduxit, tanquam catholicæ, id est, Nicænæ fidei contraria, quædam 101
esse, quæ illam ipsam fidem egregie confirmant. Hujusmodi est illud: " Cum alium dico," (nempe Filium a Patre,) " non duos Deos dico, sed tan-
" quam lumen ex lumine, et aquam ex fonte, aut
" radium a sole; una enim virtus ex toto; totum
" vero Pater, ex quo virtus, Verbum; hoc vero mens
" sive sensus, qui, prodiens in mundum, ostensus est
" Puer Dei[b]. Omnia igitur per eum facta sunt; ipse

[b] In Græco textu, qui injuria temporum interiit, procul dubio legebatur, Ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον ἐφανερώθη ὁ παῖς τοῦ Θεοῦ. Ita enim et in interpretatione Psalmi secundi sonant verba ejusdem scriptoris, quæ ex Theodoreto allego sequenti pag. 103. col. 1. ab initio [p. 281.] Ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐφανερώθη. [Totus locus a Fabricio (qui hoc opus Græce primus edidit) ita exhibetur, vol. II. p. 13. Ἕτερον δὲ λέγων οὐ δύο θεοὺς λέγω, ἀλλ' ὡς φῶς

" solus ex Patre genitus." Ubi Patrem et Filium, persona distinctos, unum tamen esse Deum inde probat, quod Filius non sit Deus a seipso, sed Deus de Deo, atque ex Patre, tanquam lumen ex lumine, et aqua ex fonte, et radius a sole prodeat; et Filium diserte eximit ex numero rerum a Deo factarum, illum solum ex ipso Deo Patre genitum pronuntians; quæ cum Nicæna Confessione omnino conspirant. Neque cuiquam offendiculo esse debet, quod ibidem Hippolytus Patrem dicat *totum*, Filium vero *virtutem ex toto*. Nam totum recte dicitur Pater, qua est πηγὴ Θεότητος· siquidem divinitas, quæ in Filio est et in Spiritu Sancto, Patris est, quia a Patre derivatur. Apprime itidem catholica sunt, quæ mox ex eodem Hippolyti libro sophista adfert, nempe hæc: " Pater mandat, Verbum perficit; Filius au-" tem ostenditur, per quem Pater creditur. Œcono-" mia consensionis redigitur ad unum Deum. Unus " enim est Deus, qui mandat Pater, qui obedit Fi-

ἐκ φωτὸς, ἢ ὡς ὕδωρ ἐκ πηγῆς, ἢ ὡς ἀκτῖνα ἀπὸ ἡλίου. Δύναμις γὰρ μία ἡ ἐκ τοῦ παντὸς, τὸ δὲ πᾶν Πατὴρ, ἐξ οὗ δύναμις λόγος· οὗτος δὲ νοῦς, ὃς πραβὰς ἐν κόσμῳ ἐδείκνυτο παῖς Θεοῦ. Πάντα τοίνυν δι' αὐτοῦ, αὐτὸς δὲ μόνος ἐκ Πατρός.] Cæterum Hippolyto quoque solemne fuisse, Christum vocare τὸν παῖδα τοῦ Θεοῦ, " Puerum sive potius Filium Dei," patet ex ejus *Demonstratione de Christo et Antichristo*, inserta Combefisii novissimo Auctario Bibliothecæ Patrum, Parisiis 1672. Ibi enim non adeo multum ab initio [3. vol. I. p. 5.] hanc quæstionem proponit: Πῶς ἂν πάλαι τοῖς μακαρίοις προφήταις ἀπεκάλυψεν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, αὐτὸς πάλιν ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς, ὁ πάλαι μὲν λόγος, τυχεῖν ἐπιζητεῖς. " Quomodo factum, ut beatis prophetis olim revelationem " dederit Dei Logos, ipse denuo Dei Filius, qui olim Logos erat, " quæris." Et paulo post: Εἷς γὰρ καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς κ. λ. " Unus " enim est Dei Filius, &c." Confer verba ex sect. 61. citata sequenti p. 104. col. 2. [p. 285.] Ita scilicet Hippolytus aliique antiqui Patres Christum appellarunt ex Esaiæ xlii. 1. aliisque locis, ubi Deus de ipso ait: Ἰδοὺ ὁ παῖς μου· quanquam παῖς ibi *servum* significet. Sed hæc obiter. GRABE.

" lius, qui docet scientiam Spiritus Sanctus. Pater, " qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus " Sanctus in omnibus[c]." Hic scil. Hippolytus Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum unum esse Deum aperte docet, et unicuique Trinitatis personæ omnipræsentiam tribuit, ac vim divinam quæ cuncta pervadat. Quod vero Patrem dicit *mandare*, Filium *obedire*, in eo consentientes secum et similiter loquentes habet alios Patres orthodoxos, non modo Antenicænos, sed et qui post concilium Nicænum floruerunt. Respice omnino quæ supra ad Irenæum diseruimus, hujus sectionis cap. 5. §. 6. [p. 221.] Quod itidem Patrem proprie super omnia esse dicit, id ad ἐξοχὴν illam Patris, qua Pater est, omnino referendum, quam catholici omnes agnoscunt. Sed quid multis opus est? Ipse titulus libri adversus Noetum satis ostendit, quam frustra prorsus Arianam inde blasphemiam adstruere conatus sit Irenici auctor. Scilicet liber ita inscribitur: *Homilia de Deo Trino et Uno, et de mysterio Incarnationis contra hæresim Noeti.* Certe autem Deum Trinum et Unum nemo Arianus nisi sophistice ac veteratorie profiteri potest. Ac de S. Hippolyto hactenus.

ANNOTATA J. E. GRABE 102

AD CAP. VIII. §. 1.

DE CAIO.

LAUDATUM Caii tractatum Περὶ παντὸς, *de Universo*, haud amplius integrum habemus; habemus tamen amplum ejus fragmentum sive partem istam, qua tractavit

[c] [Greece, Πατὴρ ἐντέλλεται, λόγος ἀποτελεῖ, υἱὸς δὲ δείκνυται δι' οὗ Πατὴρ πιστεύεται. Οἰκονομία συμφωνίας συνάγεται εἰς ἕνα Θεὸν, εἷς γάρ ἐστιν ὁ Θεός· ὁ γὰρ κελεύων Πατὴρ, ὁ δὲ ὑπακούων υἱὸς, τὸ δὲ συνετίζων ἅγιον πνεῦμα. Ὁ ὢν Πατὴρ ἐπὶ πάντων, ὁ δὲ υἱὸς διὰ πάντων, τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα ἐν πᾶσιν. Vol. II. p. 15, 16.]

περὶ Ἅδου, ἐν ᾧ συνέχονται ψυχαὶ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, " D
" inferno, quo continentur animæ justorum et injustorum,
editam primum ab Hœschelio, haud ita pridem vero
Moynio Syllogæ variorum sacrorum scriptorum insertam
quanquam is Hippolytum ejus auctorem faciat. Atqui il
hæc legimus: Πάντες δὲ δίκαιοι τε καὶ ἄδικοι ἐνώπιον τοῦ Θε
λόγου ἀχθήσονται· τούτῳ γὰρ Πατὴρ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκ
Καὶ αὐτὸς βουλὴν Πατρὸς ἐπιτελῶν κριτὴς παραγίνεται, ὃν Χριστ
προσαγορεύομεν. " Omnes autem, sive justi sive injusti, a
" ducentur coram Deo Verbo; huic enim Pater omne jud
" cium dedit. Et ille voluntatem Patris adimplens Jude
" adveniet; quem nos Christum appellamus." Non dubit
quin hæc ultima verba respexerit Photius, loco §. 1. hujı
capitis citato, ubi ait, Καλῶν τε αὐτὴν ἀναφθεγγόμενος τ
Χριστοῦ. De quo Christi nomine vide infra p. 187. col.
[III. 2, 1.] Ista vero ἐνώπιον Θεοῦ λόγου in mente habuisse v
detur, dum scribit, Περὶ μέν τοι Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμ
ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ· quanquam alia plura et magis expres
de Christi Deitate ac ineffabili ex Deo Patre generatio
dicta procul dubio in hoc tractatu extiterint.

AD §. 2.

DE HIPPOLYTO.

1. Alia satis clara pro Deitate Christi testimonia Hip
polyti habentur inter plura ejus dicta, a Theodoreto Di
logo II. tom. IV. p. 88. seq. et Act. V. Concilii Lateranen
sis tom. VI. Concil. Labbei allegata. Sic dicta p. 88. e
Oratione *de Distributione Talentorum* hæc citantur verba[d]
Τούτους δὲ καὶ τοὺς ἑτεροδόξους φήσειεν ἄν τις γειτνιᾶν, σφαλλομ
νους παραπλησίως. Καὶ γὰρ κἀκεῖνοι ἤτοι ψιλὸν ἄνθρωπον ὁμολ
γοῦσι πεφυκέναι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν βίον, τῆς θεότητος αὐτοῦ
τάλαντον ἀρνούμενοι· ἤτοι τὸν Θεὸν ὁμολογοῦντες ἀναίρονται πάλ
τὸν ἄνθρωπον, πεφαντασιωκέναι διδάσκοντες τὰς ὄψεις αὐτῶν τ
θεαμένων ὡς ἄνθρωπον, οὐ φορέσαντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησίν τι
φαντασιάδη μᾶλλον γεγονέναι, οἷον ὥσπερ Μαρκίων καὶ Οὐαλεντῖνο
καὶ οἱ Γνωστικοὶ, τῆς σαρκὸς ἀποδιασπῶντες τὸν λόγον, τὸ ἓν τ
λαντον ἀποβάλλονται, τὴν ἐνανθρώπησιν. " Hos autem et e

[d] [Vol. I. p. 281.]

" qui aliter sentiunt, dixerit quispiam vicinos esse, ut qui " errent similiter. Nam et illi etiam vel nudi hominis na- " turam confitentur gessisse Christum in vita, divinitatis " ejus talentum negantes; vel Deum confitentes, hominem " rursus negant, docentes eum fallaci specie spectantium " oculis illusisse, velut hominem, cum hominem non gesta- " verit, sed inane potius spectrum fuerit; sicut Marcion, " Valentinus et Gnostici Verbum a carne divellentes, ta- " lentum unum, hoc est incarnationem, abjiciunt." Notatu quoque digna sunt ejusdem Hippolyti verba ex interpretatione Psalm. ii. quæ iterum auctoritate Theodoreti p. 89. ea citantis adducimus[e]: Οὗτος ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον, Θεὸς 103 καὶ ἄνθρωπος ἐφανερώθη. Καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον αὐτοῦ εὐκόλως ἐστὶ νοεῖν, ὅτε πεινᾷ, καὶ κοπιᾷ, καὶ κάμνων διψᾷ κ. λ. Τὸ δὲ θεϊκὸν αὐτοῦ πάλιν φανερῶς ἐστιν ἰδεῖν, ὅτε ὑπ' ἀγγέλων προσκυνεῖται, καὶ θεωρεῖται ὑπὸ ποιμένων, καὶ προσδοκᾶται ὑπὸ Συμεών, καὶ ὑπὸ Ἄννης μαρτυρεῖται, καὶ ζητεῖται ὑπὸ Μάγων, καὶ σημαίνεται δι' ἀστέρος, καὶ ὕδωρ ἐν γάμοις οἶνου ἀπεργάζεται, καὶ θαλάττῃ ὑπὸ βίας ἀνέμων κινουμένῃ ἐπιτιμᾷ, καὶ ἐπὶ θαλάσσης περιπατεῖ, καὶ τυφλὸν ἐκ γενετῆς ὁρᾷν ποιεῖ, καὶ νεκρὸν Λάζαρον τετραήμερον ἀνιστᾷ, καὶ ποικίλας δυνάμεις τελεῖ, καὶ ἁμαρτίας ἀφίησι, καὶ ἐξουσίαν δίδωσι μαθηταῖς. " Hic qui venit in mundum, Deus et " homo manifestatus est. Et hominem quidem ipsius fa- " cile est intelligere, dum esurit, et defatigatur, et fatiga- " tus sitit, &c. Divinam vero ipsius naturam aperte rur- " sus videre est, quando ab angelis adoratur, et a pastori- " bus conspicitur, et expectatur a Simeone, et Annæ orna- " tur testimonio, et a Magis quæritur, et a stella indicatur, " et ex aquis in nuptiis vinum facit, et mare vi ventorum " agitatum increpat, et super mare ambulat, et cœco a na- " tivitate visum largitur, et quatriduanum Lazarum resus- " citat, et varias virtutes perficit, et peccata remittit, et " potestatem remittendi dat discipulis." Idem Christum Deum appellavit Sermone in Helcanam et Annam cit. p. 88. ubi ita fatur[f]: Τρεῖς καιροὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ προετυποῦντο εἰς αὐτὸν τὸν σωτῆρα, ἵνα τὰ προφητευθέντα ἐπὶ αὐτοῦ μυστήρια ἐπιτελέσῃ·

[e] [Vol. I. p. 268.] [f] [Vol. I. p. 267.]

ἐν μὲν τῷ πάσχα, ἵνα ἑαυτὸν ἐπιδείξῃ τὸν μέλλοντα ὡς πρόβατον θύεσθαι, καὶ ἀληθινὸν πάσχα δείκνυσθαι, ὡς ὁ ἀπόστολος λέγει· τὸ δὲ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, Χριστὸς ὁ Θεός. "Tria anni "tempora Servatorem ipsum designabant, ut quæ de ipso "prædicta erant mysteria perageret; in paschate quidem, "ut ostenderet sese tanquam ovem sacrificandum, et ve- "rum pascha probandum, sicut dixit apostolus" (1 Corinth. v. 7.) "*pascha nostrum pro nobis immolatus est, Christus* "Deus." Divinæ etiam omnipræsentiæ attributum Christo adscripsit tractatu in pascha, ex quo hæc cit. Concil. tomo col. 287, 288. habentur verba [g]: Ὅλος ἦν ἐν πᾶσι καὶ πανταχοῦ, γεμίσας δὲ τὸ πᾶν πρὸς πάσας τὰς ἀερίους· ἀρχὰς γυμνὸς ἀνταπεδύσατο, καὶ πρὸς ὀλίγον βοᾷ παρελθεῖν τὸ ποτήριον, ἵνα δείξῃ ἀληθῶς, ὅτι καὶ ἄνθρωπος ἦν. "Totus erat in omnibus et ubi- "que, adimplens vero omnia ad omnes aerios principatus "nudus redespoliatus est, et ad parvum clamat transire "calicem, ut ostendat vere, quia et homo erat." Nota quoque dictum, *et homo;* quoniam scilicet aliam insuper naturam habebat, et Deus erat.

2. Accedunt alia quoque ejusdem Hippolyti verba ex ejus in Genesin Commentario. Et periit quidem iste Commentarius; asservata tamen sunt quædam ejus fragmenta in Catenis, quæ vulgo dici solent, Patrum in dictum Mosis librum; quorum aliqua Romæ descripta Isaacus Vossius quondam doctissimo D. Joanni Millio, hic vero pro singulari erga me favore eadem mihi benevole communicavit. Atqui inter hæc in xlix. caput vers. 22. υἱὸς ηὐξημένος Ἰωσὴφ sequentia habentur verba [h]: Ἐπειδὴ γὰρ ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ λόγος, Θεὸς ὑπάρχων ἐκ Θεοῦ, κεκένωκεν ἑαυτὸν κατὰ τὰς γραφάς, καθὼς ἐθελοντὴς ἑαυτὸν εἰς ὅπερ οὐκ ἦν, καὶ τὴν ἄδοξον ταύτην σάρκα ἐμπέσχετο, καὶ ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ πέφηνε, γεγονὼς ὑπήκοος τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ μέχρι θανάτου, ταύτῃ τοι λοιπὸν καὶ ὑπερυψοῦσθαι λέγεται· καὶ ὡς οὐκ ἔχων διὰ τὸ ἀνθρώπινον μονονουχὶ, καὶ ἐν χάριτος μοίρᾳ, λαμβάνει τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, κατὰ τὴν τοῦ μακαρίου Παύλου φωνήν· ἀλλ' ἦν τὸ χρῆμα κατὰ τὸ ἀληθὲς οὐ δόσις ὡς ἐν ἀρχῇ τῶν οὐκ ἐνόντων αὐτῷ φυσικῶς, πολλοῦ γε καὶ δεῖ· νοοῖτο

[g] [Vol. II. p. 45.]

[h] [Vol. II. p. 29. sed minus integre quam apud Grabium.]

ὅ ἂν μᾶλλον ἀναφοίτησις καὶ ἀναδρομὴ πρὸς τὸ ἐν ἀρχῇ καὶ οὐσιωδῶς καὶ ἀνάπτυβλήτως ὑπάρχον αὐτῷ. "Quandoquidem unigeni-
" tum Dei Verbum, Deus ex Deo existens," (observa ipsius concilii Nicæni phrasin, uti supra pag. 101. col. 1. [p. 277.] *lumen de lumine*,) " exinanivit semetipsum juxta Scriptu-
" ras, demittens semetipsum ultro in id quod non erat, et
" vilem hancce carnem induit, atque in servi forma appa-
" ruit, obediens Deo et Patri factus usque ad mortem, ea-
" propter de cætero et superexaltatus esse legitur; et tan-
" quam id prope non habens propter humanam naturam,
" ac gratuiti instar doni, accepit *nomen super omne no-*
" *men*, secundum B. Pauli verba, sed ex rei veritate res
" ipsa tamen non erat donum eorum quæ ab initio natura-
" liter haud habuit; (longe aliter se res habet;) verum
" potius reditus existimandus est et recursus ad id, quod
" a principio essentialiter et inseparabiliter ei inerat." Et paulo post ad ista verba, εὐλογίας πατρὸς καὶ μητρὸς, ita commentatur[1]: Σαφῶς τε καὶ ἐναργῶς ἡ τε ἐκ Θεοῦ καὶ Πατρὸς γεννήσις τοῦ μονογενοῦς, καὶ διὰ τῆς ἁγίας παρθένου σημαίνεται, καθὸ νοεῖται καὶ πέφηνεν ἄνθρωπος. Υἱὸς γὰρ ὑπάρχων φυσικῶς τε καὶ ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, δι' ἡμᾶς ἀνέτλη τὴν διὰ γυναικὸς τε καὶ μήτρας γέννησιν, καὶ μαστοὺς τεθήλακεν. Οὐ γέ τοι κατά τινας δοκήσει γέγονεν ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς τοῦτο κατὰ ἀλήθειαν πεφηνὼς ὅπερ ἐσμὲν αὐτοὶ τοῖς τῆς φύσεως ἑπόμενοι νόμοις, καὶ τροφῆς ἠνέσχησεν, καὶ τοι ζωὴν αὐτὸς τῷ κόσμῳ διδούς. " Clare atque ma-
" nifeste ea pariter quæ est ex Deo et Patre generatio Uni- 104
" geniti, ac quæ per sanctam Virginem facta est, indicatur,
" juxta quam creditur et visus est homo. Filius enim Dei
" et Patris naturaliter atque vere existens, propter nos
" sustinuit eam quæ fuit per Virginem atque uterum gene-
" rationem, et ubera suxit. Neque enim, ut quibusdam
" videtur, putative fuit homo, sed idem vere apparuit quod
" nos sumus, qui naturæ leges sequimur, et nutrimento
" usus est, quamvis ipse mundo vitam daret." Denique ex Hippolyti Commentario in benedictiones Balaami hæc citavit Leontius lib. I. contra Nestorium et Eutychen, quæ nunc Latine solum do, Græcum textum e MS. cod. bibl.

[1] [Hoc fragmentum a Fabricio omittitur.]

Bodl. in Spicilegio Patrum Seculi III. Deo volente addi turus[i]; ita vero sonant; "Ut demonstretur utramque qui "dem in se habere substantiam, scilicet Dei et hominum "sicut apostolus ait, *Mediator quidem Dei et hominum* "*homo Christus Jesus; Mediator autem unius* homini "*non est*, sed hominum. Oportebat ergo, ut Christus fac "tus Mediator Dei et hominum ab utrisque arrabonem "quandam acciperet, ut appareat Mediator duarum natu "rarum."

3. Cæterum mirabitur fortasse lector in S. Patrum mo numentis versatus, quare non ex Hippolyti scriptis de An tichristo testimonia pro Deitate Christi adduxerim. Nam in tractatu *de Consummatione Mundi et de Antichristo atque de secundo Adventu Domini nostri Jesu Christi*[k] mox ab initio, p. 3. edit. Græcæ Paris. 1556. legimus τὴ τοῦ Θεοῦ διὰ σαρκὸς ἐπιδημίαν, "Dei per carnem adventum." Et pag. 14. Ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τῆς πίστεως, ὃν ἐμακάρισε Χρι στὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν κ. λ. "Petrus, petra fidei, quem beatum "prædicavit Christus Deus noster." Porro p. 30. loquitur de ἰδίᾳ δυνάμει τῆς αὐτοῦ θεότητος, "propria virtute Deitatis "ejus." Et mox, Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν σαρκικῶς ἡμῖν ἐπεδήμησε "Etenim Deus noster in carne versatus est nobiscum." Denique pag. 40. mentionem facit ethnicorum Christianos hortantium, Ἄρνησαι τὸν Θεόν σου τὸν ἐσταυρωμένον, "Ne "gato Deum tuum crucifixum." Similiter in *Demonstratione de Christo et Antichristo*, quam post Gudium edidit Combefisius in auctario novissimo bibliothecæ M. Patrum,

[i] ["Spicilegium Patrum sæculi III. quod Grabius parabat, fatis "doctissimi viri interceptum lucem haud vidit." Ita Fabricius, qui in editione sua (vol. II. p. 45.) Græca exhibet: Ἵνα δὲ δειχθῇ τὸ συναμφότερον ἔχων ἐν ἑαυτῷ τήν τε τοῦ Θεοῦ οὐσίαν καὶ τὴν ἐξ ἀνθρώπων, ὡς καὶ ὁ ἀπόστολος λέγει, μεσίτην Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς Ἰησοῦς. Ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς ἀνθρώπου οὐ γίνεται, ἀλλὰ δύο. Ἔδει οὖν τὸν Χριστὸν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων μεσίτην γενόμενον παρ' ἀμφοτέρων ἀμβαβῶνά τινα εἰληφέναι, ἵνα φανῇ δύο προσώπων μεσίτης.]

[k] [Hunc tractatum jam viri docti Hippolyto plane abjudicant. Vid. vol. I. Append. p. 3.]

sectio 6. ita incipit[1]; Τοῦ μὲν οὖν Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ διὰ τὸ βασιλικὸν καὶ ἔνδοξον ὡς λέοντος προκεκηρυγμένου κ. λ. "Cum igitur Dominus Jesus Christus Deus ob regiam "majestatem ac gloriam ut Leo prænunciatus sit, &c." ibidem sect. 44. prædicat τὸν ἐν κοιλίᾳ τῆς παρθένου συνειλημμένον Θεὸν λόγον, "conceptum in utero Virginis Deum Ver-"bum." Et sect. 61. Χριστὸν παῖδα Θεοῦ, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, "Christum Filium Dei, Deum et hominem." Ast non consultum duco, certam veritatem incertis atque dubiis probatum ire testimoniis, qualia ea, quæ modo producta sunt, saltem maximam partem, esse ingenue confiteor. Quippe quod priorem attinet tractatum, in ejus codice MS. Barocciano plura inde citata, nempe ex pag. 3. et 30. aut plane omissa aut aliter exarata sunt, ut ex variis ejus lectionibus[m], in Spicilegio Patrum III. seculi, Deo juvante, erudito orbi communicandis patebit. Similiter verba ex sect. 6. Demonstrationis de Antichristo adducta, in loco parallelo alterius tractatûs (quippe verbotenus hinc inde sibi invicem consonant) ita expressa sunt pag. 25. dictæ editionis; Τοῦ μὲν κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ διὰ τὸ βασιλικὸν, &c. Reliqua certiora quidem sunt, attamen non omni prorsus dubio carent; quod utrumque Hippolyti scriptum, maxime prius, interpolatum esse videatur, ut in dicto Spicilegio pluribus demonstrabo. Neque enim nunc ad ista digredi placet.

[1] [Vol. I. p. 7.]

[m] ["Varias illas lectiones ex eodem cod. Barocciano editioni "novæ hujus libelli adspersas habes in Appendice ad tom. I." FABRICIUS.

105 CAP. IX.

Origenis doctrinam de Filii Dei vera divinitate omnino catholicam, et Nicænæ fidei plane consonam fuisse, præcipue ex indubitato ejus, et maxime incorrupto, atque ab ipso jam sene accuratiori diligentia elucubrato opere contra Celsum, fuse et luculenter ostenditur.

1. HIPPOLYTO succedat ejus æmulus, et qui in illa æmulatione longe superior evasit, Origenes[n]. Dictu mirum est, quam super hujus viri πολυθρυλλήτου doctrina in partes iverint, atque acerrime inter se digladiati fuerint theologi qua veteres qua recentiores. Ut de veteribus solum, memor instituti mei, agam, ex iis alii Origenem ad cœlum usque laudibus extollunt, alii ipsum ut pessimum hæresiarcham, adeoque omnium pene hæresium, præsertim quæ ecclesiæ fidem de SS. Trinitate spectant, fontem et scaturiginem diris devovent. Sed catholicos quod attinet doctores, qui Origenis ætati viciniores fuere, major et longe potior fuit numerus eorum, qui ipsi adstipulati sunt. Alexander Hierosolymitanus, Theoctistus Cæsariensis, Dionysius Alexandrinus, Firmilianus Cæsariensis, Gregorius Thaumaturgus, et Athenodorus, Origenis coætanei, ipsum in maximo pretio semper habuerunt; et tota Palæstina, Arabia, Phœnicia et Achaia causam Origenis adversus Demetrium Alexandrinum propugnarunt. Eandem deinde tutati sunt Pamphilus Martyr et Eusebius Cæsariensis per Apologiam sex libros complexam, quorum unicus superest. Alios quoque magni nominis viros complures Eusebii temporibus Apologias pro Origene scripsisse, tradit Photius cod. 118. Origenem porro tanquam catholicæ fidei ad-

[n] Natus an. 186. *Cave.* BOWYER.

versus hæresim, quæ postea Ariana dicta fuit, strenuum propugnatorem laudavit magnus Athanasius in libro de decretis Nicænæ synodi. His accensendus Didymus Alexandrinus, (vir celebris, quo magistro se usum sæpius Hieronymus gloriatur,) qui pro Origene Apologeticum edidit, et Titus Bostrorum episcopus, et Gregoriorum nobile par, Nazianzenus et Nyssenus, et Joannes Hierosolymitanus, assiduis eam ob rem Epiphanii et Hieronymi probris lacessitus. Methodius quoque, qui diu ante exortam controversiam Arianam scripsit, cum prius fuerit Origenis adversarius infensissimus, suum aliquando odium deposuit, ac tandem inter ejus admiratores nomen suum profiteri non erubuit. Denique Ruffinus (a Cassiano lib. VII. de Incarnatione dictus, quicquid de ipso judicavit sequior ætas, "Christi-"anæ philosophiæ vir, haud contemnenda ecclesi-"asticorum doctorum portio," cujus sanctimoniam ipse etiam Hieronymus aliquando summis laudibus extulit, ut ex Epistola ejus quinta [o] ad Florentium constat) Origenis acerrimus hyperaspistes fuit; ut nihil dicam de innumeris per Ægyptum dispersis monachis, qui maxima Origenis de causa cum Theophilo Alexandrino certamina inierunt.

2. In hoc tanto tantorum virorum dissensu optandum erat, ut ex infinitis, quæ Chalcenterus ille elucubravit, scriptis plura ad nos devenissent integra et illibata; unde ipsi, neutri parti addicti, de ejus doctrina certius dijudicare potuissemus. Ast (proh dolor!) ex libris Origenis quosdam, dum is adhuc viveret, a maleferiatis hominibus corruptos atque interpolatos, et scripta nonnulla aliena prorsus ac spuria sub ejus nomine celebratissimo edita fuisse

[o] [Epist. IV. 2. Vol. I. p. 14.]

106 ipse conquestus est in Epistola ad quosdam in Alexandria scripta [o]. Ut facile conjicias, quanto majori post ejus obitum confidentia isti tenebriones id genus facinora perpetraverint. Certe Origenianorum operum pars longe maxima jam penitus interciderunt; quæque hodie supersunt, ea, demptis contra Celsum libris, et excerptis quibusdam, quæ Philocalia vocantur, Latine tantum extiterunt, idque, ut ex certis indiciis constat, multum ab interpretibus interpolata atque immutata; donec nuper clarissimus Daniel Huetius ἐξηγητικὰ Origenis non pauca ex MSS. Græce edidit. Quin eo nomine de φιλαρχαίοις omnibus præclare meritus sit vir doctissimus, nemo nisi invidus diffitebitur. Idem tamen Huetius profitetur [p], sibi esse verisimile, "quotquot libros Origenis ad nos "fortuna transmisit, violatos esse, at eos potissi- "mum, qui præter notariorum σφάλματα et hæreti- "corum adulterationes interpretum etiam hallucinationes et perfidiam senserunt." Excipere, ni fallor, debuerat libros contra Celsum; quippe quos præter librariorum σφάλματα, a quibus nulli veterum libri prorsus immunes sunt, aliam violationem notabilem subiisse, nemo, quod sciam, hactenus suspicatus fuerit.

3. Cæterum si omnia Origenis scripta, eaque pura et incorrupta, hodie extarent, haud omnia tamen veræ ac genuinæ ejus sententiæ declarandæ pariter inservirent; scilicet variorum auctoris πολυγράφου operum diversa foret ratio. Nam alia ad amicos secreto scripsit [q], quæ lucem nunquam visura spera-

[o] Apud Rufin. de Adulter. libb. Origen.

[p] Origenian. p. 233.

[q] De his Hieronymus in Epistola LXV. ad Pamm. et Ocean. [Ep. LXXXIV. 10. vol. I. p. 527.] testatur, Origenem in Epi-

vit; in quibus libere ac pene sceptice disseruit, ac plerumque non tam suam certam ac definitam sententiam, quam vel aliorum ratiocinationes, vel suos quosdam scrupulos ac dubitatiunculas, ad clariorem veritatis elucidationem, proposuit. Alia ipse in publicum emisit, sive contra infideles, sive adversus hæreticos, seu denique ad instruendum plebem Christianam; in quibus, via trita ac tuta incedens, receptam in ecclesia catholica doctrinam studiosius tradidit. Deinde alia properanter dictitavit, alia diligentiori cura elucubravit. Denique alia (ut Huetii verbis utar) senex Adamantius, ingenio per ætatem magis subacto, elimavit; alia efferente sese in juventutis æstu fœcunditate profudit. De quibus præclare dixit Hieronymus in Prologo ad Commentarios in Lucam[r], Origenem in quibusdam tractatibus "quasi puerum talis ludere; alia esse virilia ejus, et "alia senectutis seria." Negari autem non potest, quin Origenis suffragium de catholica doctrina peti debeat ex iis præcipue scriptis, quæ publicis usibus ipse destinavit, quæ cogitate et attente exaravit, quæ denique jam senex, et longo rerum usu et experientia edoctus, composuit. Hujusmodi sunt, omnium consensu, libri octo contra Celsum Epicureum. Quippe in his communem Christianorum doctrinam adversus instructissimum religionis nostræ hostem propugnat; hi summo auctoris studio, maxima eruditione, idque ab ipso jam sexagenario majori (ut diserte testatur Eusebius H. E. VI. 36.) elucubrati fuere. Itaque ex his præcipue libris testimonia mea

stola, quam scripsit ad Fabianum, pœnitentiam egisse, cur talia scripserit; et causam temeritatis in Ambrosium retulisse, quod secreto edita in publicum protulerit.

[r] [Vol. VII. p. 247.]

proferam, quibus catholicum fuisse in hoc articulo Origenem ostendam; subjectis tantum locis quibusdam, quæ ex aliis ipsius scriptis catholici doctores, qui Origenis temporibus proximiores fuere, quique adeo genuina ejus scripta a spuriis optime norunt discernere, mihi suppeditarunt. Ex quibus omnibus spero fore, ut lector cordatus clare tandem perspiciat, quam impotenter in Origenem debacchatus sit Petavius[r], dum ita de Patre (vel inimicis judicibus) sanctissimo atque eruditissimo scribere non est veritus; " De Origene," inquit, " constat, eum de Filio " ac Spiritu Sancto impie absurdeque sensisse;" et paulo post[s], " Origenes ut ætate Arium antecessit, " sic impietate par, imo impii dogmatis auctor illi " fuit." Et passim alibi ejusmodi convitia in Origenem jacit. Fortasse existimavit Jesuita, se religione sua ad id obstrictum fuisse, ut ita venerando Patri malediceret; quod scil. Origenes et Origenistæ cum dogmatis suis damnati et anathematismis confossi fuerint in quinta synodo[t]. Verum non defuere viri illustres e Romana ecclesia, (Joannem Picum Mirandulanum dico, Jacobum Merlinum Victurniensem, Desiderium Erasmum Roterodamum, Sixtum Senensem, Claudium Espencæum, Gilbertum
107 Genebrardum, et Petrum Halloixium,) qui nihil sibi metuentes a quinti concilii anathematismis Origenem non modo sine probro nominare, sed et palam aperteque defendere ausi sunt. Nimirum recte judicarunt isti, ab illa synodo non tam ipsum Origenem, aut genuina Origenis placita, quam pernicio-

[r] De Trin. I. 12. 9. [s] Ibid. §. 10.

[t] Seu potius in alia synodo Constantinopoli habita, quinta illa anteriori. Vide Valesium Not. ad Evagrium, p. 111. [IV. 38. not. 6.]

sissima illa dogmata, de Trinitate ἑτερουσίῳ, de phantastica corporis resurrectione, quæ in adulteratis Origenis scriptis continerentur, quæve nonnulli Origenistæ, qui vocarentur, magni illius nominis patrocinio defenderent, anathemate condemnata fuisse. Damnavit quidem synodus una cum istis et paradoxa illa de præexistentia animarum, de astris et elementis animatis, &c. quæ vere Origenis fuere; sed ista damnavit tantum ut falsa et perabsurda, non tanquam hæretica, nisi accesserit præfracta animi obstinatio, et catholicæ sententiæ contemptus; qui, ut ab ipso Origene procul abfuit, ita in Origenistis plerisque nimium se prodidit. Sed tandem ad rem ipsam accedamus.

4. In libris contra Celsum [u] toties Origenes vere divinam, hoc est, increatam, infinitam, incomprehensibilem, immutabilem Verbi et Filii Dei naturam declarat, ut, si omnia huc spectantia vellem adducere, ejus syntagmatis pars magna mihi transcribenda foret. Itaque ex eo opere loca tantum selectiora quædam proferemus. In libro I. de Magis ex oriente in Judæam venientibus ad visendum Regem, quem stella insolita indicavit, agens, sic loquitur [x]: *Φέροντες μὲν δῶρά, ἃ (ἵν' οὕτως ὀνομάσω) συνθέτῳ τινὶ ἐκ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπου θνητοῦ προσήνεγκαν σύμβολα μὲν, ὡς βασιλεῖ τὸν χρυσὸν, ὡς δὲ τεθνηξομένῳ τὴν σμύρναν, ὡς δὲ Θεῷ τὸν λιβανωτόν.* i. e. "Ferentes dona ei qui componebatur (ut sic "loquar) ex Deo et homine mortali, symbola obtule-"runt; aurum tanquam Regi, ut morituro myrrham, "ut Deo thus." Ubi in Christi persona agnoscit et hominem mortalem, et Deum immortalem, cui honos divinus, thuris oblatione olim exhiberi solitus, de-

[u] Scriptis circa an. 247. *Cave.* BOWYER.

[x] Pag. 46. ed. Cantab. 1658. [60. vol. I. p. 375.]

beatur. Cui geminus est locus, qui in eodem lib pauculis interjectis paginis [y], occurrit; ubi Ce ludente in sanguinem Jesu profusum in cruce, dicente, " Non fuisse illum cruorem, qualis Di " solet esse beatis," ita respondet Origenes: Ἡμεῖ αὐτῷ πιστεύοντες Ἰησοῦ, περὶ μὲν τῆς ἐν αὐτῷ θειότητος γοντι, Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωὴ, καὶ εἰ τούτοις παραπλήσιον· περὶ δὲ τοῦ, ὅτι ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι ταῦτα φάσκοντι, Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι ἄνθρωπον, ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα· σύνθετόν τι χρῆμά φαμεν τὸν γεγονέναι. i. e. " Nos vero ipsi Jesu credentes, " divinitate quidem, quæ in eo erat, dicenti, *E* " *sum via, veritas et vita*, et si quid est his simi " de corpore vero, in quo erat, humano sic loquen " *Nunc me quæritis interficere hominem, qui veri* " *tem vobis locutus sum;* aimus eum fuisse quidd " compositum." Mox [z] dicit Christum habuisse θ τερόν τι ἐν τῷ βλεπομένῳ ἀνθρώπῳ, ὅπερ ἦν ὁ κυρίως υἱὸς Θ Θεὸς λόγος, Θεοῦ δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία. i. e. " Quidd " divinius sub humana specie, quod erat PROPR " Dei Filius, Deus Verbum, Virtus Sapientiaque De Et post aliquammulta [a] Christum appellat Θεὸν ἀνθρωπίνῳ φανέντα σώματι ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ γένους ἡμ " Deum apparentem in humano corpore, ut in n " trum genus exerceret beneficentiam."

5. In libro secundo citans Gen. i. 26. *Faciam hominem ad imaginem et similitudinem nostra* et locum Davidis Psal. cxlviii. 5. *Ipse dixit, et fac sunt; ipse mandavit, et creata sunt;* Dei fuisse I lium ac Sermonem, cui ita locutus est ac præcep Deus Pater, hac ratione colligit [b]: Εἰ γὰρ ἐνετείλα ὁ Θεὸς, καὶ ἐκτίσθη τὰ δημιουργήματα, τίς ἂν, κατὰ τὸ ἀ

[y] [66. p. 380-81.] [z] Pag. 52.
[a] [68. p. 383.] [b] Pag. 63. [9. p. 393.]

σκον τῷ προφητικῷ πνεύματι, εἴη ὁ τὴν τηλικαύτην τοῦ πατρὸς ἐντολὴν ἐκπληρῶσαι δυνηθείς, ἢ ὁ (ἵν' οὕτως ὀνομάσω) ἔμψυχος λόγος καὶ ἀλήθεια τυγχάνων; i. e. "Si enim mandavit "Deus, et conditæ sunt creaturæ, quis juxta sen- "tentiam prophetici Spiritus posset esse tanti pa- "terni mandati executor, quam ille, ut sic loquar, "animatus ejus Sermo et Veritas?" quibus in verbis Filium Dei a rebus creatis omnibus apertissime distinguit; quin et clare docet, opus creationis, illi Dei Filio a Patre suo demandatum, tantum fuisse, utpote divinæ omnipotentiæ proprium, ut perfici neutiquam potuerit nisi ab eo, qui sit ipse Dei Patris Sermo ac Veritas. Quæ ratiocinatio quam procul distet a mente Ariomanitarum, dictis Scripturæ locis abutentium, quamque sententiæ catholicorum, ex opere creationis divinitatem Filii asserentium, ad amussim conveniat, oculati omnes vident. Ibidem docet Origenes, Dei Verbi divinitatem per incarnationem neutiquam fuisse ita circumscriptam, ut nusquam illa esset extra Jesu corpus et animam; sed esse fuisseque semper φθάνοντα πανταχοῦ, *ubique præsentem.* Id vero nequis in Cerinthianæ hæresis patrocinium traheret, mox subjungit[c], Ταῦτα δέ φαμεν οὐ χωρίζοντες τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ· ἓν γὰρ μάλιστα μετὰ τὴν οἰκονομίαν γεγένηται πρὸς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα Ἰησοῦ. i. e. "Hæc autem non eo a nobis dicta sunt, "quod separemus a Jesu Filium Dei; summe enim "unita fuere post dispensationem anima Jesu cor- "pusque cum Verbo Dei." Ecquis vero utramque 108
Christi naturam, et utriusque naturæ unionem hypostaticam magis catholice explicare potuit, quam ab Origene hisce in locis factum est? Mox[d] ibidem corpus Christi dicit τὸν ἀληθῶς ναὸν Θεοῦ τοῦ λόγου καὶ

[c] Pag. 64. [p. 394.] [d] [10. p. 394.]

τῆς σοφίας καὶ τῆς ἀληθείας. i. e. "Verum templum Dei "Verbi, Veritatis et Sapientiæ:" quod Judæi, lapideum Dei templum plus satis venerantes, contempserunt.

6. In libro tertio[e] objicienti Christianis Celso, "Quod Jesum mortali corpore constantem credant "esse Deum, idque pie sibi videantur facere," ita respondet Origenes: Ἴστωσαν οἱ ἐγκαλοῦντες, ὅτι ὃν μὲν νομίζομεν καὶ πεπείσμεθα ἀρχῆθεν εἶναι Θεὸν καὶ υἱὸν Θεοῦ οὗτος ὁ αὐτολόγος ἐστὶ, καὶ ἡ αὐτοσοφία, καὶ ἡ αὐτοαλήθεια· τὸ δὲ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἐν αὐτῷ ψυχὴν, τῇ πρὸς ἐκεῖνον οὐ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει καὶ ἀνακράσει, τὰ μέγιστά φαμεν προσειληφέναι, καὶ τῆς ἐκείνου θειότητος κεκοινωνηκότα εἰς Θεὸν μεταβεβηκέναι. i. e. "Sciant "isti criminatores, hunc Jesum, quem ab initio Deum "Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum "ipsam Veritatem, ipsam Sapientiam; cæterum mor "tale ejus corpus et humanam in eo animam illius "Verbi non solum communicatione cum illo, sed "etiam unione et permixtione, maxima quæque di "cimus accepisse, et divinitatem ipsius participan "tia in Deum evasisse." Cujus responsionis (siquic video) hic sensus manifestus est; An illud vos con turbat, O philosophi, quod nos Christiani Christum Servatorem nostrum, mortali corpore constantem Deum dicimus? imo, ringamini licet, illum Deum esse affirmamus ipsissimum; nempe ipsam Rationem ipsam Veritatem, ipsam Sapientiam, quin et in tantum Deum, ut non vereamur dicere, ejus etiam humanam naturam, per unionem cum divina, quodam modo deificatam esse. Notanda hic est locutio omnino Platonica, αὐτολόγος, αὐτοαλήθεια. Nam Plato

[e] Pag. 135, 136. [41. p. 473–74.]

αὐτοαγαθὸν dixit, quod est vere ac per se bonum; illud epitheton attribuens soli vero ac summo Deo, a quo ille τὸν λόγον longius separabat. Atqui Origenes, tanquam ex Christiana Platonicam philosophiam corrigens, etiam τὸν λόγον sive Filium Dei αὐτοσοφίαν, αὐτοαλήθειαν, ac proinde αὐτοαγαθὸν, jure merito dici posse pronuntiat. Cæterum non est, quod fratres nostri Lutherani, qui nescio quam humanæ in Christo naturæ ubiquitatem defendunt, ex his Origenis verbis quicquam causæ suæ accedere arbitrentur. Nam in loco, quem ex libro secundo modo adduximus, aperte docet Origenes, τὸν λόγον ita cum humana Christi natura conjunctum esse, ut etiam extra Jesu animam corpusque existat; ac τὸ *ubique esse* in solam divinitatem competere. Quin et in hoc ipso loco mox post verba allata, quod de permixtione humanæ in Christo naturæ cum divina dixerat, ita ipse Origenes diserte explicat, ut nihil aliud se voluisse profiteatur, quam carnem Jesu glorificatam, mutatis qualitatibus, talem esse redditam, qualem decebat habitare in summo æthere, nihil retinentem carnalis infirmitatis congenitæ. Lege, si vacat, quæ apud Origenem sequuntur; ego e diverticulo in viam redeo.

7. In libro quarto [f] inducitur Celsus Epicureus, adversus Christianorum de Dei Filii in terras descensu et ἐνσαρκώσει doctrinam hunc in modum disputans: "Deus est bonus, pulcher, felix, et pulcherrima "optimaque specie; is, si descenderet ad homines, "ut mutetur opus est; mutabitur autem e bono in "malum, e pulchro in turpem, e felice in infelicem, "ex optimo in nequissimum. Quis sic se mutatum

[f] Pag. 169, 170. [14. p. 510.]

" cuperet? Certe mutatio hæc et transformatio cadit " in hominem mortalem; immortali vero semper eo- " dem modo se habere convenit. Ergo nunquam " Deus talem mutationem reciperet." Jam si Origenes idem de Filio Dei sensisset, quod postea Arius, quam facile potuisset hujus argumenti ipsum fundamentum subvertere? uno scilicet verbo dicendo, Neque se, neque catholicos Christianos sui temporis credidisse Filium Dei esse revera Deum immutabilem; sed plane statuisse creaturam illum esse, a Deo alienæ ac prorsus mutabilis naturæ. Sed longe aliter, et salva omnino catholicorum hypothesi de Filii Dei natura vere divina et incommutabili, respondet Origenes his verbis: Δοκεῖ δή μοι πρὸς ταῦτα λέγεσθαι τὰ δέοντα, διηγησαμένῳ τὴν ἐν ταῖς γραφαῖς λεγομένην κατάβασιν Θεοῦ πρὸς τὰ ἀνθρώπινα· εἰς ἣν οὐ μεταβολῆς αὐτῷ δεῖ, ὡς Κέλσος ἡμᾶς οἴεται λέγειν, οὔτε τροπῆς τῆς ἐξ ἀγαθοῦ εἰς κακὸν, ἢ ἐκ καλοῦ εἰς αἰσχρὸν, ἢ ἐξ εὐδαιμονίας εἰς κακοδαιμονίαν, ἢ ἐκ τοῦ ἀρίστου εἰς τὸ πονηρότατον. μένων γὰρ τῇ οὐσίᾳ ἄτρεπτος, συγκαταβαίνει τῇ προνοίᾳ καὶ τῇ οἰκονομίᾳ τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασιν. ἡμεῖς μὲν οὖν καὶ τὰ θεῖα γράμματα παρίσταμεν, ἄτρεπτον λέγοντα τὸν Θεὸν, ἔντε τῷ, Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ· καὶ ἐν τῷ, Οὐκ ἠλλοίωμαι· οἱ δὲ τοῦ Ἐπικούρου θεοὶ, σύνθετοι ἐξ ἀτόμων τυγχάνοντες, καὶ τὸ ὅσον ἐπὶ τῇ συστάσει ἀνάλυτοι, πραγματεύονται τὰς φθοροποιοὺς ἀτόμους ἀποσείεσθαι· ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν Στωϊκῶν Θεὸς, ἅτε σῶμα τυγχάνων, ὁτὲ μὲν ἡγεμονικὸν ἔχει τὴν ὅλην οὐσίαν, ὅταν ἡ ἐκπύρωσις ᾖ· οτὲ δὲ ἐπὶ μέρους γίνεται αὐτῆς, ὅταν ᾖ διακόσμησις. οὐδὲ γὰρ δεδύνηνται οὗτοι τρανῶσαι τὴν φυσικὴν τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν, ὡς πάντῃ ἀφθάρτου, καὶ ἁπλοῦ, καὶ ἀσυνθέτου, καὶ ἀδιαιρέτου.
109 τὸ δὲ καταβεβηκὸς εἰς ἀνθρώπους ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπῆρχε, καὶ διὰ φιλανθρωπίαν ἑαυτὸν ἐκένωσεν, ἵνα χωρηθῆναι ὑπ' ἀνθρώπων δυνηθῇ. οὐ δήπου δ' ἐξ ἀγαθῶν [g] εἰς κακὸν γέγονεν αὐτῷ μετα-

[g] Forte ἀγαθοῦ, ut paulo ante. GRABE. [Ita ed. Bened.]

βολὴ κ. λ. i. e. "Ad hæc satis responsum erit, ut "mihi videtur, si dixero, quomodo in S. Scripturis "accipiatur descensus Dei ad homines; ad quem "nulla mutatione opus est, ut Celsus putat nos opi- "nari, nec versione in malum e bono, aut e pulchro "in turpem, aut e felice in infelicem, aut ex optimo "in nequissimum. Immutabilis enim in sua essentia "manens, condescendit rebus humanis providentia "et dispensatione. Nos certe e sacris literis Deum "immutabilem esse discimus, ubi legitur, *Tu autem* "*ipse es*; et, *Non immutor*. Epicuri vero dii ex "atomis compositi, et proinde constitutione sua dis- "solubiles, habent quod agant, dum illas atomos, "quæ corporibus corruptionem efficiunt, excutiant. "Nec secus Stoicorum Deus, utpote corpus, inter- "dum mens est quæ totam possidet substantiam, "cum sit conflagratio; interdum vero ex parte ip- "sius substantiæ generatur, cum sit mundi ordi- "natio. Isti enim non potuerunt quidem clare Dei "naturam intelligere, quod sit omnino incorruptibi- "lis, simplex, nec compositus, nec divisibilis. Id "autem quod ad homines descendit, in forma Dei "substitit, et propter amorem humani generis seip- "sum exinanivit, ut posset concipi ab hominibus; "absque ulla tamen mutatione ex bono in malum, "&c." Post aliqua subdit Adamantius: Εἰ δὲ καὶ σῶμα θνητὸν καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην ἀναλαβὼν ὁ ἀθάνατος Θεὸς λόγος δοκεῖ τῷ Κέλσῳ ἀλλάττεσθαι καὶ μεταπλάττεσθαι, μανθανέτω ὅτι ὁ λόγος τῇ οὐσίᾳ μένων λόγος οὐδὲν μὲν πάσχει ὧν πάσχει τὸ σῶμα ἢ ἡ ψυχή. συγκαταβαίνων δ' ἐσθ' ὅτε τῷ μὴ δυναμένῳ αὐτοῦ τὰς μαρμαρυγὰς καὶ τὴν λαμπρότητα τῆς θειότητος βλέπειν, οἱονεὶ σὰρξ γίνεται, σωματικῶς λαλούμενος. i. e. "Quod si Verbum Deus immortalis, quia corpus "mortale animamque humanam assumpserit, Celso

" idcirco immutari videatur, discat Verbum manere " Verbum sua substantia, nec pati eorum quicquam, " quæ corpus aut anima patitur; condescendere ta- " men interdum non valentibus ejus claritatem ac " splendorem divinitatis obtueri, ac veluti carnem " factum loqui corporaliter." Dicant cordati omnes, an hæc sint verba scriptoris, qui "Arium impietate " superavit, adeoque impii dogmatis auctor illi fuit." Scilicet clare hic docet Origenes, τὸν λόγον sive Filium Dei esse Deum immortalem, substantia sua immutabilem, et quatenus in forma Dei subsistit, juxta cum Patre naturæ omnino incorruptibilis, simplicis, nec compositæ, nec divisibilis. Aliquanto post ad aliam Celsi objectionem, priori affinem, responsurus, sic orditur [h]: Πρὸς τοῦτο λέγοιτ' ἂν πῇ μὲν περὶ τῆς τοῦ θείου λόγου φύσεως, ὄντος Θεοῦ· πῇ δὲ περὶ τῆς Ἰησοῦ ψυχῆς. i. e. " Ad hoc responderi potest, distinguendo " divini Verbi naturam, quæ Deus est, et Jesu ani- " mam." Vides hic ipsam Verbi naturam Deum, sive Verbum natura Deum diserte dici. Cui similis Origenis locus citatur in Catena Baltasaris Corderii in Joan. ad cap. i. ver. 1. ubi Filius Dei ab Origene dicitur ὁ δημιουργὸς τοῦ παντὸς, τυγχάνων Θεὸς λόγος κατ' οὐσίαν, " ille rerum omnium Conditor, qui " est secundum essentiam Deus Verbum." Quis vero ex Arianis dixerit, Filium esse ipsa sua essentia ac substantia Deum? scilicet hoc illud ipsum est, quod adversus Arium statuerunt Patres Nicæni, nempe Filium Dei esse Deo ὁμοούσιον.

8. In libro quinto rationem reddens, cur Christiani Filium Dei, non solem, lunam, stellasve adoratione prosequantur, ita disserit [i]: Οὐ τοίνυν ἦν εὔλογον

[h] Pag. 171. [18. p. 512.] [i] Pag. 237. [10. p. 584.]

τοὺς διδαχθέντας μεγαλοφυῶς ὑπεραναβαίνειν πάντα τὰ δημιουργήματα —— ἀσκοῦντας ἔχειν τὴν λαμπρὰν καὶ ἀμάραντον σοφίαν, ἢ καὶ ἀνειληφότας αὐτὴν οὖσαν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, καταπλαγῆναι τὸ αἰσθητὸν ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ ἄστρων φῶς ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε διὰ τὸ αἰσθητὸν φῶς ἐκείνων νομίσαι ἑαυτοὺς κάτω που εἶναι, ἔχοντας τηλικοῦτον νοητὸν γνώσεως φῶς, καὶ φῶς ἀληθινὸν, καὶ φῶς τοῦ κόσμου, καὶ φῶς τῶν ἀνθρώπων, κἀκείνοις προσκυνῆσαι. i. e. "Itaque non "decebat eos, qui didicerant generose omnem crea- "turam transcendere,—— contendebantque studiis "ferventibus ad immarcessibilem illam sapientiam, "aut jam perceperant eam, eam, inquam, quæ æter- "næ lucis splendor est, obstupescere ad solis, lunæ, "stellarumque lumen sensibile, in tantum, ut prop- "terea se inferiores existimarent, cum ipsi habeant "tantam lucem intelligibilem, lucem veram, lucem "mundi, lucem hominum, eaque adorarent." Hic aperte dicit Origenes, Sapientiam sive Filium Dei esse lucem illam veram, lucem mundi, æternæ lucis splendorem, quem Christiani, neglectis sole, luna, cæterisque cœli luminibus, ideo colant, quod edocti sint in cultu suo omnem creaturam generose transcendere. Unde manifestissimum est, neutiquam cum Ario somniasse Origenem, Filium Dei inter τὰ δημιουργήματα, sive res creatas, censendum esse. Rem hanc adhuc luculentius explicat paulo post[k] his verbis: Καὶ ὥσπερ οἱ διὰ τὸ φῶς αἰσθητὸν καὶ οὐράνιον εἶναι προσκυνοῦντες ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, οὐκ ἂν προσκυνήσαιεν σπινθῆρα πυρὸς, ἢ λύχνον ἐπὶ γῆς, ὁρῶντες τὴν ἀσύγκριτον ὑπεροχὴν τῶν νομιζομένων ἀξίων προσκυνεῖσθαι παρὰ τὸ τῶν σπινθήρων καὶ τῶν λύχνων φῶς· οὕτως οἱ νοήσαντες, πῶς ὁ Θεὸς φῶς ἐστι, καταλαβόντες δὲ, πῶς ὁ υἱὸς τοῦ

[k] [II. p. 585.]

110 Θεοῦ φῶς ἀληθινόν ἐστιν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, συνιέντες δὲ καὶ πῶς οὗτός φησι τὸ, Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· οὐκ ἂν εὐλόγως προσκυνήσαιεν τὸν οἱονεὶ βραχὺν σπινθῆρα, ὡς πρὸς φῶς τὸν Θεὸν, ἀληθινοῦ φωτὸς, ἐν ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ, καὶ ἄστροις. καὶ οὐκ ἀτιμάζοντές γε τὰ τηλικαῦτα τοῦ Θεοῦ δημιουργήματα, οὐδ' Ἀναξαγορίως μύδρον διάπυρον λέγοντες εἶναι τὸν ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας, τοιαῦτά φαμεν περὶ ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ ἀστέρων ἀλλ' αἰσθανόμενοί γε τῆς ἀφάτῳ ὑπεροχῇ ὑπερεχούσης θειότητος τοῦ Θεοῦ, ἔτι δὲ καὶ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ ὑπερέχοντος τὰ λοιπά. i. e. "Et quemadmodum isti adoratores solis, "lunæ, stellarumque, et admiratores eorum luminis, "nunquam adorarent scintillam ignis aut lucernam "in terra, videntes incomparabiliter præcellentiora, "quorum lumen adoratione dignum existimant; ita "qui intelligunt, quomodo Deus lumen sit, et quo- "modo Filius ejus lux vera sit, illustrans omnem "hominem in hunc mundum venientem, et intelli- "gunt etiam illud ejus dictum, *Ego sum lux mundi;* "immerito adorarent parvam velut scintillam veræ "lucis, si ad lumen illud quod Deus est conferatur, "quæ in sole, luna et astris existit. Non autem "quod contemnamus tam egregia Dei opera, aut, "sicut Anaxagoras, globum ignitum solem existi- "memus, ut et lunam et astra cætera, ideo hæc de "sole, luna et astris cæteris dicimus; sed quod ag- "noscamus Dei et Filii ejus unigeniti inenarrabili "præstantia præcellentem divinitatem, quæ cætera "omnia longe post se relinquit." Quid, quæso, ad declarandum veram Filii divinitatem, his disertius dici potuit? nam expresse hic tradit Origenes, Filium cum Patre esse verum illud lumen, quod Deus est, cui collata parvæ instar scintillæ est ipsa solis lux; qui et Filio perinde ac Patri expresse tribuit

inenarrabili præstantia præcellentem divinitatem, quæ creaturas omnes immensum superat. Demum hinc iterum concludit, Deum Patrem ejusque unigenitum Filium, spretis, quantum ad adorationem attinet, sole, luna, cæterisque cœli luminibus, solos (nempe in unitate Spiritus Sancti, quod ipse Origenes alibi agnoscit) divino cultu honorandos esse. Ibidem, paucis interjectis, ait[l], Deum Patrem non τοπικῶς *localiter*, utpote immensum, neque loco inclusum, sed προνοητικῶς, *per providentiam* condescendere hominibus pro sua bonitate; Filium vero Dei non solum tunc cum inter homines degeret, sed et semper suis adesse discipulis; et quanquam ex infinita erga humanum genus charitate dignatus est etiam τοπικῶς nobiscum in assumpta natura humana versari, tamen omnino πανταχοῦ, *ubique*, præsentem esse. Quibus positis, deinde pro cultu solius Dei Patris ejusque unigeniti Filii, contra adorationem luminum cœlestium, ita ratiocinatur: Ἄτοπον δ' ἐστὶ, τοῦ πληρώσαντος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ εἰπόντος, Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει Κύριος, ὄντος μεθ' ἡμῶν, καὶ πλησίον ἡμῖν τυγχάνοντος, (πιστεύω γὰρ αὐτῷ λέγοντι, Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, καὶ οὐ Θεὸς πόῤῥωθεν, λέγει Κύριος,) ζητεῖν εὔχεσθαι τῷ μὴ φθάνοντι ἐπὶ τὰ σύμπαντα ἡλίῳ, ἢ σελήνῃ, ἤ τινι τῶν ἀστέρων. i. e. "Absurdum autem esset, "cum is, qui cœlum et terram implet, dicens, *Nonne "cœlum et terram ego impleo? ait Dominus*, nobis "præsto sit et in proximo, (credimus enim dicenti, "*Deus appropinquans ego sum, non Deus longin-"quus, ait Dominus*,) quærere, cui vota facias, non "semper ubique præsentem solem, lunam, aut stel-"lam aliquam."

9. In libro sexto[m] divinam prorsus atque increa-

[l] Pag. 239. [12. p. 586.] [m] Pag. 287. [17. p. 643.]

tam Filii Dei naturam verbis hisce omni luce clarioribus confirmat: Οὔτε γὰρ τὸν ἀγένητον καὶ πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν εἰδέναι τις δύναται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν Πατὴρ, οὔτε τὸν πατέρα, ὡς ὁ ἔμψυχος λόγος, καὶ σοφία αὐτοῦ, καὶ ἀλήθεια. i. e. "Neque enim eum qui "factus non est, et naturæ omnis factæ est primo-"genitus, quisquam pro dignitate potest nosse, sicut "Pater ipse qui genuit; neque Patrem quisquam, "sicut animatum ejus Verbum, Veritas et Sapientia." Hisce, inquam, verbis Origenes, tanquam in consessu Patrum Nicænorum ipse jam sedisset, contra Arium diserte pronuntiat, Filium Dei οὐδὲ ποιητὸν, οὐδὲ κτιστὸν, *neque factum, neque creatum* esse; (nam utrumque complectitur suo ambitu vox ἀγένητος) quin et Patrem et Filium sibi invicem pariter comprehensibiles, creaturis vero omnibus prorsus incomprehensibiles esse, expresse docet. Hujus autem illustris loci ictum ut evadat Sandius, fingit textum Origenis interpolatum hic ac depravatum esse: "Pe-"tavius," inquit,[n] "probat lib. I. de Trinit. cap. 3. "n. 5. et 6." (seu potius cap. 4. n. 6. et 7.) "locum "Origenis, quando lib. VI. contra Celsum Filium "ἀγένητον vocet, esse interpolatum, eo quod Epipha-"nius Hær. Origenis reprehendat eum, quod in "Commentariis ad Psalmum Filium dixerit γενητὸν "Deum." Sed non ibi dicit, nedum probat Petavius, locum hunc Origenis interpolatum esse; neque si ita dixisset Jesuita, magni æstimanda esset ejus censura. Nam Græci codices MSS. omnes, quotquot uspiam reperti sunt[o], cum excusis exemplaribus hic consentiunt; et sententia hujus loci omnino

[n] Lib. de Scriptor. Eccles. p. 35.

[o] [In ed. Benedict. indicatur quod in unico codice Anglicano secundo legitur τὸν γενητόν.]

consentanea est constanti doctrinæ horum contra Celsum librorum, in quibus Origenes Filium Dei e censu τῶν δημιουργημάτων passim diserte eximit, ut ex testimoniis jam supra a nobis productis liquet. Ad 111
id vero quod ex Epiphanio objicit Petavius, nempe Origenem in Commentario ad Psalmum i. Filium Dei dixisse γενητὸν Θεὸν, nescire non poterat Sandius, luculentam responsionem reddidisse cl. Huetium Origenian. II. p. 43.[p] "Origenes," inquit, "cum "Filium appellat γενητὸν Θεὸν, sic accipe, *qui princi-* "*pium sui habet et existendi initium.* Filio quidem "commune est cum creatis rebus sui principium ac "originem habere; emanandi autem ex illo prin- "cipio ac prodeundi ratio plane diversa est; prodit "enim Filius per generationem æternam; prodeunt "creatæ res per temporariam creationem.——Atque "ita Filius dici potest ἀγένητος, qui ab alio non ha- "bet ut sit, nempe tanquam opus seu res facta, vel "tanquam res creata; et γενητὸς, qui ab alio habet "ut sit, nempe tanquam res genita et Filius. Sic "Origenes, qui γενητὸν Θεὸν appellasse Filium insi- "mulatur——Filium tamen ἀγένητον vocat lib. VI. "contra Cels." Paulo post hæc subjungit idem Huetius, "Cum Filium dixit (Origenes) γενητὸν, id sibi "voluit, *habere ipsum sui principium;* contra Hie- "ronymus exposuit, *esse factum.* Nempe sic verba "Origenis in pessimum sensum trahere amabat. Ita "Epiphanius vocis γενητὸς usum in aliis probaturum "se dicit, in Origene damnare." Plura hac de re apud Huetium ibidem legas. Ego ad libros Origenis contra Celsum redeo. In eodem libro sexto dicenti Celso, Deum neque ratione esse comprehensibilem,

[p] [Lib. II. Quæst. 2. §. 23.]

sic respondet Origenes [q]: Διαστέλλομαι τὸ σημαινόμενον, καί φημι, εἰ μὲν λόγῳ τῷ ἐν ἡμῖν, εἴτε ἐνδιαθέτῳ, εἴτε καὶ προφορικῷ, καὶ ἡμεῖς φήσομεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐφικτὸς τῷ λόγῳ ὁ Θεός· εἰ δὲ νοήσαντες τὸ, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ἀποφαινόμεθα, ὅτι τούτῳ τῷ λόγῳ ἐφικτός ἐστιν ὁ Θεός. i. e. "Distinguo signifi-
"catum, et dico, Si intelligatur de ratione, quæ vel
"inserta est nobis, vel e nobis se exerit, hac non
"esse Deum comprehensibilem; sin de illa, *quæ*
"*erat in principio, et erat apud Deum, et ipsa erat*
"*Deus*, aimus hac Deum esse comprehensibilem."
Scil. Deus nisi a Deo, quod infinitum est, nisi ab infinito comprehendi non potest: unde sequitur τὸν λόγον, qui Deum valeat comprehendere, ipsum esse Deum; quod et in terminis Origenes cum Joanne evangelista affirmat. Quam hoc Origenis pronuntiatum Arianæ blasphemiæ ex diametro repugnet, nemo est qui non videat. Dixit enim Arius in libro *Thalia* inscripto, (referente Athanasio in lib. de Synod. [r]) Ἀδύνατον υἱῷ τὸν Πατέρα ἐξιχνιάσαι, ὅς ἐστιν ἐφ' ἑαυτοῦ· αὐτὸς γὰρ ὁ υἱὸς τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν οὐκ οἶδεν. i. e. "Possibile enim non est Filio investigare Patrem,
"qualis in seipso est; Filius quippe suam ipse es-
"sentiam non novit." His gemina sunt, quæ post aliquammulta in eodem libro sequuntur [s]: Τίς δ' ἄλλος σῶσαι καὶ προσαγαγεῖν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ δύναται τὴν τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴν, ἢ ὁ Θεὸς λόγος; ὅστις ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν ὢν, διὰ τοὺς κολληθέντας τῇ σαρκὶ καὶ γενομένους ὅπερ σὰρξ, ἐγένετο σὰρξ, ἵνα χωρηθῇ ὑπὸ τῶν μὴ δυναμένων αὐτὸν βλέπειν καθὸ λόγος ἦν, καὶ πρὸς Θεὸν ἦν, καὶ Θεὸς ἦν. i. e. "Quis enim alius valeat servare, et ad Deum opt.
"max. humanam animam adducere, quam Deus

[q] Pag. 320. [65. p. 682.] [r] [15. vol. I. p. 729.] [s] [68. p. 684.]

" Verbum? qui cum in principio apud Deum esset, " propter carni cohærentes et carnales caro factus " est, ut caperetur ab iis, a quibus alioqui ne videri " quidem poterat, in quantum Verbum erat, et apud " Deum erat, et Deus erat." Denique Origenes mox ibidem Filium dicit, perinde ac Patrem, magnum atque incomprehensibilem; quin et Patrem cum unigenito Filio etiam magnitudinem suam communicasse affirmat. Verba infra commodiori loco integre recitabimus.

10. Vides, lector, ut Origenes in libris contra Celsum (qui ex omnibus ejus scriptis, omnium consensu, maxime genuini, puri et incorrupti sunt) veram Filii divinitatem sæpius atque apertissime confirmet. Quis jam suspicaretur, ex hisce ipsis libris ea colligi potuisse, quæ Arianæ blasphemiæ Origenem favisse ostenderent? Petavius[s] tamen id objicit Origeni tanquam Arianismum sapiens, quod in libro VI. contra Celsum[t] scripserit, *τὸν μὲν προσεχῶς δημιουργὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργὸν τοῦ κόσμου· τὸν δὲ Πατέρα τοῦ λόγου, τῷ προστεταχέναι τῷ ἰδίῳ ἑαυτοῦ λόγῳ ποιῆσαι τὸν κόσμον, εἶναι πρώτως δημιουργόν.* i. e. " Proximum mundi Opificem esse Filium Dei " Verbum, qui velut per se mundum ipse fabricarit; " Patrem vero Verbi, eo ipso quod Filio suo atque " Verbo jusserit mundum facere, esse primarium Opi- " ficem." Sed quomodo hæc intelligenda sint jam supra ostendi, de Irenæi doctrina agens, hujus sectionis cap. 5. §. 6. [p. 222.] quo lectorem remitto. Certe a Patre tanquam summo Opifice quasi imperante, per Filium, Patris jussionem ac voluntatem exequentem, creata fuisse omnia, adeo Arianum non est, ut etiam

[s] De Trinit. I. 4. 5. [t] Pag. 317. [60. p. 678.]

catholici doctores, qui post concilium Nicænum vixerunt, quique Arianæ hæresis acerrimi impugnatores fuere, passim illud in scriptis suis adfirmare non sint veriti, ut ibidem ex ipso Petavio ostendimus. Scriptoribus isthic adductis libet hic unum Hilarium adjungere, qui in libro IV. de Trinit.[u] agens de verbis illis Gen. i. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, &c. sic loquitur; "Per id quod "dictum est, *Faciamus hominem*, ex eo origo est,
112 "ex quo cœpit et Sermo; in eo vero quod Deus ad "imaginem Dei fecit, significatur etiam is, per quem "consummatur operatio." Et paulo post, "In eo "quod dicitur, *Faciamus*, et jussio exæquatur, et "factum." Et mox iterum de Sapientia sive Filio Dei, Patri suo aggaudente in creationis operibus, hæc habet: "Causam lætitiæ suæ Sapientia docuit; "lætatur ob lætitiam Patris, in perfectione mundi "et in filiis hominum lætantis. Scriptum est enim; "*Et vidit Deus quia bona sunt.* Placere Patri "opera sua gaudet, PER SE EX PRÆCEPTO EJUS "EFFECTA." Quæ postrema Hilarii verba loci Origeniani, quem carpit Petavius, sententiam plene exprimunt. Illud porro notandum est, Origenem dictum suum, ne cuiquam duriusculum videretur, expresse emolliisse adverbio ὡσπερεὶ, *velut*; "Filius," inquit, "est proximus mundi Opifex, qui *velut* per "se mundum ipse fabricarit:" qua cautione dubio procul occurrere voluit eorum errori, qui Patris et Filii in eodem creationis opere indivisam ἐνέργειαν non agnoverint. Sed quo tandem evadet hæc scholasticorum theologorum in censendis veterum dictis audacia ac temeritas? sane si is, qui dixerit Pa-

[u] Pag. 39, 40. [§. 20. p. 839.]

trem, qua Pater est, primarium esse mundi Opificem, qui hæc universa per Filium suum condiderit, pro Ariano habendus est, vix ab Arianismi labe purus erit ipse Paulus, in Epist. 1. ad Corinth. viii. 6. de partibus, ut ita loquar, Patris et Filii in rerum creatione et renovatione sic disserens: *Nobis unus est Deus Pater, a quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Nam illud ἐξ οὗ, *a quo*, causam primariam denotare, manifestum est. Unde et Theodorus Beza ad locum hæc annotat: "Quum Pater "a Filio distinguitur, illi principium tribuitur." Scilicet hæc omnia omnino referenda sunt ad illam Filii subordinationem qua Patri, ut auctori suo (hic iterum ipsis Hilarii verbis utor) subjectus est, de qua sectione quarta fusius agemus. Quid? quod in ipso symbolo Nicæno credere jubemur, primo, "in "unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visi- "bilium et invisibilium Creatorem:" deinde "in "unum Dominum Jesum Christum, &c. per quem "omnia facta sunt." Puto Nicænos Patres, nisi in œcumenico convenissent concilio, cui nefas sit contradicere, propter hæc dicta, acrem Petavii Jesuitæ censuram vix evasuros fuisse. Ut paucis rem totam complectar; Qui dixerit Deum Patrem, tanquam fontem Divinitatis adeoque omnium operationum divinarum originem, a seipso per Filium suum mundum condidisse, ac proinde rerum omnium primarium esse Opificem, næ is Arianæ hæresis neutiquam incusandus est; nisi vero antiquis ecclesiæ Patribus universis, adeoque ipsis scriptoribus θεοπνεύστοις Arianismi dicam impingere velimus. Sed illud demum Arianæ esset blasphemiæ, si quis doceret, Patrem hæc universa constituisse per Filium, tan-

quam per instrumentum sibi extraneum, aut tanquam per virtutem aliquam ante cætera omnia creatam, atque ab ipsius essentia alienam; quæ impietas mentem Origenis ne per somnium quidem unquam subiit, ut ex locis a nobis superius adductis liquet.

11. Sed et alia quædam in ipsis contra Celsum libris atro calculo notat, et veru transfigit ipse Huetius, ex quibus nos præcipua discutiemus. Primo adducit Huetius[x], tanquam solutu difficiliora, verba Origenis[y], Εἰ δέ τις ἐκ τούτων περισπασθήσεται, μή πη αὐτομολοῦμεν πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας δύο εἶναι ὑποστάσεις Πατέρα καὶ υἱόν, ἐπιστησάτω τῷ, Ἦν δὲ πάντων τῶν πιστευσάντων ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, ἵνα θεωρήσῃ τὸ, Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν. i. e. "Quod si quis his motus verebitur, ne forte transfugiamus ad eos, qui negant duas esse hypostases Patrem et Filium, audiat illud, *Erat autem omnium credentium cor unum et una anima;* ut contempletur illud dictum, *Ego et Pater unum sumus.*" Et deinde, Θρησκεύομεν οὖν τὸν πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν υἱὸν τὴν ἀλήθειαν, ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ καὶ τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος. i. e. "Itaque religiose colimus Patrem Veritatis, et Veritatem Filium, duos quidem hypostasi, unum vero concordia, consensu, voluntatisque identitate." Ad quæ hæc annotat vir doctissimus: "Patrem et Filium duo esse ait ὑποστάσει, unum consensu et concordia. Atqui ὑπόστασις pro οὐσίᾳ priscis temporibus solebat usurpari ab ethnicis et Christianis. Hieronymus Ep. 57. ad Damas. *Tota secularium literarum schola nihil aliud* ὑπόστασιν *nisi* οὐσίαν

[x] Origenian. II. 32. [Quæst. 2. 3.]

[y] Lib. VIII. contr. Cels. p. 386. [12. p. 750.]

" *novit.* Ita sumpserunt Nicæni Patres, ita Sardi-
" censes; ita et sumpsisse Origenem verisimile est."
Respondeo primo: Voces ὑπόστασις et οὐσία priscis temporibus varie usurpatæ fuere, saltem a Christianis. Scilicet nonnunquam ὑπόστασις pro eo quod nos οὐσίαν dicimus, et vice versa vox οὐσία pro eo quod nos ὑπόστασιν appellamus, ab ipsis accepta fuit; nonnunquam ὑπόστασιν dixerunt veteres, etiam qui concilium Nicænum antecesserunt, quod nos hodie personam sive subsistentiam appellamus. Vocem ὑποστάσεως pro eo quod nos οὐσίαν dicimus a priscis quandoque usurpari non modo confitetur, sed et contendit Huetius. Quamquam (ut verum ingenue fatear) non memini, me vocem ita usurpatam a scriptore aliquo catholico, 113
de SS. Trinitate disserente, ante concilium Nicænum, aut aliquandiu post, legisse. Vocabulum vero οὐσίαν ab iisdem pro eo quod nos ὑπόστασιν appellamus nonnunquam accipi, certissimum est. Sic Pierius martyr et presbyter, Pamphili martyris præceptor, cum de Patre et Filio catholico more sentiret, Patrem tamen et Filium οὐσίας et φύσεις duas esse dicebat, ut refert Photius [z], *usiæ* et *naturæ* vocabulo *hypostasim* significans, ut ex antecedentibus et consequentibus constare dicit idem Photius. Sic vocem φύσις (quæ alioqui latioris est significationis, ut vox οὐσία,) a Clemente Alexandrino usurpatam fuisse, supra [a] observavimus. Atque eodem sensu vocabulum accipi a Gregorio Nysseno, ab Epiphanio, adeoque ab ipso Athanasio ostendit Petavius de Trinit. IV. 1. n. 2, 3. Denique, (quod rem nostram propius spectat,) vocem ὑποστάσεως aliquoties a priscis ecclesiæ doctoribus, etiam qui concilium Nicæ-

[z] Bibl. Codic. 119. [Vid. Routh. Reliq. Sacr. vol. III. p. 212.]
[a] [Pag. 248.]

num antecesserunt, pro *subsistentia*, vel pro re singulari per se subsistente, quæ in rebus intellectu præditis idem est quod persona, usurpari multis exemplis constat. Tertullianus in libro advers. Prax. cum asserere voluit Filii subsistentiam contra eos, qui illum distinctam esse a Patre personam negabant, affirmat Filium Dei esse "substantiam et rem "substantivam." Sic cap. 7.[a] "Ergo, inquis, das "aliquam substantiam esse Sermonem, Spiritu et "sophiæ traditione constructam? plane. Non vis "enim eum substantivum habere in re, per sub-"stantiæ proprietatem, ut res et persona quædam "videri possit, et ita capiat secundus a Deo consti-"tutus duos efficere, Patrem et Filium, Deum et "Sermonem. Quid est enim, dices, sermo, nisi vox "et sonus oris, et (sicut grammatici tradunt) aer "offensus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum "nescio quid, et inane, et incorporale? At ego nihil "dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut "non de inani et vacuo prolatum; nec carere sub-"stantia, quod de tanta substantia processit, &c." Rursus cap. 26. de Patris et Filii distinctione agens, sic loquitur; "Deus Dei tanquam substantiva res, "non erit ipse Deus; sed hactenus Deus, quia ex "ipsius Dei substantia, qua et substantiva res est, "&c." Mox negat sapientiam et providentiam esse *res substantivas*, aut *substantias*, hoc est, ὑποστάσεις. Scilicet hanc loquendi formam ex Græcis Patribus omnino sumpsisse videtur Græcorum ille imitator, Græcam vocem ὑπόστασιν Latine *substantiam* et *rem substantivam* vertens; cum alioqui Latini, etiam Tertulliani ætate, suum habuere vocabulum, quo subsistentiam in divina essentia exprimerent, nempe

[a] [Pag. 503.]

vocem *personæ*, quæ aliquoties in eodem libro ab ipso Tertulliano usurpatur. Hippolytus, Tertulliano ætate proximus, et Origene antiquior, in loco superius [a] a nobis laudato ait, carnem sive humanam in Christo naturam per se non subsistere, sed *in Verbo habere* τὴν ὑπόστασιν, hoc est, *in Verbo subsistere*. Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, in responsione ad quæstionem quartam Pauli Samosateni, de tribus personis S. Trinitatis sic loquitur [b]; Αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώριστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ· i. e. "Duæ hypostases" (Patris scil. et Filii) "inseparabiles sunt [c], et subsistens Patris Spi-"ritus, qui erat in Filio." Atque ex hoc Dionysii Alexandrini loco omnino explicanda mihi videtur sententia cognominis et coætanei ejus Dionysii Romani; qui in Epistola contra Sabellianos apud Athanásium [d], postquam ipsos refutaverat, eos deinde redarguit, qui Deitatem secabant εἰς τρεῖς μεμερισμένας ὑποστάσεις, "in tres divisas hypostases." Petavius quidem de Trinitate IV. 1. 5. eo in loco vocem ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ in generaliori significatione poni voluit; hoc, ut arbitror, argumento ad id inductus, quod Dionysius dissensum suum ab iis profiteatur, qui Deitatem in tres hypostases dividebant. Sed hoc nihil est. Neque enim simpliciter eos culpat Dionysius, contra quos disputat, quod tres in Deitate hypostases statuerint; sed ideo tantum, quod hypostases illas tres esse μεμερισμένας, *divisas* existimarint. Quod mox ibidem plenius exprimit, dum

[a] Vide hujus sect. 8. 5. [p. 276. ubi notavi Hippolytum σύστασιν, non ὑπόστασιν, scripsisse.]

[b] [Pag. 230.] [c] Vid. Theodorit. E. H. I. 4.

[d] Athan. de Syn. Nic. Decretis p. 275. edit. Paris. 1627. [vol. I. p. 231. et apud Routh. Rel. Sacr. vol. III. p. 179, &c.]

rursus eosdem hæreticos divisisse ait divinitatem εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας, ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας· " in tres hypostases peregrinas, ab invicem omnino " separatas." Pessime igitur verba Dionysii Græca Latine reddidit Petavius " distinctas hypostases." Adversus hos hæreticos deinde statuit Dionysius, ἡνῶσθαι τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι τὸ ἅγιον πνεῦμα, " uniri omnium " Deo Dei Verbum; et in eodem hærere versarique " Spiritum Sanctum;" hoc est, hypostases tres divinas per inexplicabilem quandam περιχώρησιν intime
114 sibi invicem conjunctas esse, et sese mutuo quasi immeare, ita ut altera ab altera neutiquam separari possit; qua de re inferius plura dicemus. Locum autem hunc Dionysii Romani integre citatum videas hujus sectionis cap. 11. §. 1. Itaque cum Dionysius Romanus negat, in Deitate tres esse hypostases divisas ac separatas, idem manifeste voluit quod alter Dionysius, cum affirmat, Patrem et Filium esse duas hypostases minime separatas, et Spiritum S. quoque hypostasim esse in ipso Filio subsistentem, adeoque neque a Filio neque a Patre disjunctam. Nimirum uterque hypostaseon distinctionem in Divinitate pariter agnovit; uterque divisionem et separationem hypostaseon pariter negavit. His vero clarissimam lucem affert alter Dionysii Alexandrini locus, citatus a magno Basilio[e] in libro de Spiritu Sancto cap. 29.[f] ubi Dionysium illum inducit sic in media sua Apologia contra Sabellianos disputantem, Εἰ τῷ τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις, μεμερισμένας εἶναι λέγουσι, τρεῖς εἰσι, κἂν μὴ θέλωσιν, ἡ τὴν θείαν τριάδα παντελῶς ἀνελέτωσαν.

[e] Oper. Basilii tom. II. p. 358. edit. Parisiens. 1637. [Op. Dionys. p. 98, 99.]

[f] [Vol. III. p. 61.]

i. e. " Si eo quod tres sunt personæ, divisas esse di-
" cunt, tres sunt, etiamsi nolint, aut divinam Trini-
" tatem prorsus e medio tollant." Quibus ex verbis aperte colligitur, apud catholicos Dionysii ætate ratum et fixum illud fuisse, tres esse in divinis hypostases; Sabellianos vero ex illa hypothesi consequi existimasse, tres esse hypostases divisas; utpote qui tres distinctas personas in essentia divina absque divisione subsistentes mente sua concipere nequiverunt. Hanc autem consequentiam omnino rejiciunt ambo Dionysii in locis supra adductis. Pergamus. Dionysii utriusque æquales sex episcopi, qui ex synodo Antiochena ad Paulum Samosatenum scripsere Epistolam [g], in ipsa contra eundem Paulum et Sabellium negant, Filium Dei esse Patris ἐπιστήμην ἀνυπόστατον, " scientiam per se minime subsistentem." Et ibidem ipsum Dei Filium dicunt Dei Patris ἐνέργειαν ζῶσαν καὶ ἐνυπόστατον, " virtutem viventem ac per
" se subsistentem." Quis igitur dubitet, quin hi episcopi Filium quoque dixerint ὑπόστασιν a Patre distinctam? Præsertim cum Dionysius Alexandrinus ejusdem sæculi τὴν ὑπόστασιν et τὸ ἐνυπόστατον tanquam idem significantia usurparit, ut ex loco supra allato liquet. Alexander episcopus Alexandrinus, in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum ante synodum Nicænam scripta [h], eodem sensu vocem accepisse videtur, dum ad verba Joannis evangelistæ, i. 1. hæc scribit; Τὴν γὰρ ἰδιότροπον αὐτοῦ ὑπόστασιν ἐδήλωσεν, εἰπὼν, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. i. e. " Proprio modo constantem
" ejus (Filii) hypostasim significavit, dicens, *In prin-*
" *cipio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.*"

[g] Bibl. Patr. tom. XI. [Vid. Routh. Rel. Sacr. vol. II. p. 469.]
[h] Apud Theodorit. E. H. I. 4. [p. 12.]

Et, si magno Basilio, potius quam nupero Jesuitæ Petavio, fides habenda sit, eodem sensu vocabulum intellexerunt, juxta antiquum scil. in ecclesia usum, Patres Nicæni, cum in symbolo anathematizarunt eos, qui dicerent Filium esse ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, "ex alia hypostasi, sive sub-"stantia," quam Patris. Nam Basilius in Epistola LXXVIII.[k] referens, Marcellum Ancyranum, et alios quosdam Sabellianæ fautores hæresis, ex illis Nicæni concilii verbis patrocinium quæsivisse, οὐσίαν et ὑπόστασιν negat ἐκ παραλλήλου et tanquam idem significantes voces a Patribus adhibitas fuisse. Quod hac ratione probat, Εἰ γὰρ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἐδήλουν ἔννοιαν αἱ φωναὶ, τίς χρεία ἦν ἑκατέρων; ἀλλὰ δῆλον ὅτι, ὡς τῶν μὲν ἀρνουμένων τὸ ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ πατρὸς, τῶν δὲ λεγόντων, οὔτε ἐκ τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἐξ ἄλλης τινὸς ὑποστάσεως, οὕτως ἀμφότερα ὡς ἀλλότρια τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος ἀπηγόρευσαν. i. e. "Si unam et eandem rem "significarunt voces illæ, quid attinebat simul illas "adhiberi? Sed perspicuum est, eo quod alii nega-"rent, Filium e substantia esse Patris, alii neque "ex ejus substantia, sed ex alia insuper hypostasi "esse dicerent, utramque illos opinionem tanquam "alienam a sensu ecclesiastico rejecisse." Libet vero hic obiter argumenta præcipua, quibus hanc M. Basilii sententiam convellere Petavius[l] conatus est, paucis ad examen revocare; "Primum," inquit, "contra solum Arii dogma symboli clausulam addi-"disse Patres, liquido constat." Poteram interrogare Petavium, unde id liquido constet? certe liquidissimo constat, Patres in suo symbolo, quanquam Arii dogma præcipue impugnare intenderint, et aliorum tamen hæreses alicubi perstringere. Sic

[k] [Ep. CXXV. 1. vol. III. p. 215.] [l] De Trin. IV. 1. 6.

cum definiunt per Filium facta fuisse omnia, non Arianos, quippe qui hoc nunquam negarint, sed Ebionæos, Artemonitas, Samosatenianos, et ejusdem monetæ alios hæreticos feriunt. Sed esto, clausulam istam contra solum Arianorum dogma a Patribus additam fuisse; (quod verissimum esse puto;) quid tum? "Ariani," inquit Petavius, "non docu-"erunt Filium ab alia persona quam Patris origi-"nem traxisse." Respondeo, neque docuisse Arianorum quempiam, Filium ex alia substantia originem traxisse, si rigide et exacte loqui velimus. Verum ut omnes Ariani negarunt Filium e substantia Patris natum, ita quidam ullo modo ex 115
ipso Patre, sive ex hypostasi Patris natum illum fuisse pernegarunt. Scilicet duæ fuere imprimis Ariomanitarum classes; alii fatebantur quidem Filium ex ipsa Patris hypostasi peculiari modo natum fuisse, non, ut cæteræ creaturæ, ex nihilo factum; sed negabant tamen Filium ex Patris substantia progenitum; virtutem tantummodo aliquam paternam illum esse existimantes, non paternæ substantiæ ἀπόῤῥοιαν· alii ne ex ipso Patre peculiari modo genitum fuisse Filium faterentur, eum plane ex non existentibus factum, ut cæteræ creaturæ, rotunde pronuntiarunt. Priores illi Semiariani dicti fuere, quorum sententiam, ex ipsorum Confessione apud Epiphanium Hæres. LXXIII. n. 2. et seqq. sic paucis optime explicavit alibi ipse Petavius[m] his verbis: "Ibi," inquit, "multa catholico dogmati "quam simillima proferunt; imprimis quod Filium "negant esse creaturam, eo quod verus sit Filius, ac "vera generatione productus, non tropica illa, qua "creatæ res a Deo genitæ dicuntur; sed vere esse

[m] De Trin. I. 10. 7.

" Patrem; quem et ex sese genuisse fatentur Fi-
" lium, idque ante omnem cogitationem, et omnes
" rationes, et tempora, et sæcula. Hæc sunt specie
" ipsa plausibilia, et ad catholicam professionem
" quam proxime accedunt. Sed deest tamen hoc
" illis, in quo fidei robur caputque consistit, quod
" Filium ἐκ τῆς οὐσίας genitum a Patre esse non
" confitentur, sed ἐκ τῆς ὁμοιότητος τοῦ Πατρὸς, *ex si-*
" *militudine Patris;* nempe ἐνεργείᾳ γεννητικῇ, *actione*
" *et efficientia genitali;* siquidem Patrem aiunt va-
" rias actiones habere, unam κτιστικὴν, *creatricem,*
" alteram γεννητικὴν, *generatricem,* qua producit Fi-
" lium. Tum non eandem οὐσίαν in utroque esse
" statuunt, sed duas inter se similes." Utramque itaque factionem Arianorum feriunt Patres Nicæni in verbis illis, ἐξ ἄλλης ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας· nempe tum illos, qui Filium ex persona Patris sive ex ipso Patre ullo modo natum fuisse negabant, et ex nihilo factum dicebant; tum etiam eos, qui Filium ex ipso Patre peculiari modo natum cum faterentur, tamen ἐξ οὐσίας, *e substantia* Patris progenitum, ac proinde Patri ὁμοούσιον, pernegabant. Ut rem extra omnem controversiæ aleam ponam, Confessio Arianorum per Marim, Theodorum et Marcum Constanti imperatori oblata, ab Athanasio [n] lib. de Synod. Arim. et Seleuc. recitata, hæc in fine habet: Τοὺς δὲ λέγοντας ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἦν ποτε χρόνος ὅτε οὐκ ἦν, ἀλλοτρίους οἶδεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. i. e. " Eos porro qui dicunt Filium
" ex non existentibus, sive ex alia hypostasi, et non
" ex Deo esse, et fuit tempus quo nondum erat Fi-
" lius, alienos a se censet catholica ecclesia." Ea-

[n] Tom. I. p. 895. [§. 25. vol. I. p. 738.]

dem plane exhibent Confessio per Eudoxium, Martyrium, et alios in Italiam missa, et Confessio Sirmiensis, quæ apud Athanasium ibidem sequuntur. Vides autem hic, Arianos illos negasse, Filium ex nihilo creatum, sive factum; et fassos fuisse, Filium ἐξ ὑποστάσεως, *ex hypostasi* Dei Patris, sive ex ipso Deo natum; cum tamen certissimum sit eosdem hæreticos nunquam fassos, nunquam fassuros fuisse Filium ἐξ οὐσίας, *e substantia* Patris progenitum. Recte itaque atque erudite voces ὑπόστασις et οὐσία in symbolo Nicæno distinxit Basilius; temere vero prorsus observationem illam magni doctoris carpsit Jesuita Petavius. Quod vero ad Basilii rationem, nempe Patres Nicænos in tam brevi symbolo duas istas voces simul adhibituros non fuisse, si eadem esset ambarum significatio, respondet Petavius, id facile refellitur. "Si," inquit, "Basilii ista ratio valeret, "ne illud quidem reprehensionis expers foret, quod "in eodem symbolo, cum Patres dixissent damnare "se illos, qui *fuisse aliquando* putarent, *quando* "*non erat* Filius, statim id subjiciunt, quod idem "significat, *et antequam nasceretur, non erat;* "nec non, *quia ex nullis substantibus factus est.*" Sed nego verba illa, *antequam nasceretur, non erat,* idem prorsus significare, quod priora, *erat quando non erat.* Nam prior sententia Filii existentiæ initium indefinite tribuit; altera punctum ipsum, ut ita dicam, initii illius designat. Equidem sensus in verbis posterioribus latet, qui etiam Petavii acumen fugit; quinam vero ille sit, infra[p] commodiori loco fuse explicabimus. Neque verum est, in verbis consequentibus, *quia ex nullis substantibus*

[p] Vid. Sect. III. 9. 2. et seqq.

factus est, rursus idem plane repeti. Nam ex grege Arianorum fuere nonnulli (ipso Petavio alibi id notante) quos postea Psathyrianos appellatos fuisse scribit in libro IV. de Hæres. Theodoretus, qui ut Patrem extitisse semper, ita Filium semper ab eo creatum fuisse dicerent; nihil enim apud Deum aliud esse *gignere*, quam *creare*. Isti non dixerunt fuisse quando Filius non erat; dixerunt tamen Filium ex non existentibus factum. Cæterum etiam Gelasius Cyzicenus in Actis concilii Nicæni part. II. cap. 12. ex totius synodi mandato ac decreto respondentem Hosium inducit, ac τριάδα ὑποστάσεων prædicantem; quod et postea per Leontium episcopum Patres profitentur ibid. cap. 21. Hinc Anastasius Sinaita [q] scripsit, Nicænos Patres definiisse, τρεῖς εἶναι ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα ἐπὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος· i. e. "Tres esse hypostases, sive personas, in "sancta et consubstantiali Trinitate." Horum auctoritatem contempsit Petavius, iis scil. argumentis fretus, quibus se Basilii sententiam refutasse frustra
116 gloriatur. Certe Eusebius Cæsariensis, (qui synodo Nicænæ interfuit, quoque nemo melius antiquum vocis ὑποστάσεως in ecclesia usum intellexit,) in literis suis ad Eustathium Antiochenum, (referente Socrate [r],) confessus est, Ἐννπόστατόν τε καὶ ἐνυπάρχοντα τὸν υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι εἶναι. i. e. "Filium Dei propriam hypostasim et sub"sistentiam habere, Deumque in tribus hypostasibus "unum esse." Atque hoc sensu sine offensione usurpari perseverasset (ut arbitror) vox ὑπόστασις,

[q] Anast. in Ὁδηγ. c. 21. [Ed. Ingolstadii, 1606. Anastasius Sinaita Antiochiæ episcopus fuit in sæc. vi. Sed hoc opus ex Anastasii et aliorum opusculis consarcinatum esse Cavius existimat.]

[r] E. H. I. 23.

nisi Ariani ipsam abusi fuissent ad propagandam hæresim suam, pro natura ac substantia in generaliori significatione accipientes, ac docentes Patrem et Filium duas esse hypostases, hoc est, naturas ac substantias diversas, a se invicem discrepantes. Adversus hos enim catholici doctores affirmarunt in concilio Sardicensi, Patris et Filii μίαν esse ὑπόστασιν. Digna sunt, quæ a nobis hic describantur, Patrum Sardicensium verba hac de re in Epistola sua synodica[s] apud Theodoritum[t]: Τὸ τῶν αἱρετικῶν σύστημα φιλονεικεῖ, διαφόρους εἶναι τὰς ὑποστάσεις τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ εἶναι κεχωρισμένας. ἡμεῖς δὲ ταύτην παρειλήφαμεν καὶ δεδιδάγμεθα, καὶ ταύτην ἔχομεν τὴν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν παράδοσιν καὶ πίστιν καὶ ὁμολογίαν, μίαν εἶναι ὑπόστασιν, ἣν αὐτοὶ οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι, τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. i. e. "Hæreticorum factio pertinaciter "asseverat, Patris ac Filii et Spiritus S. diversas "esse hypostases, a se invicem separatas. Nos vero "hanc a majoribus accepimus ac didicimus, et hanc "tenemus catholicam atque apostolicam traditionem "et fidem ac professionem, unam esse hypostasim, "quam ipsi hæretici substantiam appellant, Patris "ac Filii et Spiritus S." Hic Patres diserte monent, se Patrem, Filium et Spiritum S. μίαν ὑπόστασιν dixisse eo tantum sensu, quo hæretici vocem ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ acceperunt; significantes nimirum, se alium ejus vocabuli sensum, apud veteres ecclesiæ doctores catholicos receptum, (quippe a quibus usurpatum fuerit pro persona sive subsistentia,) non ignorasse,

[s] Seu potius in Appendice ad Epistolam a quibusdam adjecta, reliquis episcopis reclamantibus. Vide Athanas. Epist. Synodica ad Antiochenses p. 576. edit. Paris. [§. 5. vol. I. p. 772.]

[t] E. H. II. 8. [p. 81.]

eumque lubentes amplexuros fuisse, ac fassuros juxta istam vocis acceptionem, tres esse in Divinitate personas sive subsistentias. Hinc tamen natum fuisse constat triste illud discidium, quod postmodum orientis adeoque occidentis ecclesias turbavit, de una sive tribus hypostasibus divinis; dum scil. alii cum Patribus concilii Sardicensis loqui amarunt; alii vero veterem vocabuli usum et significationem retinuerunt. Quem usum sua tandem auctoritate confirmavit concilium Constantinopolitanum primum, in Epist. Synod. apud Theodoritum Eccl. Hist. V. 9. Cæterum Ariani tandem etiam vocem ὑποστάσεως, una cum οὐσίας vocabulo, e symbolis suis abjiciendam decrevere. Nam in Confessione Constantinopoli scripta ab Acacio, Eudoxio, aliisque, qui Seleuciensis synodi decreto damnati ad imperatorem confugerunt, prope finem sic definiunt [u]: Τὸ δὲ ὄνομα τῆς οὐσίας, ὅπερ ἁπλούστερον ὑπὸ τῶν πατέρων ἐτέθη, ἀγνοούμενον δὲ τοῖς λαοῖς, σκάνδαλον ἔφερε, διότι μηδὲ αἱ γραφαὶ τοῦτο περιέχουσιν, ἤρεσε περιαιρεθῆναι.———Καὶ γὰρ οὐδὲ ὀφείλει ὑπόστασις περὶ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὀνομάζεσθαι. ὅμοιον δὲ λέγομεν τῷ πατρὶ τὸν υἱόν. i. e. "No-"men porro *substantiæ*, quod simplicius a Patribus "editum, et ignotum populis, scandalum adfert, quo-"niam in S. literis non continetur, placuit de medio "tolli.———Imo ne ὑπόστασις quidem de Patre, Fi-"lio, et Spiritu S. nominari debet. Similem autem "dicimus Patri Filium, &c." Quo decreto Ariani illi priores suas Confessiones, in quibus dixerant, Filium etiamsi non ἐξ οὐσίας, tamen ἐξ ὑποστάσεως Dei Patris genitum esse, omnino resciderunt.

2°. Præmissa hac admodum prolixa, neque tamen

[u] Apud Athan. de Synod. Arim. et Seleuc. tom. i. p. 906. [§. 30. vol. I. p. 747.]

utili minus, Dissertatione generali de antiquo usu ecclesiastico vocum οὐσία et ὑπόστασις, tandem ad Origenem redeo. Certum est, vocabulum ὑπόστασις apud ipsum vel pro subsistentia, vel pro re singulari et individua, per se subsistente, quæ in iis, quæ intellectu prædita sunt, idem est ac quod *personam* hodie dicimus, passim usurpari. Imo non memini, me uspiam vocem aliter ab ipso, ubi de Trinitate loquitur, acceptam legisse: unde vir magnus, Hugo Grotius, in Notis ad Joan. i. 2. et Epist. ad Hebræos i. 3. affirmat, eam vocis ὑποστάσεως significationem ab Origene primum (quod tamen verum esse non puto) ex Platonicis in ecclesiæ usum traductam fuisse. Ad locum ab Huetio notatum quod attinet, nihil manifestius quam Origenem ibi affirmare, Patrem et Filium duos esse τῇ ὑποστάσει eodem sensu, quo hæretici, quos ibidem perstringit, id negarunt. Quinam vero isti? procul dubio Noetiani et alii, qui Deum esse μονοπρόσωπον docuerunt, ac tantum μίαν 117
ὑπόστασιν, hoc est, personam unam in divinitate agnoverunt. Quod vero præterea objicit Huetius, Origenem, cum unum esse concordia et consensu dixerit Patrem et Filium, aliam omnem videri respuisse unitatem, id sane levis est momenti. Nam qui tantum unitatem consensus inter Patrem et Filium aliquo in loco exprimit, non statim is censendus est omnem aliam unitatem prorsus ignorasse. Deinde Origenes sexcentis aliis in locis Patrem et Filium ὁμοουσίους, si rem, quæ voce significatur, spectes, agnovit; sæpius etiam in terminis, ut loquuntur, τὸ ὁμοούσιον confessus est, citante Pamphilo Martyre, et attestante Ruffino. Idem de Novatiano, sive auctore libri de Trinitate inter opera Tertulliani, quem ob similem locutionem notat Huetius, suo loco lucu-

lenter ostendam. Porro Origenes tomo primo in Joannem[x] de Valentinianis, ejusdemque farinæ aliis hæreticis locutus, ait, Χρῶνται τῷ, Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθὸν, οἰόμενοι προφορὰν πατρικὴν, οἱονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένην εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ κατὰ τοῦτο ὑπόστασιν αὐτῷ, εἰ ἀκριβῶς αὐτῶν πυνθανοίμεθα, οὐ διδόασιν, οὐδ' οὐσίαν αὐτοῦ σαφηνίζουσιν· "Utuntur dicto illo, "*Eructavit cor meum verbum bonum;* existimantes "Filium Dei paternam prolationem esse, tanquam "in syllabis positam; unde hypostasim illi, si accu- "rate ipsos interrogemus, non tribuunt, neque sub- "stantiam ejus explanant." Hic fatetur Huetius, ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ distingui quidem; sed ait, non sumi pro *persona*, sed *subsistentia*. Verum apud veteres, ubi de Trinitate loquuntur, quid, quæso, differt persona a subsistentia? nimirum illi, ut recte observavit Petavius[y], "*subsistentiam* pro concreto, "ut dici solet, nomine sumpserunt, et cum *persona* "confuderunt." Deinde in loco Origenis, quem reprehendit Huetius, accipiatur igitur ὑπόστασις pro *subsistentia*, ut dicantur Pater et Filius duo τῇ ὑποστάσει, *subsistentia;* An quisquam catholicus id culpet? imo nonne hæreticus est, qui neget? Verum acrius insurgit Huetius: "Quid," inquit, "defensio- "nem præbere conamur Origeni, cum suam ipse "causam prodat tom. II. in Joan. p. 56.[z] ubi quen- "dam impugnans δογματίζοντα, μηδὲ οὐσίαν τινὰ ἰδίαν "ὑφεστάναι τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἑτέραν παρὰ τὸν πατέρα "καὶ τὸν υἱὸν, post aliqua addit, Ἡμεῖς μέντοιγε τρεῖς "ὑποστάσεις πεισόμενοι τυγχάνειν, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, "καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, κ. λ. i. e. Nos autem qui tres "personas esse Patrem, Filium et Spiritum S. per-

[x] [23. vol. IV. p. 25.] [y] Petav. de Trin. IV. 3. 6. [z] [6. p. 61.]

" suasi sumus, &c. Quibus significat ab eo qui uni-
" cam in Trinitate οὐσίαν ponit, se dissentire, et tres
" ὑποστάσεις admittere, hoc est, tres οὐσίας. Nam si
" ἰδιότητας, hoc est, *personas*, hic significaret vox ὑπο-
" στάσεις, neutiquam exprimeret dissensionem suam
" ab eo, qui unius οὐσίας Trinitatem esse volebat."
Atqui, inquam ego, ex hoc loco nihil aliud colligi potest, quam adversarium, quem ibi impugnat Origenes, οὐσίας nomine hypostasim sive personam intellexisse, quod et ab aliis multis, etiam catholicis, factum supra ostendimus. Scilicet adversarius, contra quem disputat ibi Origenes, fuit revera ex Noeti schola, qui dicebat, Spiritum S. a Patre et Filio nullatenus differre, sed τὸ αὐτὸ εἶναι τῷ Πατρὶ, " prorsus
" idem esse quod Pater," referente ibidem ipso Origene. Adversus hunc ostendit eo in loco Origenes, quod sine controversia Matt. xii. 32. distinctio declaretur Spiritus S. a Filio; indeque concludit, Spiritum S. ut et Filium etiam, a Patre persona differre; tum subjungit, et se et alios catholicos credere, Patrem, Filium et Spiritum S. esse τρεῖς ὑποστάσεις, *tres subsistentias*. Nimirum ὑπόστασις apud Origenem fere constanter significat sive subsistentiam in abstracto, sive rem singularem et individuam per se subsistentem, quæ in iis, quæ vita et intellectu gaudent, (ut sæpius dixi,) idem est quod persona. Sed quorsum hisce lectorem ambagibus detinemus? extat locus in Græcis Origenis Commentariis ab ipso Huetio editis, qui nostram Origeniani sensus interpretationem apertissime confirmet. Nam tomo XII. in Joannem, editionis Huetianæ p. 186.[a] quosdam notat Origenes, (nempe ex Noetianis,) qui ex

[a] [Tom. X. 21. p. 199.]

locis Scripturæ quibusdam male intellectis ostendi existimarunt, μὴ διαφέρειν τῷ ἀριθμῷ τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἕν, οὐ μόνον οὐσίᾳ, ἀλλὰ καὶ ὑποκειμένῳ τυγχάνοντας ἀμφοτέρους, κατά τινας ἐπινοίας διαφόρους, οὐ κατὰ ὑπόστασιν, λέγεσθαι πατέρα καὶ υἱόν. i. e. "Numero non differre "Filium a Patre, sed utrumque unum non modo "substantia, sed et subjecto existentes, secundum "quasdam notiones diversas, non secundum hypo- "stasim, Patrem et Filium dici." Quibus ipse respondet, Λεκτέον πρὸς αὐτοὺς πρῶτον μὲν, ἕτερον εἶναι τὸν υἱὸν παρὰ τὸν πατέρα, καὶ ὅτι ἀνάγκη τὸν υἱὸν πατρὸς εἶναι υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα υἱοῦ πατέρα. i. e. "Ad hos dicendum "primo, alium esse Filium a Patre, et quod neces- "sario Filius sit Patris Filius, et Pater Filii sit "Pater." Hic οὐσία et ὑπόστασις clare distinguuntur, plane quemadmodum a nobis hodie fit; et Origenis
118 aliorumque catholicorum sententia a Noetiana accurate discriminatur. Docebant catholici, Patrem et Filium unum quidem esse substantia, (hoc est, ὁμοουσίους,) sed hypostasi et subjecto duos; contra hæretici contendebant, Patrem et Filium non modo substantia, sed etiam hypostasi unum esse, ac tantum secundum diversas notiones sive conceptus nostros distingui, atque alio respectu nunc Patrem, nunc alio Filium dici. His certe nihil manifestius. Quod vero de antiquo vocis ὑποστάσεως in divinis usu ecclesiastico fusius fortasse, quam proposita objectio postularet, disseruerim, id, uti spero, haud molestum erit lectori cordato, qui secum animo reputaverit, quam hic non modo a vulgo theologorum, sed etiam a viris eruditissimis tota via erretur [b].

12. Sequitur alia Huetii objectio, desumpta ex

[b] [Vid. etiam Not. ad Huetii Origeniana in ed. Benedict. ad l. c.]

verbis Origenis lib. VIII. contra Cels[c]. nempe hisce: Ἔστω δέ, τινας ὡς ἐν πλήθει πιστευόντων, καὶ δεχομένων διαφωνίαν, διὰ τὴν προπέτειαν ὑποτίθεσθαι, τὸν σωτῆρα εἶναι τὸν[d] ἐπὶ πᾶσι Θεόν· ἀλλ' οὔτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι, Ὁ Πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μου ἐστί. i. e. "Esto autem, non deesse quosdam, ut in tam nu-"merosa credentium multitudine, qui discrepantes "ab aliis temere affirment, quod Servator sit ille "universorum Deus; nos certe hoc non facimus, qui "credimus ipsi dicenti, *Pater, qui misit me, major* "*me est.*" Ad quæ hæc annotat Cl. Huetius[e]: "Affirmabant quidam Christum esse universorum "Deum, idque vere et orthodoxe; pertinet illud "sane ad divinam Christi naturam, non ad huma-"nam. Negat e contrario Origenes, Servatorem esse "universorum Deum, quod inde probat, quia Patre "minor sit, qui est universorum Deus. Divinæ ergo "Christi naturæ detrahit supremam illam θεότητα "supra res universas, et Patri addicit; proindeque "μεγέθει τινὶ, et ut Deum Deo, inferiorem Patri Fi-"lium statuit, non ut hominem Deo." Sed primo, gravissime errat vir doctissimus (quod pace ejus dixerim) in eo, quod putet, quos hic perstringit Origenes, vere et orthodoxe affirmasse, Filium esse universorum Deum; nam diserte loquitur Origenes de paucis quibusdam inter Christianos, qui in eo quod affirmabant, a reliqua credentium *numerosa multitudine*, hoc est, a catholica Christi ecclesia, discrepabant. Quinetiam, si antecedentia et conse-

[c] Pag. 387. [14. p. 752.]

[d] [In ed. Bened. legimus τὸν μέγιστον ἐπὶ πᾶσι Θεὸν, unde magis apparet hæreticorum, quos Origenes perstringit, sententia, et Huetii perversa argumentatio.]

[e] Origen. II. p. 34. [Quæst. 2. 7. p. 121.]

quentia apud Origenem legeris, comperies, quæ ibi Celsus Christianis objicit, esse omnino ex hæreticorum fabulis desumpta. Quinam vero isti, qui heterodoxe, et a communi Christianorum consensu abeuntes, affirmarunt Servatorem esse ipsum universorum Deum? puto hæreticos designari, qui Origenis temporibus Noetianorum appellatione noscebantur, qui docebant Filium esse ipsum Deum Patrem, qui διακριτικῶς solebat ab ejus ævi catholicis ὁ ἐπὶ πᾶσι Θεὸς, *universorum Deus* appellari. Certe Justinus verbis non absimilibus id genus hæreticorum, alio nomine ipsius ætate cognitorum, impiam vesaniam in Apologia, quæ dicitur, secunda his verbis notat[f]: Οἱ γὰρ τὸν υἱὸν πατέρα φάσκοντες εἶναι, ἐλέγχονται μήτε τὸν πατέρα ἐπιστάμενοι, μήθ' ὅτι ἐστὶν υἱὸς τῷ πατρὶ τῶν ὅλων γινώσκοντες· ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει. i. e. "Qui enim Filium Patrem esse dicunt, compe-
"riuntur neque Patrem scire, neque Filium Patri
"universorum esse nosse; qui, quod Verbum Dei
"primogenitum sit, Deus etiam ipse est." Ubi tum Filium a Patre universorum distinguit, et esse ipsum Deum Patrem contra hæreticos negat; tum etiam Filium, perinde ac Patrem, Deum revera esse, utpote ex ipso Deo Patre genitum, agnoscit. Fortassis vero Marcionitas, et alia id genus hominum monstra, in loco citato ferit Origenes, qui docebant Servatorem non esse Dei illius, qui mundum condidit, Filium; sed ejus Dominum, eoque superiorem, eoque nomine universorum Deum. Sane de his agi in antecedentibus et consequentibus, manifestum est. Secundo, quod Origenes in loco citato dicit, Filium etiam, qua Deus est, (hoc est, Deus ex Deo,) Patre minorem

[f] Pag. 96. [Apol. I. 63. p. 81.]

esse, (quod reprehendit Huetius,) plane catholicum esse, atque etiam a Patribus, qui post Nicænum concilium Arianam hæresim acerrime impugnarunt, defensum, infra ad sectionem IV. ostendemus[g]; ubi etiam luculentissime probabimus, Origenem in libris contra Celsum, cum Deum Patrem κατ' αἰτίαν Filio majorem statuerit, κατὰ φύσιν tamen Patrem et Filium pares omnino esse et æquales agnovisse.

13. Tertio reprehendit Huetius verba in libro V. contra Celsum, ubi sic scribit[h]: Ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ κύριος, ἀκούσας ποτὲ, Διδάσκαλε ἀγαθὲ, ἀναπέμπων τὸν λέγοντα τοῦτο ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα, φησὶ, Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεὸς ὁ Πατήρ. εἴπερ δὲ τοῦτ' εὐλόγως, ὡς εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ τυγχάνων, εἴρηκεν ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ Πατρὸς, πῶς οὐχὶ εὐλογώτερον ἂν τοῖς προσκυνοῦσιν εἶπεν ἥλιος, Τί με προσκυνεῖς; κύριον γὰρ τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις; κ. λ. i. e. "Servator noster et "Dominus, appellatus aliquando, *Præceptor bonus*, "ad Patrem suum remittens eum qui se sic appella- "verat, inquit, *Quid me dicis bonum? nemo bonus* "*nisi unus, nempe Deus Pater.* Quod si id me- "rito, ut imago bonitatis Dei, dixit dilectus Patris "Filius, annon justius sol diceret suis adoratoribus, "Quid me adoras? Dominum Deum tuum adora- 119
"bis, &c." Ad quæ hæc annotat vir doctissimus[i]: "Bonitatem illam, quæ Deo Patri convenit, Christo "detrahit, non tantum quatenus homo est, sed etiam "quatenus imago est bonitatis Dei, hoc est, quate- "nus est Deus." Quasi scilicet Christus, etiam quatenus homo est, non singulari ratione esset bonitatis Dei imago. Quis vero credat, Origenem stupidi adeo ingenii fuisse, ut non intellexerit, textum illum evan-

[g] Vid. IV. 2. 6. [h] Pag. 238. [11. p. 585-86.]
[i] Origenian. II. p. 39. [Quæst. 2. 15. p. 126.]

gelistæ ad Christi οἰκονομίαν, in assumpta natura humana susceptam, omnino pertinere? imo Origenes ibidem diserte monet, se Christum ista loquentem inducere, tanquam παράδειγμα, *exemplum*, quod scil. hominibus ipse Christus, inter homines versatus, exhibere voluit. Quod si daremus, Origenem ibi loqui de Christo quatenus Deus est, equidem recte dicitur Filius imago bonitatis paternæ, adæquata scilicet et perfecta; et tamen quatenus Patris imago est, non ipse Pater, hoc est, quatenus ex paterno fonte bonitatem suam, ut et cætera divinæ naturæ attributa, adeoque ipsam divinam naturam derivatam habet, atque in secundo signo originis (ut loquuntur scholastici) Deitatem possidet, haud minus recte ea ratione Patri primas tribuere potuit. Quod vero ex istis verbis colligit Huetius, nempe Origenem omnino bonitatem illam, quæ Deo Patri convenit, Christo detraxisse, ac sensisse, (quod mox ibidem dicit idem Huetius,) Filium esse tantum paternæ bonitatis particulam et auram quandam imperfectam, a mente ipsius Origenis prorsus alienum esse (si modo mens ac sententia ejus ex libris contra Celsum æstimanda sit) certissimum est. Nam cum in locis a nobis superius adductis clare doceat Origenes, Filium esse, perinde ac Patrem, verum Deum, increatum, immortalem, immutabilem, impassibilem, immensum, ubique præsentem, atque undequaque beatum et perfectum; qua is ratione potuit in eodem libro bonitatem, quæ Patri convenit, Filio, qua Deus est, detrahere? sed et supra etiam Adamantium audivimus in libro III.[k] cont. Cels. dicentem, Filium Dei esse τὸν αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοαλήθειαν. i. e. "ipsam" (sive absolutissimam) "il-

[k] [41. p. 473-4.]

" lam rationem, ipsam illam sapientiam, ipsam illam " veritatem." Quidni igitur Filius dicatur ipsa sive absolutissima bonitas, non bonitatis alicujus superioris particula atque aura quædam imperfecta? scilicet omnium attributorum divinorum par est ratio. Sic in libro V. contra Celsum [l], unde hæc criminatio desumpta est, iterum Origenes Filium dicit, *τὸν αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοδικαιοσύνην.* i. e. " ipsam illam rationem, ipsam illam sapientiam, ip- " sam illam justitiam." In qua Origenis loca quisquis luculentum commentarium cupit, adeat M. Athanasium in Oratione contra Gentes [m], ubi sic de Filio Dei scribit: *Δύναμίς ἐστι τοῦ Πατρὸς, καὶ σοφία, καὶ λόγος, οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὤν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ κατὰ τοὺς αὐτοῦ μετέχοντας, καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοὺς καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους· ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ Πατρός ἐστιν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαρετὴ, καὶ μὲν καὶ χαρακτὴρ, καὶ ἀπαύγασμα, καὶ εἰκών· καὶ συνελόντι φράσαι, καρπὸς παντέλειος τοῦ Πατρὸς ὑπάρχει, καὶ μόνος ἐστὶν υἱὸς, εἰκὼν ἀπαράλλακτος τοῦ Πατρός.* i. e. " Potentia au- " tem Patris dicitur, et sapientia, et ratio, non ideo " quod aliqua tantum ex parte istarum rerum com- " munionem adipiscatur, aut ista aliunde ipsi super- " venirent; quemadmodum qui ipsius sunt partici- " pes, per ipsum sapientes, potentes ac rationales " efficiuntur; sed propterea quod sit ipsa sapientia, " ipsa ratio, ipsa propria potentia Patris, ipsa lux, " ipsa veritas, ipsa justitia, ipsa virtus, et character, " et splendor, et imago Patris: et ut verbo dicam, " fructus Patris undecunque perfectus, ac solus Fi- " lius, et invariabilis imago Patris."

[l] Pag. 258. [39. p. 608.]

[m] Tom. I. p. 51. [§. 46. vol. I. p. 46.]

14. Doctissimi Huetii vestigia adhuc premo, qui se, missis ambagibus, ipsa Origenianæ doctrinæ penetralia scrutaturum professus, notat[n], "credidisse "Origenem, Filium manasse de Dei substantia, sic "tanquam lucem de sole, atque ideo ejusdem esse "ac Patrem substantiæ, quia lux ejusdem est sub-"stantiæ, cujus sol; et rursus Filium a Patris sub-"stantia et divinitate segregasse, quia ut a sole per "effluvium profecta est lux, secreta ab eo et sepo-"sita dici potest; præterea Patre inferiorem esse "Filium, quia sol luce nobilior est et dignitate su-"perior." Antea[o] ex eodem simili ab Origene usurpato collegerat, "Trinitatem ab Origene in partes "sectam, et essentiæ ac divinitatis quibusdam veluti "gradibus distinctam fuisse." Verum hoc non est (quod salvo honore viri laudatissimi dictum velim) ipsa Origenianæ doctrinæ penetralia scrutari, sed ea potius rimari et suspicari, de quibus ipse Origenes ne per somnium quidem unquam cogitavit. Fateor generationem Filii ex Patre illustrari ab Origene, etiam in libris contra Celsum, similitudine radii sive splendoris a sole, sive alio corpore lucido, projecti. Sed quid tum? annon Patres catholici omnes, tam qui ante, quam qui post concilium Nicænum scripserunt, eodem simili usi sunt? nonne ipsi Patres Nicæni, idque in ipso symbolo suo, dixerunt, Filium Deum ex Patre Deo nasci, ut lumen de lumine? et quid demum Epistolæ ad Hebræos
120 divino scriptori fiet, qui non veritus est Filium Dei nuncupare ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς, *Splendorem paternæ gloriæ*, cap. i. 3? Duo certe po-

[n] Origenian. II. p. 44. [Quæst. 2, 24. p. 132.]
[o] Ibidem, p. 37. [Quæst. 2, 12. p. 123.]

rismata, quæ ex hac comparatione deducit Origenique affingit Huetius, a mente Origenis omnino aliena sunt. Primum est, Filium a Patre dividi et separari ut partem divinæ essentiæ a tota, adeoque Dei essentiam in partes sectam esse. Sed quis credat, Origeni, viro sane non indocto, tam insulsam blasphemiam venire in mentem potuisse? quoties vero in scriptis suis istam blasphemiam expresse repudiavit Adamantius! Sic (ut alia loca sexcenta omittam) in lib. IV. cont. Cels.[p] (quem locum jam supra in hoc capite integrum adduximus) Epicureos et Stoicos irridet, quod non potuerint τρανῶσαι τὴν φυσικὴν τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν, ὡς πάντῃ ἀφθάρτου, καὶ ἁπλοῦ, καὶ ἀσυνθέτου, καὶ ἀδιαιρέτου. i. e. "Clare Dei naturam intelligere, nempe "quod is sit omnino incorruptibilis et simplex, nec "compositus, nec divisibilis." Mox addit, Filium Dei in forma Dei, hoc est, in essentia divina subsistere, proinde et ipsum juxta cum Patre immutabilem esse. Nihil autem expressius huic commento repugnat, quam verba Origenis, quæ ex lib. II. sup. Joan. citat Pamphilus in Apolog.[q] nempe hæc; "Unigenitus ergo Deus Salvator noster, solus a Patre "generatus, natura et non adoptione Filius est. Natus est autem ex ipsa Patris mente, sicut voluntas "ex mente. Non enim divisibilis est divina natura, "id est, ingeniti Patris, ut putemus vel divisione, vel "imminutione substantiæ ejus Filium esse progeni-"tum." Vide hujus cap. §. 19. in fine. Ad alterum Huetii corollarium quod attinet, nempe Filium ab Origene Patri inferiorem statui, infra suo loco evidentissime ostendam, nunquam statuisse Origenem, Patri Filium esse imparem juxta essentiam, sed tan-

[p] Pag. 169. [14. p. 510.] [q] [Cap. 5. p. 34.]

tum originis respectu, nempe quatenus Pater est auctor et principium Filii. Verbo dicam, Origenes aliique catholici Patres simile illud solis et radii, lucis et splendoris, usurpantes, hæc tantum significare voluerunt, neque aliud quicquam ipsis in mentem venit; 1. Patrem esse πηγὴν θεότητος, *fontem divinitatis*, quemadmodum sol fons est splendoris ex ipso emissi. 2. Filium esse ejusdem naturæ ac substantiæ, cujus est Pater; utpote de ipsa Patris essentia genitum, ut lumen ex lumine manat. 3. Filium neutiquam a Patre suo divisum ac separatum existere; quemadmodum nec radius a sole, nec splendor a luce disjungitur. 4. Denique Filium sine alteratione et diminutione divinæ essentiæ ex Patre nasci. Equidem hos animi nostri conceptus, de adoranda generatione Filii Dei, mirum in modum adjuvat similitudo ista; unde et a Patribus Nicænis in ipsa Confessione sua adhibita fuit.

15. Restat quinta atque ultima criminatio, quam ex libris contra Celsum Origeni intentat Huetius[q]; nempe docuisse ipsum, "humiliori Patrem obsecra-" tione venerandum esse quam Filium." Genuinam hanc fuisse Origenis sententiam duobus præcipue locis ex iisdem libris probat. Alter locus invenitur in libro quinto[r], ubi sic Origenes disserit; Πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ. δεησόμεθα δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν, καὶ προσευξόμεθα δὲ, ἐὰν δυνώμεθα κατακούειν τῆς περὶ προσευχῆς κυριολεξίας, καὶ καταχρήσεως. i. e. "Omnes enim de-

[q] Origenian. II. p. 48. [Quæst. 2, 29. p. 136.]

[r] Pag. 233. [4. p. 580.]

" precationes et petitiones, omnes interpellationes " et gratiarum actiones fundendæ sunt Deo, re- " rum omnium Domino, per majorem omnibus an- " gelis summum Pontificem, vivum Verbum et " Deum. Verbum quoque illud deprecaturi sumus, " interpellabimus, et ei gratias agemus, preces etiam " offeremus, modo intelligamus, quomodo hæc ac- " cipiantur vel abusive vel proprie." Ubi, inquit Huetius, " orationem proprie Deo Patri fundi ju- " bet; impropriam vero et καταχρηστικὴν Filio; illi " ut summo Deo, bonorum datori; huic tanquam με- " σίτῃ, qui preces nostras Deo offerat." Locum alterum legas lib. VIII.[a] Διὸ τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ λόγον, καὶ εἰκόνα, ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ· ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν, ἱλασμὸν ὄντα περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν ὡς ἀρχιερέα τὰς εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ. i. e. " Ita- " que unum Deum, et ejus Filium ac Verbum ima- " ginemque, quantum possumus, supplicationibus et " honoribus veneramur, offerentes Deo universorum " Domino preces per suum Unigenitum; cui prius " eas offerimus, rogantes ut ipse, qui est propitiatio " pro peccatis nostris, dignetur tanquam Pontifex " preces nostras, et sacrificia, et intercessiones of- " ferre Deo optimo maximo." Miror hæcce Origenis loca viro docto offendiculo esse, in quibus egomet (ut verum fatear) catholicam de persona et officio Servatoris nostri doctrinam non male explicari semper existimaverim; sed ad rem. Christus Dominus noster bifariam spectari potest, qua Deus est, et qua

[a] Pag. 386. [13. p. 751.]

Θεάνθρωπος, sive Mediator inter Deum et hominem. Sub posteriori σχέσει si Servatorem nostrum spectas, constat multis Scripturæ locis atque omnium Chris-
121 tianorum consensu, cultum omnem, quem Deo exhibemus, ipsi per Christum Mediatorem exhibendum esse; quin et cultum et honorem omnem, quem Christo deferimus, εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς, *in gloriam Dei Patris* (ut loquitur Paulus Phil. ii. 11.) omnino redundare. Christum vero Mediatorem esse inter Deum et homines utriusque naturæ respectu, (quicquid ex pontificiis quidam contra obganniant,) veteres catholici Patres, cum S. Scripturis, uno ore docuerunt. Atque hanc imprimis σχέσιν Jesu nostri spectasse Origenem in utroque loco allegato, manifestum est; siquidem utrobique loquitur de Christo ut summo Sacerdote, qui pro nobis apud Deum Patrem intercedit, quique tanquam ἱλασμὸν, *propitiationem*, pro peccatis nostris sese obtulit. Quod si Christum intueamur ut Deum, extra mediatorii officii respectum, rursus duplex ejusdem consideratio nobis occurrit. Nam vel absolute ut Deus spectatur, vel relate ut Deus ex Deo, sive Dei Filius. Sub priori consideratione si respiciamus τὸν λόγον, multis in locis clare fatetur Origenes, ipsi propter inenarrabili præstantia præcellentem divinitatem, quam cum Patre communem habet, eundem plane divinum cultum, quem Patri exhibemus, omnino deberi: hoc est, oportere nos mente et conceptione nostra (qua sola proprie Deum colimus) easdem divinæ naturæ perfectiones omnes Filio adscribere, quas Patri tribuimus. Repete loca, quæ jam citavimus in hoc capite §. 8. Sin Filium intueamur relate, qua Filius est, et ex Deo Patre trahit originem, tum rursus certum est, cultum et ve-

neration omnem, quem ipsi deferimus, ad Patrem redundare, in ipsumque, ut πηγὴν θεότητος, ultimo referri[t]. Huc etiam respexisse videtur Origenes in posteriori loco ab Huetio citato, ubi post verba allegata hæc ἀμέσως subjiciuntur: Περὶ τὸν Θεὸν οὖν ἡ πίστις ἡμῶν, διὰ τοῦ ταύτην βεβαιοῦντος ἐν ἡμῖν υἱοῦ αὐτοῦ. καὶ οὐδεμίαν ἡμῶν ἔχει δεῖξαι στάσιν περὶ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ὁ Κέλσος· καὶ σέβομέν γε τὸν Πατέρα, θαυμάζοντες αὐτοῦ τὸν υἱὸν, λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ ἀλήθειαν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ πάντα ἅπερ εἶναι μεμαθήκαμεν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, οὕτω δὴ καὶ τὸν γεννηθέντα ἀπὸ τοιούτου Πατρός. i. e. "Itaque in Deo "fides nostra consistit, per confirmantem eam in no- "bis ipsius Filium. Nec est quod Celsus nobis se- "ditionem objiciat propter Filium; veneramur enim "Patrem, eo quod admiramur ejus Filium, Verbum, "et Sapientiam, et Veritatem, et Justitiam, et quic- "quid didicimus esse Dei Filium, e tali Patre pro- "genitum." Hanc doctrinam sanam et catholicam esse norunt omnes, qui in veterum doctorum scriptis vel mediocriter versati fuere. Quid, quod hæc Patris ἐξοχὴ in omnibus catholicæ ecclesiæ Liturgiis hodieque agnoscitur? Nam et in δοξολογίαις Deum Patrem ἐν πρώτῃ τάξει (ut Justinus loquitur) glorificamus, et preces plerasque ad ipsum dirigimus. Qua de re notatu sane digna sunt Petavii, Crellio de Spiritu Sancto respondentis, verba de Trinit. III. 7. 15. "Nam," inquit, "quod ad Spiritum Sanctum "preces in ecclesia publice fere non diriguntur, "frustra ex eo calumniam struit Crellius; siquidem "veteri ex usu pleræque ad Patrem referuntur. At- "que ita decretum legimus in Carthaginensi tertia "synodo, canone XXIII. *ut cum ad altare assisti-*

[t] Vide quæ de primitivæ ecclesiæ δοξολογίαις observavimus supra c. 3. §. 6. [p. 142.]

" *tur, semper ad Patrem dirigatur oratio.* Nimi-
" rum quia tunc Christi corpus, sive homo Christus
" offertur, ac veteris et cruenti sacrificii memoria
" celebratur, æquum est ad Patrem, velut auctorem
" ac principium, referri omnia; uti summum imite-
" mur Sacerdotem et Pontificem, Christum Domi-
" num; qui tum omnia dicta factaque sua Patris ad
" honorem referre solebat; tum in illo postremo sa-
" crificio *tradidit semetipsum pro nobis oblationem,*
" *et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Nec est
" inde consequens aut Christum Deum non esse, aut
" nec Spiritum Sanctum; sed hoc solum, esse sum-
" mum utriusque principium, a quo uti proprietati-
" bus distincti sunt, sic natura et substantia non
" discrepant."

16. Hactenus ea defendimus, quæ viri doctissimi Petavius et Huetius in libris Origenis contra Celsum reprehenderunt. Cæterum præter ista, Hieronymus olim (odio scil. suo in Origenem, seu potius in Origenis interpretem Ruffinum, nimium indulgens, indeque omnia ejus verba dictaque in pessimum sensum trahere amans) et alia complura de Filio Dei in aliis Origenis scriptis absurde atque impie dicta notavit, quæ omnia ex uno opere contra Celsum facile refelluntur; præcipua attingemus. In Epistola LIX. ad Avit.[u] errores recensens librorum περὶ ἀρχῶν, scripsisse Origenem ait Hieronymus, in primo ejus operis volumine, " Deum Patrem, per " naturam invisibilem, etiam a Filio non videri;" et in secundo[x]: " Restat ut invisibilis sit Deus. Si " autem invisibilis per naturam est, neque Salvatori " visibilis erit." Idem in Epistola LXI. ad Pam-

[u] [Ep. CXXIV. 2. vol. I. p. 911.]

[x] [§. 6. p. 916.]

mach. cap. 3.[y] ex libris περὶ ἀρχῶν adfert ac damnat hæc Origenis verba: " Sicut enim incongruum est " dicere, quod possit Filius videre Patrem, ita in- " conveniens est opinari, quod Spiritus S. possit vi- " dere Filium." Et primarium hunc ac præcipuum inter Origenis errores statuit Epiphanius Hæres. LXIV. capite 4. et in Ancorato capite 63. Sed audiamus ipsum Origenem in opere illo indubitato con- 122
tra Celsum[z], suam de scientia, qua Pater et Filius se mutuo cognoscunt, sententiam clare explicantem his verbis: Ἀλλὰ καὶ ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ Κύριος, λόγος τοῦ Θεοῦ, τὸ μέγεθος παριστὰς τῆς γνώσεως τοῦ Πατρὸς, ὅτι κατ' ἀξίαν προηγουμένως αὐτῷ μόνῳ λαμβάνεται καὶ γιγνώσκεται, δευτέρως δὲ τοῖς ἐλλαμπομένοις τὸ ἡγεμονικὸν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου καὶ Θεοῦ, φησὶν, Οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, οὐδὲ τὸν Πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἂν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ. οὔτε γὰρ τὸν ἀγένητον καὶ πάσης γενητὴς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν εἰδέναι τις δύναται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν Πατὴρ, οὔτε τὸν Πατέρα ὡς ὁ ἔμψυχος λόγος, καὶ σοφία αὐτοῦ καὶ ἀλήθεια. i. e. " Quin et Servator noster ac Dominus, " Dei Verbum, magnitudinem cognitionis indicans, " qua Pater ejus noscitur, quodque pro dignitate ab " ipso solo noscatur, secundo vero loco ab illuminatis " mentibus per illud ipsum Verbum ac Deum, *Ne-* " *mo*, inquit, *novit Filium nisi Pater, neque Patrem* " *nisi Filius, et cui Filius revelaverit.* Nam ne- " que infectum, atque ante omnem factam naturam " genitum quisquam pro dignitate potest nosse, sicut " Pater ipse qui genuit; neque Patrem quisquam, " sicut animatum ejus Verbum, Veritas et Sapi- " entia." Nihil magis catholice dictum unquam fuit.

[y] [Vol. II. p. 413. non enim inter Epistolas hoc opus collocatur in ed. Bened.]

[z] Lib. VI. p. 286. [17. p. 643.]

Quin et Origenem supra [a] dicentem audivimus, Deum Patrem esse τῷ λόγῳ, *Verbo* sive Filio suo ἐφικτὸν, *comprehensibilem*. Ad loca Origenis quod attinet, ex libris περὶ ἀρχῶν desumpta, poteram respondere, ex omnibus Origenis scriptis ista περὶ ἀρχῶν maxime esse corrupta atque interpolata, idque a Ruffino [b] multis argumentis ostensum esse. Sed tali hic responsione opus non habemus, cum ipsa Origenis verba, prout a Ruffino integre producuntur [c], qui et scopum auctoris et contextum sermonis explicat, suæ purgationi abunde sufficiant. Sic se res habuit; Origenes in libro primo *Peri Archon* quæstionem moverat adversus eos, qui Deum corporeum dicunt, et humanis eum membris habituque describunt; quod præcipue Valentinianorum et Anthropomorphitarum hæresis asserebat. Hosce contra hæreticos Origenes ecclesiasticam fidem defendens, omni genere incorporeum esse Deum, et idcireo etiam invisibilem rationibus confirmarat. Dein provocante ipsum quæstionis ordine, hæc subjungit [d]: " Verum istæ assertiones minus fortassis auctoritatis " habere videantur apud eos, qui ex S. Scripturis de " rebus divinis institui volunt, et etiam sibi inde " approbari quærunt, quomodo natura Dei super- " eminet corporum naturam. Vide ergo si non et- " iam apostolus hoc idem ait, cum de Christo loqui- " tur, dicens, *Qui est imago invisibilis Dei, pri-* " *mogenitus omnis creaturæ*. Non enim, ut qui- " dam putant, natura Dei alicui visibilis est, et aliis

[a] Vide hujus capitis §. 9. [p. 304.]

[b] Vide prolegom. Ruffini in lib. περὶ ἀρχῶν.

[c] Vide Ruffini Invectiv. inter opera Hieronymi tom. IX. p. 139. [vol. II. p. 598.]

[d] [1, 8. vol. I. p. 52.]

" invisibilis; non enim dixit apostolus, *imago invi-*
" *sibilis Dei hominibus,* aut *invisibilis peccatori-*
" *bus,* sed valde constanter pronunciat de ipsa na-
" tura Dei dicens, *imago invisibilis Dei.* Sed et
" Joannes in evangelio dicens, *Deum nemo vidit un-*
" *quam,* manifeste declarat omnibus, qui intelligere
" possunt, quia nulla natura est, cui visibilis sit
" Deus; non quasi qui visibilis quidem sit per natu-
" ram, et velut fragilioris creaturæ evadat atque ex-
" cedat aspectum; sed quoniam naturaliter videri
" impossibile est. Quod si requiras a me, quid et-
" iam de ipso Unigenito sentiam, si ne ipsi quidem
" visibilem dicam naturam Dei, quæ naturaliter in-
" visibilis est, ne tibi statim vel impium videatur
" esse, vel absurdum; rationem quippe dabimus con-
" sequenter. Aliud est videre, aliud cognoscere;
" videri et videre corporum res est; cognosci et
" cognoscere intellectualis naturæ est. Quicquid
" ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre est
" nec de Filio sentiendum. Quod vero ad naturam
" pertinet Deitatis, hoc inter Patrem et Filium con-
" stat. Denique etiam ipse in evangelio non dixit,
" quia *nemo vidit Patrem nisi Filius, neque Fili-*
" *um nisi Pater*; sed ait, *Nemo novit Filium nisi*
" *Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius.* Ex
" quo manifeste indicatur, quod quicquid inter natu-
" ras corporeas videri et videre dicitur, hoc inter Pa-
" trem et Filium cognoscere dicitur et cognosci, per
" virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem.
" Quia igitur de incorporea natura et invisibili nec
" videre proprie dicitur nec videri; idcirco neque
" Pater a Filio, neque Filius a Patre videri in evan-
" gelio dicitur, sed cognosci." Quis cum Ruffino
non statim agnoscat, in his verbis Origenem de c

paratione Patris et Filii nihil dicere, sed de ipsa Deitatis natura quærere, si ei aptum ullo genere visibilitatis vocabulum videretur? Non enim negat, imo satis aperte docet Origenes, Patrem æque a Filio percipi, ac Filium a Patre, hoc est, perfectissime; id tantum dicit, alterum ab altero percipi, "non per visibilitatis fragilitatem, sed per scientiæ "virtutem." Quid vero ad hæc Hieronymus? audi et judica. Sic igitur ille Apolog. advers. Ruffin. lib. II.[e] "In primo libro περὶ ἀρχῶν," inquit, "ubi
123 "Origenes lingua sacrilega blasphemavit, quod Fi-"lius Patrem non videat, tu etiam causas reddis, "quasi ex persona ejus qui scripsit; et Didymi in-"terpretaris σχόλιον, in quo ille casso labore conatur "alienum errorem defendere; quod Origenes qui-"dem bene dixerit, sed nos simplices homines et "cicures Enniani nec illius sapientiam, nec tuam, "qui interpretatus es, intelligere possumus." Quare autem non demonstrat verba Origenis σχόλιον istud Didymi (viri sane in ecclesia magni nominis, et Hieronymi ipsius olim magistri) respuere, aut a Ruffino haud bona fide recitari ac transferri? credo, quia non poterat. Nimirum Hieronymo solenne erat (pro ea, qua pollebat, rhetoricandi facultate) argumenta, quibus premebatur, vel silentio plane præterire, vel jocis ac dicteriis eludere. Certe Ruffini, atque ante ipsum Didymi, responsionem verissimam esse satis indicant verba Origenis, prout ab ipso Hieronymo allegantur. Ait quippe Origenem scripsisse, "Deum "Patrem, per naturam invisibilem, a Filio non vi-"deri;" et rursus, "Si Deus invisibilis per naturam "est, neque Salvatori visibilis erit." Hinc, inquam, non obscure colligitur, Origenem ideo dixisse Pa-

[e] Tom. II. p. 511. [§. 11. vol. II. p. 502.]

trem a Filio videri non posse, non quod Filius, tanquam fragilioris aspectus, non valeat Patrem videre, qui alioqui per naturam suam a competente facultate videri possit; sed quod Deus per se et ipsa natura sua invisibilis sit, hoc est incorporeus, neque sub aspectum cadat; eoque sensu Patrem et Filium sibi invicem pariter invisibiles pronuntiasse. Ut quod res est libere dicam, Hieronymus in hac Origenis accusatione animum a candore alienum atque affectibus abreptum ita manifeste prodidit, ut in cæteris criminationibus fidem sibi omnem derogasse videatur. Quod et facile agnoscet, quisquis hac de re Invectivas, quæ dicuntur, Ruffini cum Hieronymi adversus Ruffinum Apologia conferre non gravabitur.

17. Deinde in eadem Epistola ad Avitum et illud Origeni tribuit Hieronymus impium pronuntiatum, "Filium comparatum Patri non esse veritatem; "apud nos autem imaginariam veritatem videri." Alii ex veteribus atrociorem blasphemiam ipsi impingunt, nempe "Filium Patri collatum esse men-"dacium." Quis vero sanus existimet Origenem ita delirasse? certe jam superius ostendimus, Origenem tum in libris contra Celsum, tum alibi docuisse verbis disertis, Filium Dei esse αὐτοαλήθειαν, *ipsissimam veritatem*. Sed responsio ad hanc objectionem elucere videtur ex ipsa objectione, prout Græce proponitur ab anonymo defensore Origenis, apud Photium cod. 117. Is ibidem inter capita in Origene reprehendi solita postremum illud ponit: Ὅτι ἡ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, ὡς πρὸς ἐκεῖνον, οὗ ἐστιν εἰκὼν, καθ' ὃ εἰκὼν, οὐκ ἔστιν ἀλήθεια. i. e. "Imaginem Dei respectu ejus, "cujus est imago, quatenus est imago, non esse veri-

" tatem [f]." Quæ propositio si expendatur, sana videbitur et catholica. Nam Filium, quatenus est imago Patris, non esse veritatem, hoc est, non ipsum esse Patrem, cujus est imago, certissimum est. Scilicet hoc ab Origene dictum videtur contra Noetianos, qui eandem esse Patris et Filii personam asserebant. Cæterum Filium Dei esse Patris sui veram, vivam ac perfectissimam imaginem, ipsi Patri per omnia, etiam magnitudine, respondentem, diserte docet Origenes lib. VI. cont. Cels. quem locum infra integrum adducemus [g].

18. Denique et hanc Origeni blasphemiam ascribit in Epistola ad Avitum Pater Stridonensis: " Deum Patrem esse lumen incomprehensibile; " Christum collatione Patris splendorem esse per- " parvum." Atqui Patrem et Filium pariter esse incomprehensibiles, in libris cont. Cels. non uno in loco diserte docuisse Origenem, supra vidimus. Videtur autem hæc criminatio ex iis locis petita, ubi dicit Origenes, " In Patre nullas esse tenebras; " Filium vero in tenebris lucere [h]." Sed mentem ac sententiam suam iis in locis clare explicavit ipse Origenes tom. IV. in Joan.[i] his verbis: Μηδεὶς δ' ἡμᾶς ὑπολαμβανέτω ταῦτα λέγειν ἀσεβοῦντας εἰς τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ. ᾧ γὰρ λόγῳ ὁ Πατὴρ μόνος ἔχει ἀθανασίαν, τοῦ Κυρίου ἡμῶν διὰ φιλανθρωπίαν θάνατον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀνειληφότος, τούτῳ ὁ Πατὴρ ἔχει μόνος τὸ, σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδε-

[f] [Vid. Ruffini interpretationem in lib. περὶ ἀρχῶν I. 2, 6. p. 56. quæ his Græcis satis parum congruit.]

[g] [Cf. Huetii Origenian. II. 2. 16. p. 126. et ibi annotata in ed. Benedict.]

[h] [Petitur forsan e l. de Princip. I. 2, 8. p. 56.]

[i] Edit. Huet. p. 73. [tom. II. 21. p. 79.]

μία, τοῦ Χριστοῦ διὰ τὴν πρὸς ἀνθρώπους εὐεργεσίαν ἐφ' αὑτὸν τὰς ἡμῶν σκοτίας ἀναδεδεγμένου. i. e. "Nec vero suspi-
"cetur nos quisquam hæc dicere minus pie Chris-
"tum Dei colentes. Nam qua ratione solus Pater
"habet immortalitatem, quia Dominus noster nos-
"trum nomine mortem ob amorem erga genus hu-
"manum pertulerit, hac Pater solus habet, ut in
"ipso nullæ sint tenebræ; cum Christus, ut ho-
"mines beneficio afficeret, tenebras nostras in seip-
"sum receperit."

19. Ita tandem doctrinam librorum Origenis contra Celsum, in articulo de Filio Dei, orthodoxam esse et catholicam clare ostendimus; impiisque adeo dictis, quæ Hieronymus et alii egregio doctori attribuerunt, assertiones plane contrarias, ex eodem opere indubitato productas, opposuimus. Qui vero testimonia illa catholica, quæ in cæteris Origenis scriptis reperiuntur, cupit cognoscere, consulat ille Pamphili martyris Apologiam pro Origene, (quam vere Pam- 12
phili esse contra Hieronymum mox liquido probabimus,) quæ extat inter opera Hieronymi tom. IX.[k] Nobis loca quædam selectiora ex illa Apologia hic recitasse sufficiat. Ex primo libro περὶ ἀρχῶν[l] hæc Origenis verba citat Pamphilus[m]: "Nulla ergo na-
"tura est, quæ non recipiat malum, excepta Dei na-
"tura, quæ fons omnium est. Et Christus[n] sapi-
"entia est; et sapientia utique stultitiam recipere
"non potest. Et justitia est; justitia autem nun-
"quam profecto injustitiam capiet. Et Verbum est

[k] Edit. Marian. Victor. Paris. 1623. [et in ed. Benedict. Origenis operum, vol. IV.]

[l] [c. 8, 3. p. 75.]

[m] Pag. 120. [c. 4. p. 27.]

[n] [In ed. Benedict. legimus, *fons bonorum omnium est, et Christi. Sapientia enim est*, &c.]

" vel ratio, quæ utique irrationabilis effici non pot-
" est. Sed et lux est; et lucem certum est quod
" tenebræ non comprehendant. Similiter autem et
" natura Spiritus Sancti, quæ sancta est, non recipit
" pollutionem; naturaliter enim vel substantialiter
" sancta est. Si qua autem alia natura sancta est,
" ex assumptione hoc, vel inspiratione Spiritus Sancti
" habet ut sanctificetur, non ex sua natura hoc pos-
" sidens, sed accidens; propter quod et decidere
" potest quod accidit." Hic Origenes diserte docet ἀναμάρτησιν, sive τὸ " malum non posse recipere," in solam Dei naturam competere; et simul non minus expresse dicit, neque Filium neque Spiritum S. posse malum recipere; omnino igitur sensit Origenes, et Filium et Spiritum S. in natura divina subsistere; quod eos notare velim, qui Origenem existimant saltem Spiritum Sanctum inter creaturas numerasse. Sed et mox ibidem totius SS. τριάδος inconvertibilitatem atque æternitatem clare agnoscit his verbis[o]: " Si revelante Filio cognoscit Patrem
" Spiritus Sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam
" venit; quod utique et impium pariter et stultum
" est, Spiritum S. confiteri, et ignorantiam ei adscri-
" bere. Non enim cum aliud aliquid esset ante-
" quam Spiritus Sanctus, per profectum venit in hoc,
" ut esset Spiritus Sanctus; ut quis audeat dicere,
" quia tunc quidem, cum nondum esset Spiritus
" Sanctus, ignorabat Patrem, postea vero quam re-
" cepit scientiam, etiam Spiritus Sanctus effectus
" est. Quod si esset, nunquam utique in unitate
" Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis, et Filii
" ejus, etiam ipse Spiritus S. haberetur, nisi quia et

[o] [De Princip. I. 3, 4. p. 62.]

"i pse semper erat Spiritus Sanctus." De Filio vero Dei sic scribit Origenes in primo libro Epistolæ ad Romanos, citante Pamphilo [p]: "Quærat fortassis "aliquis, si Filius charitas est, præcipue propter hoc "quod Joannes ad Deum Patrem retulit hanc vocem, "dicens, *quia Deus charitas est.* Sed rursum ex "ipsa ejus Epistola proferemus et illud quod ait, *Cha-* "*rissimi, diligamus invicem, quoniam charitas ex* "*Deo est.* Qui ergo dixit, *quia Deus charitas est,* "ipse iterum charitatem docet esse ex Deo; quam "charitatem credo non esse alium nisi unigenitum "Filium ejus, sicut Deum ex Deo, ita charitatem "ex charitate progenitum. Unigenitus [q] Filius Sal- "vator noster, qui solus ex Patre natus est, solus "natura et non adoptione Filius est." Mox ex Commentariis in Epistolam ad Hebræos hæc Origenis verba citat Pamphilus: "Oportet autem scire nos, "quia per ineffabilia quædam et secreta ac recondita "quemdam modum sibi faciens Scriptura sancta "conatur hominibus indicare et intellectum sugge- "rere subtilem. Vaporis enim nomen inducens, "hoc ideo de rebus corporalibus assumpsit, ut vel ex "parte aliqua intelligere possimus, quomodo Christus, "qui est sapientia, secundum similitudinem ejus va- "poris, qui de substantia aliqua corporea procedit, "sic etiam ipse ut quidam vapor exoritur de virtute "ipsius Dei; sic et sapientia, ex eo procedens, ex "ipsa substantia Dei generatur. Sic nihilominus et "secundum similitudinem corporalis aporrhœæ esse

[p] Pag. 122. [c. 5. p. 33. In Commentariis in Epist. ad Rom. prout a Ruffino translati nobis descenderunt, hæc verba nusquam occurrunt: v. not. ad I. 5. p. 466.]

[q] [Hæc verba secundum Pamphilum ex lib. V. in Joan. desumuntur.]

" dicitur aporrhœa gloriæ omnipotentis pura quædam " et sincera. Quæ utræque similitudines manifes- " tissime ostendunt, communionem substantiæ esse " Filio cum Patre. Aporrhœa enim homoousios vi- " detur, id est, unius substantiæ cum illo corpore, ex " quo est vel aporrhœa vel vapor." Denique adducit beatissimus martyr et hunc Origenis locum[r]: " Observandum namque est, ne quis incurrat in illas " absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam " sibi ipsis depingunt; ut divinam naturam in par- " tes vocent," (puto legendum *secent*,) " et Deum " Patrem, quantum in se est, dividant; cum hoc de " incorporea natura vel leviter suspicari non solum " extremæ impietatis sit, verum etiam ultimæ insi- " pientiæ; nec omnino vel ad intelligentiam conse- " quens, ut incorporeæ naturæ substantialis divisio " possit intelligi. Magis ergo sicut voluntas proce- " dit e mente, et neque partem aliquam mentis secat, " neque ab ea separatur aut dividitur, tali quadam " specie putandus est Pater Filium genuisse, imagi- " nem scil. suam; ut sicut ipse est invisibilis per na- " turam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. " Verbum enim est Filius, et ideo nihil in eo sensi- " bile intelligendum est. Sapientia est, et in sapi- " entia nihil corporeum suspicandum est. *Lumen* " est *verum, quod illuminat omnem hominem veni-* " *entem in hunc mundum*; sed nihil habet com- " mune ad solis hujus lumen."

20. Quis autem non videt, hisce Origenis locis a Pamphilo productis fidem catholicam de Filio Dei, adeoque de ὁμοουσίῳ Trinitate, apertissime confirmari? Verum horum testimoniorum auctoritatem elevare

[r] [Ex l. de Princip. 1, 2, 6. p. 55.]

conantur nonnulli hoc prætextu, quod loca allata in- 125
tegra nusquam comparuerint in Græca Pamphili sive Eusebii Apologia; sed a Ruffino in sua versione Latina conficta atque addita fuerint. Hujus sententiæ prora ac puppis est, quod Hieronymus Ruffino objiciat, Græcam Eusebii (nam Pamphili esse nolebat) Apologiam fidem Arianam revera propugnasse, ejusdemque fidei fuisse Origenem ostendisse. Sic enim ille Apol. advers. Ruffin. II. 4.[s] "Vir doctissi-
"mus Eusebius," inquit, "per sex volumina nihil
"aliud agit, nisi ut Origenem suæ ostendat fidei, id
"est, Arianæ perfidiæ." Hinc concludit Sandius[t], Apologiam sub Pamphili nomine a Ruffino Latine editam, "aut non esse Eusebii," (sive Pamphili,) "aut ita a Ruffino in Latinum versam, ut ne qui-
"dem linea genuina relicta fuerit, vel denique si
"quid genuinum a Ruffino fuit relictum, id oportet
"postea etiam ex Ruffini versione fuisse excisum." Sed fidem hic Hieronymo habendam non esse, validissimis argumentis evinci potest; nam primo Photius cod. 118. testatur, se in Græco legisse Pamphili Martyris et Eusebii pro Origene libros sex; in quibus nulla Arianæ perfidiæ vestigia notat severus ille censor, qui alioqui in aliorum scriptis constanter solet minima quæque reprehendere, quæ vel speciem Arianismi præ se ferant. Deinde idem Photius cod. 117. veterem quendam auctorem anonymum commemorans, qui Apologiam itidem pro Origene conscripserat, ait, auctorem illum in Apologia sua pro Origene ejusque sententiis pugnasse auctoritate tum aliorum antiquiorum scriptorum, tum imprimis Pamphili Martyris et Eusebii Cæsariensis. Μᾶλλον δὲ, in-

[s] [§. 16. vol. II. p. 507.] [t] De Script. Eccles. p. 47.]

quit, τῶν ἄλλων ἁπάντων Παμφίλῳ τε τῷ μάρτυρι ἐπερείδεται, καὶ τῷ Εὐσεβίῳ. i. e. " Præ cæteris vero Pamphilo " Martyri innititur et Eusebio." Ut indubium mihi videatur, anonymum illum eandem prorsus cum Pamphilo et Eusebio Origenem defendendi rationem secutum esse. Nunquid vero Arianus fuit apologista? nihil minus; nam ipse Photius, qui alioqui plerosque Origenis errores illi tribuit, diserte dicit, quod περὶ τῆς ἁγίας τριάδος οὐδὲν τῶν ἐσφαλμένων λέγει, i. e. " de S. Trinitate nihil erratorum adfert." Quomodo autem Origenem defendit auctor? Φησὶ δὲ, inquit Photius, καὶ περὶ τοῦ Ὠριγένους, μηδὲν αὐτὸν κατὰ δόξαν ἐσφάλθαι περὶ τῆς τριάδος. i. e. " Quin etiam hoc " asserit de Origene, nihil eum, quod quidem ad " dogma de Trinitate attinet, errasse." Ait mox Photius, scriptorem illum quindecim capita Origeni objecta (quorum tria prima, decimum tertium et ultimum ad articulum de Trinitate pertinent) probasse διαβολὰς εἶναι, ἐκ τῶν αὐτοῦ ἐκείνου συγγραμμάτων ποιούμενον τοὺς ἐλέγχους, " meras esse calumnias, ex " ipsiusmet" (Origenis) " scriptis allatis argumentis." Eandem plane rationem ac methodum servat Apologia sub Pamphili nomine a Ruffino edita. Sane ex his illud saltem efficitur, a Græco scriptore veteri, qui in articulo de S. Trinitate, vel Photio judice, catholicus fuit, allata fuisse ex ipsis Origenis scriptis, prout tum Græce extarent, testimonia, quæ catholicum pariter fuisse in eodem articulo Origenem ostenderent; atque hoc fecisse auctorem illum Pamphili Martyris et Eusebii exemplo, eorumque vestigiis insistentem. Denique alibi evidenter probavimus, nunquam Eusebium ipsum hæresim, quæ postea Arii dicta fuit, amplexum fuisse; neque igitur potuit Eusebius, sive solus, sive cum Pamphilo, (nam utri-

usque esse opus infra [u] ostendemus,) Arianam impietatem in Origene defendere. Sed videntur Pamphilus et Eusebius in defensione illa quædam attulisse ex Origene testimonia, quibus voculæ et dicta nonnulla admixta essent, quæ catholicis auribus Hieronymi ætate minus placuerunt, utpote ab Arianis tum ad hæresim suam propagandam usurpata; quæ testimonia propterea resecuisse videtur a sua versione Ruffinus, ea transferre contentus Origenis loca, a Pamphilo producta, quæ catholicam doctrinam verbis plane catholicis traderent. Quod innuere videtur ipse Ruffinus, cum in Epilogo ad translationem suam ad Macarium ait, se "Apologeticum sancti martyris "Pamphili, prout potuit, vel RES POPOSCIT, Latino "sermone digessisse." Cæterum persuasum habeo, Ruffinum nullum Origenis testimonium in sua versione posuisse, quod non in Pamphili et Eusebii Apologia totidem verbis haberetur; nihilque, quicquid detraxerit, de suo addidisse. Nam ipse Ruffinus, (quem virum fuisse sinceræ pietatis studiosum, multa ostendunt, utcunque ipsum Romanis invisum reddiderint Hieronymi vafræ artes,) sub initium præfationis suæ in Apologiam Pamphili ad Macarium sancte profitetur, se in eo opere *non suam* de Origene *sen-* 126
tentiam, sed sancti martyris Pamphili sciscitanti Macario exposuisse: Origenemque non proprio, sed *alieno sermone* defendisse. Mox ibidem hoc in negotio ad tremendum Dei judicium provocat adversarios his verbis: "Sed quoniam ad judicium Dei "venturi sumus, non refugiant scire quod verum est, "ne forte ignorantes delinquant; sed considerantes "quia falsis criminationibus percutere fratrum in-

[u] Vide hujus Sectionis 13. 3.

" firmorum conscientias, in Christum peccare est, " ideo non accommodent criminatoribus aurem suam, " nec ab alio discant alterius fidem, maxime cum " coram experiri sit copia, et oris sui confessio, quid " vel qualiter unusquisque credit, ostendat. Qualiter " ergo sentiat Origenes in singulis [x], tenor libelli hu- " jus edoceat." In vertendis quidem plerisque Origenis libris multa de suo addidisse Ruffinum constat; sed quotiescunque ea libertate usus fuerit, de eo lectorem suum, prout hominem probum et veri amantem decebat, ipse expresse monuit [y]. Quid? quod ipse Hieronymus, qui alioqui tam manifestam fraudem Ruffino neutiquam condonaturus fuisset, ne unum quidem Origenis locum in Pamphili sive Eusebii Apologia citatum notavit, qui aliter a Ruffino Latine redditus fuerit, quam sive in Apologia illa, sive apud ipsum Origenem legeretur.

21. Quis vero non miretur Hieronymum, hæc Ruffino de ipsa ejus versione objicientem? " Multa," inquit [z], " in illo scandala reperiuntur et apertissimæ " blasphemiæ. Dicit Eusebius, imo, ut tu vis, Pam- " philus in isto volumine, Filium Patris ministrum; " Spiritum S. non de eadem Patris Filiique substan- " tia; animas hominum lapsas esse de cœlo, &c." Nam etsi Pamphilus quidem in Apologia a Ruffino versa inducatur Origenem defendens, in eo quod animarum . præexistentiam crediderit, blasphemia tamen illa de Spiritu S. nusquam in eo opere reperitur. Dices, Ruffinum ab Hieronymo admonitum

[x] [In edit. Benedict. legitur, Qualiter ergo Origenes de singulis capitulis sanctarum Scripturarum senserit, &c.]

[y] Vide Ruffin. præf. in lib. περὶ ἀρχῶν et Perorat. ad Comment. Origenis in Epist. ad Roman.

[z] Apol. advers. Ruffin. II. 4. [§. 15. vol. II. p. 506.]

e suis ipsam codicibus expunxisse. Sed unde igitur evenit, ut nullum ejus operis exemplar hodie extet, in quo blasphemia ista reperiatur? Nam longe lateque dispersa fuerant Ruffinianæ translationis exemplaria, antequam illud objecerit Hieronymus. Nunquid verisimile est, Ruffinum, hominem scil. Romæ despicatui habitum per Hieronymi artes, potuisse omnes illos codices priores sive supprimere, sive emendare? Deinde Ruffinus in Epilogo ad Pamphili Apologiam, qualis primum ab ipso edita fuit, (quod ex Hieronymo etiam discimus,) Macarium sic alloquitur: "In his quæ in superiori libro, secundum "Apologeticum sancti martyris Pamphili, quem pro "Origene Græco sermone edidit, prout potuimus vel "res poposcit, Latino sermone digessimus, illud est "quod te, desideriorum vir Macari, admonitum esse "volo, ut scias hanc quidem fidei regulam, quam de "libris ejus supra exposuimus, esse, quæ et am-"plectenda sit, et tenenda. In omnibus enim his "catholicum inesse sensum evidenter probatur." Fieri sane non potuit, ut Ruffinus, vir in articulo de S. Trinitate absque dubio catholicus, in tam aperta blasphemia catholicum inesse sensum evidenter probari consulto diceret, idque in illo ipso ad Macarium libro, quo credere se religiose profitetur[a], "quod sancta Trinitas coæterna sit, et unius naturæ, "uniusque virtutis et substantiæ;" atque aliter docenti anathema denuntiat. Numquid vero ita stupidus fuit Ruffinus, ut spissam adeo blasphemiam in sua translatione ipse absque monitore non animadverteret? minime gentium; quid igitur dicendum? det mihi hic lector æquus conjectandi veniam. Pam-

[a] Vide Ruffini præf. ad Macar.

philus prope finem Apologiæ a Ruffino versæ [b], Origenis errorem de animarum προϋπάρξει defendens, vel certe excusans, contraque eos disputans, qui animarum traductionem defenderent, duo horum genera describit; alterum eorum, qui cum animas hominum ex traduce esse docerent, primam tamen animam ex Dei esse substantia defenderent; eorum alterum, qui ex nihilo factam a Deo esse animam illam primam assererent. Adversus priores ita disserit Pamphilus; "Jam vero illi, qui ex traduce animas venire affir-
"mant, et simul cum corporali eas semine seminari,
"siquidem, ut quidam ipsorum affirmare solent, non
"aliud dicunt animam esse quam insufflationem Spi-
"ritus Dei, illam scil. quam initio facturæ mundi
"Deus dicitur insufflasse in Adam, de ipsa Dei esse
"eam substantia profitentes; quomodo non et isti
"videbuntur quodammodo hæc præter Scripturæ
"regulam et rationem pietatis asserere, quod sub-
"stantia Dei est quæ peccat?" Vix dubito, quin ex his verbis istam Pamphilo calumniam struxerit Hieronymus. Quippe cum veterum multis sensit Hieronymus, spiraculum vitæ, quod Deus primo homini insufflasse dicitur, fuisse ipsum Spiritum S. eidem homini una cum anima ejus infusum. Sic in commentariis in cap. iv. Epist. ad Eph.[c] ad verba illa, *Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis in die redemptionis*, hæc annotat; "Signati au-
"tem sumus Spiritu Dei Sancto, ut et Spiritus noster
"et anima imprimantur signaculo Dei, et illam re-
127 "cipiamus imaginem et similitudinem, ad quam in
"exordio conditi sumus. Hoc signaculum Sancti
"Spiritus, juxta eloquium Salvatoris, Deo impri-
"mente signatur." Ubi imaginem et similitudinem

[b] Pag. 127. [c. 9. p. 43.] [c] [Vol. VII. p. 632.]

illam Dei, ad quam in ipsa sua creatione efformatus fuit homo, interpretatur signaculum Spiritus Sancti; quod ideo omnino fecisse videtur, quia spiraculum vitæ, quod Deus cum primum hominem formaret ipsi insufflasse dicitur, Spiritum fuisse S. credidit. Hoc clarius dixit Tertullianus lib. de Baptismo c. 5.[d] ubi de regeneratione hominis, quæ per baptismum fit, sic loquitur: "Ita restituitur homo Deo ad si-"militudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei "fuerat, &c. Recipit enim illum Dei Spiritum, "quem tunc de adflatu ejus acceperat, sed post ami-"serat per delictum." Hinc igitur factum videtur, ut ex eo quod insufflationem Spiritus Dei Pamphilus, sive auctor Apologiæ (intelligens nimirum per insufflationem, juxta cum adversariis quos refellit, nihil aliud quam ipsam hominis animam) negaret de substantia esse Dei, ipsum calumniatus fuit Hieronymus, quasi docuisset, Spiritum Dei, tertiam Divinitatis personam, de substantia Dei non esse, proindeque Dei ministrum sive creaturam esse. Si cui autem hæc conjectura nostra minus placeat, illi necessario dicendum videtur, Ruffini versionem Apologiæ Pamphili ab inimicis ejus et Hieronymi partiariis corruptam fuisse, atque ex depravato aliquo codice istam criminationem arripuisse Hieronymum. Sane de tali injuria, interpretationi suæ librorum Origenis περὶ ἀρχῶν facta, conqueritur ipse Ruffinus, Deum καρδιογνώστην injuriæ vindicem appellans. Sic enim ille in Invectivarum adversus Hieronymum lib. I.[e] "Ipsa, sicut transtuleram, mea verba posuis-"sent. Sed nunc ausculta, quid faciant; et flagitii "eorum require, si ullum præcessit, exemplum. In

[d] [Pag. 226.]

[e] Inter opera Hieron. tomo IX. p. 140. [vol. II. p. 600.]

" eo loco, ubi scriptum erat, Quod si requiris a me, " quid etiam de ipso Unigenito sentiam; si ne ipse " quidem visibilem dicam naturam Dei, qui natura- " liter invisibilis est, non tibi statim vel impium vi- " deatur esse, vel absurdum: rationem quippe dabi- " mus consequenter; pro eo quod nos scripsimus, " *rationem quippe dabimus consequenter*, illi scrip- " serunt, Non tibi statim impium vel absurdum vi- " deatur esse; *quia sicut Filius Patrem non videt*, " *ita nec Spiritus S. videt Filium*. Hoc si in foro " positus vel negotiis sæcularibus commisisset ille, " qui de monasterio Romam, quasi calumniandi pe- " ritissimus, missus est, norunt omnes, quid conse- " queretur ex legibus publicis ejusmodi criminis reus. " Nunc vero quia sæcularem vitam reliquit, et a ter- " giversatione illa actuum publicorum ad monaste- " rium conversus est, et adhæsit magistro nobili, ab " ipso edocetur iterum pro modestia furere, insanire; " pro quiete seditiones movere; pro pace movere " bellum; pro concordia movere dissidia; perfidus " esse pro fide, pro veritate falsarius." Mox ibidem de falsario illo narrat ista; " Cum falsam," inquit, " hujusmodi sententiam apud Mediolanum recitaret, " et a me, quæ exigebat, falsa esse dicerentur, in- " terrogatus a quo accepisset exemplaria, respondit, " Matronam quandam sibi dedisse; de qua ego, " Quæcunque illa est, nihil dico; sed sui eam et Dei " conscientiæ derelinquo." Atque de Pamphili Apo- logia pro Origene hæc inpræsentiarum dixisse suf- ficiat.

22. Ut caput hoc tandem claudam, dum allata su- perius Origenis loca attentius perpendo, ita mecum statuo; Patrem illum, tot theologorum, qua vete- rum qua recentiorum, censuris vexatum in articulo

de Filii divinitate, adeoque de S. Trinitate, revera catholicum fuisse, quanquam in modo articulum explicandi aliter nonnunquam locutus fuerit, quam hodie catholici solent; quod ipsi cum reliquis fere omnibus Patribus, qui concilium Nicænum antecesserunt, commune fuit. Imo liceat mihi in scriptis Origenis non indiligenter versato, post accurate expensam etiam ipsius a veteribus descriptam historiam, judicium meum de theologia ejus universim libere absque cujusquam invidia proferre. Erat vir ille, ut omnes consentiunt, eximie quidem pius; sed curiosi nimium ac pene lascivientis ingenii. Pietas et religio cohibuit hominem, quo minus in regula fidei (cujus pars magna est dogma de SS. Trinitate,) quicquam innovaret. In aliis vero, quæ salva fidei regula in controversiam vocari poterant, nimium ingenio suo indulgens, non pauca protulit a communiori doctorum sibi ὁμηλίκων sententia longius discrepantia. Huc refero paradoxa illa de animæ præexistentia, de luminaribus cœli animatis, de infinitis mundis, et similia. Sed et in his conservavit modestiam quæ pium decuit, cum ea proposuerit non dogmatice et asseveranter, sed tanquam veritatem in quæstionibus nondum ecclesiæ judicio expresse definitis diligenter inquirens. Qua de re consule omnino Pamphili Apologiam non longe ab initio[f].

23. Hoc nostrum de Origene judicium, præter testimonia jam a nobis in hoc capite adducta, multa alia confirmant. Primo defensores Origenis, qui in articulo de S. Trinitate catholici fuere, (cum alia ipsi tributa heterodoxa placita, quæ nempe modo commemoravimus, non diffiterentur, ea vel excusantes, 128

[f] Vide et Huetii Origenian. II. p. 189. [lib. II. Quæst. 14. c. 3. §. 11, 12. p. 255.]

etiam defendentes,) cum catholicis tamen omnide Trinitate sensisse illum ipsum Origenem ...ter contenderunt. Hac ratione Origenem defendisse Pamphilum Martyrem, et anonymum apologistam apud Photium, paulo ante ostendimus; eandemque viam inivisse in sua Origenis defensione Didymum Alexandrinum, virum pietate et eruditione insignem, et Nicænæ fidei constantissimum propugnatorem, auctor est ipse Hieronymus; qui Apol. advers. Ruffin. II. 4. sic ipsum Ruffinum alloquitur[g]: "Quid," inquit, "respondebis pro Didy-
" mo, qui certe in Trinitate catholicus est, cujus
" etiam nos de Spiritu Sancto librum in Latinam
" linguam vertimus? certe hic in iis, quæ ab hære-
" ticis in Origenis operibus addita sunt, consentire
" non potuit; et in ipsis περὶ ἀρχῶν, quos tu inter-
" pretatus es, libris breves dictavit commentariolos,
" quibus non negaret ab Origene scripta quæ scripta
" sunt, sed nos simplices homines non posse intelli-
" gere quæ dicuntur; et quo sensu in bonam par-
" tem accipi debeant, persuadere conatur. Hoc dun-
" taxat de Filio et Spiritu Sancto; cæterum in aliis
" dogmatibus et Eusebius et Didymus apertissime
" in Origenis scita concedunt, et, quod omnes eccle-
" siæ reprobant, catholice et pie dictum esse defen-
" dunt." Notatu quoque digna sunt de Basilio Magno et Gregorio Nazianzeno verba Socratis Hist. Eccl. IV. 26. Καίτοι, inquit, τῶν Ἀρειανῶν τὰ Ὠριγένους βιβλία εἰς μαρτυρίαν, ὡς ᾤοντο, τοῦ ἰδίου καλούντων δόγματος, αὐτοὶ ἐξήλεγχον, καὶ ἐδείκνυον μὴ νοήσαντας τοῦ Ὠριγένους σύνεσιν. i. e. "Et quamvis Ariani libros Origenis
" ad dogmatis sui, ut putabant, confirmationem ad-

[g] Tom. III. p. 512. [§. 16. vol. II. p. 507.]

" ducerent, illi tamen eos redarguerunt, et Origenis " doctrinam ab iis nequaquam intelligi demonstra- " runt." Secundo, antiquiores Origenis inimici et adversarii præcipui, qui de aliis acerrime et inclementer nimis ipsum exagitarunt, de aliqua ejus hæresi circa Trinitatis dogma fere siluerunt. Nam Socrates Hist. Eccl. VI. 13. de primariis Origenis accusatoribus, Methodio nempe, Eustathio, Apollinari et Theophilo (quos liberius locutus κακολόγων τετρακτὺν, *maledicorum quaternionem* nuncupat) agens, hæc de ipsis animadvertit: Ἐγὼ δέ τι, inquit, καὶ πλέον ἐκ τῆς ἐκείνων αἰτιάσεως εἰς σύστασιν Ὠριγένους φημί. οἳ γὰρ κινήσαντες ὅσαπερ ἤροντο μέμψεως ἄξια, δι' ὧν ὡς κακῶς δοξάζοντα περὶ τῆς ἁγίας τριάδος οὐδ' ὅλως ἐμέμψαντο, δείκνυνται περιφανῶς τὴν ὀρθὴν εὐσέβειαν μαρτυροῦντες αὐτῷ. i. e. "Ego vero ex illorum reprehensione aliquid " amplius accedere ad commendationem Origenis af- " firmo. Etenim qui omnia undique conquisiverunt, " quæ reprehensione digna existimabant, ii certe " cum illum minime reprehenderint tanquam de " Trinitate male sentientem, rectæ ac sinceræ pieta- " tis testimonium ei perhibere manifestissime con- " vincuntur." Theophilus quidem Epistolarum Paschalium ab Hieronymo Latine versarum, quæ tum in magna bibliotheca Patrum, tum inter opera Hieronymi hodie extant, Epistola prima (si fides Hieronymo habenda sit) quædam Origenis errata de Trinitate reprehendit. Sed ista nullo negotio dilui potuissent, si iis nunc vacaremus. Certe autem Sulpicius Severus, optimæ fidei historicus, Dial. I. cap. 8.[h] historiam concilii, per Theophilum suis temp[illegible] adversus Origenis scripta congregati, narran[illegible]

[h] Pag. 548. edit. Lugdun. Batavor. 1654.

" ducerent, illi tamen eos redarguerunt, et Origenis " doctrinam ab iis nequaquam intelligi demonstra- " runt." Secundo, antiquiores Origenis inimici et adversarii præcipui, qui de aliis acerrime et inclementer nimis ipsum exagitarunt, de aliqua ejus hæresi circa Trinitatis dogma fere siluerunt. Nam Socrates Hist. Eccl. VI. 13. de primariis Origenis accusatoribus, Methodio nempe, Eustathio, Apollinari et Theophilo (quos liberius locutus κακολόγων τετρακτὺν, *maledicorum quaternionem* nuncupat) agens, hæc de ipsis animadvertit: Ἐγὼ δέ τι, inquit, καὶ πλέον ἐκ τῆς ἐκείνων αἰτιάσεως εἰς σύστασιν Ὠριγένους φημί. οἳ γὰρ κινήσαντες ὅσαπερ ἤνεγκαν μέμψεως ἄξια, δι' ὧν ὡς κακῶς δοξάζοντα περὶ τῆς ἁγίας τριάδος οὐδ' ὅλως ἐμέμψαντο, δείκνυνται περιφανῶς τὴν ὀρθὴν εὐσέβειαν μαρτυροῦντες αὐτῷ. i. e. " Ego vero ex illorum reprehensione aliquid " amplius accedere ad commendationem Origenis af- " firmo. Etenim qui omnia undique conquisiverunt, " quæ reprehensione digna existimabant, ii certe " cum illum minime reprehenderint tanquam de " Trinitate male sentientem, rectæ ac sinceræ pieta- " tis testimonium ei perhibere manifestissime con- " vincuntur." Theophilus quidem Epistolarum Paschalium ab Hieronymo Latine versarum, quæ tum in magna bibliotheca Patrum, tum inter opera Hieronymi hodie extant, Epistola prima (si fides Hieronymo habenda sit) quædam Origenis errata de Trinitate reprehendit. Sed ista nullo negotio dilui potuissent, si iis nunc vacaremus. Certe autem Sulpicius Severus, optimæ fidei historicus, Dial. I. cap. 8.[h] historiam concilii, per Theophilum suis tempo[illegible] Origenis scripta congregati, narran[illegible]

[h] pag. 548. edit. Lugdun. Batavor. 1654.

scribit; " Cum ab episcopis excerpta in libris illius " multa legerentur, quæ contra catholicam fidem " scripta constaret, locus ille vel maximam parabat " invidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus " Jesus, sicut pro redemptione hominis in carne ve- " nisset, crucem pro hominis salute perpessus, mor- " tem pro hominis æternitate gustasset, ita esset eo- " dem ordine passionis etiam Diabolum redemptu- " rus; quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, " ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum " quoque angelum liberaret." Si constitisset tam impie sensisse Origenem de primario Christianismi capite, nempe de SS. Trinitate, atque Hieronymus aliique obtenderunt, sane Theophilus cum suæ partis episcopis, qui omnes angulos scriptorum Origenis rimati sunt, ut accusationis ansam invenirent, illudque imprimis in animo habuisse videntur, ut Adamantium (cujus auctoritate contra ecclesiam factiosi monachi abuterentur) in maximum hominum odium inducerent, istam præcipue ejus hæresim palam omnibus exposuissent; utpote quæ ea ætate præ aliis omnibus hæresibus maxime, idque jure merito, catholicis exosa fuit. Sed probe norunt homines cauti, istam criminationem ab Origenis defensoribus facillime potuisse refelli ex ipsis Origenis scriptis indubitatis; proinde ipsam prætermittentes, de aliis capitibus, in quibus Chalcenterus haud ita facile defendi poterat, accusationem suam præcipue instituerunt. Addit ibidem Severus, quod Origeni in illo concilio objectum fuit, sua sententia *errorem* fuisse, non *hæresim;* atqui Arianum dogma pro hæresi pestilentissi-
129 ma habuisse Severum constat; neutiquam igitur Arianismi in conciliabulo isto arguebatur Origenes. Tertio, observationem merentur, quæ Eusebius H. E.

VI. 2. sub finem, de constantia Origenis in orthodoxa fide retinenda narrat, hæc subjungens; Φυλάττων, inquit, ἐξ ἔτι παιδὸς κανόνα ἐκκλησίας, βδελυττόμενός τε, ὡς αὐτῷ ῥήματί φησί που αὐτὸς, τὰς τῶν αἱρέσεων διδασκαλίας. i. e. "Servans ecclesiæ regulam jam inde a "puero, et, ut ipsemet alicubi loquitur, hæresium "doctrinas abominans." Sane nemo in historia ecclesiastica versatus nescire potest, Origenem pro catholica fide adversus subnascentes sua ætate hæreses quascunque primarium ac pene unicum fuisse ecclesiæ pugilem. Scilicet quotiescunque et ubicunque surrexit hæreticus aliquis, qui receptam in ecclesia fidem ausus est impugnare, mox ad unum Origenem recurrebatur, qui, velut alter David, Goliathum illum exercitum Domini convitiantem funda sua adoreretur; imo ad hujusmodi certamina præ veritatis amore et zelo (in hoc etiam Davidi similis) sese ultro offerebat. Equidem nemo unquam magis quam Origenes dici meruit omnium hæreticorum malleus. Ad immotam autem fidei regulam pertinere dogma de vera Filii Divinitate, semper judicavit catholica ecclesia; neque aliter sensit Origenes; nam in libro primo περὶ ἀρχῶν, (citante Pamphilo in Apologia [i],) dogmata scitu et creditu necessaria a non necessariis distinguens, inter necessaria hæc ponit; "Primo "quod unus est Deus, qui omnia creavit.——— "Tum deinde quia Jesus Christus ante omnem "creaturam natus ex Patre est.———Incarnatus "est, cum Deus esset, et homo factus mansit quod "erat Deus.———Tum deinde honore ac dignitate "Patri et Filio sociatum esse Spiritum Sanctum [k]."

[i] [c. 1. p. 20.] [k] Reperiuntur ista in ipsa præfatione librorum περὶ ἀρχῶν. GRABE.

Inter dogmata non necessaria, sive problemata, quæ modeste et salva pace ecclesiastica in utramque partem disputari poterant, numerat ibidem quæstiones, de tempore et modo creationis angelorum, de sole, luna et stellis, utrum animantia an exanima sint, &c. In istiusmodi scilicet quæstionibus discutiendis, nimiam fortasse libertatem sibi indulsit Origenes; ad altera vero illa dogmata quod attinet, a fidei regula, in ecclesia fixa et stabilita, vel latum unguem recedere ipsi religio fuit. Quarto, magni esse ponderis mihi videtur argumentum, utcunque ipsum contempserit doctissimus Huetius, Bellarmini [1], (quod alibi [m] obiter attigimus,) qui catholicum fuisse in hoc articulo Origenem inde probat, quod sana et orthodoxa fuerit præceptoris ipsius Clementis, et discipulorum, Dionysii Alexandrini et Gregorii Thaumaturgi, de mysterio SS. Trinitatis opinio. Ad Clementem enim quod attinet, supra, ubi de ejus fide agerem, evidentissime probavi, a nemine quam ab ipso catholicam doctrinam de ὁμοουσίῳ Triade clarius agnitam aut prædicatam fuisse; idem de Alexandrino Dionysio et Gregorio Thaumaturgo (utcunque duobus maximis nominibus Arianæ impietatis notam inusserit, in sui nominis infamiam, Jesuita Petavius) infra æque clare ostendemus. Quid autem? an verisimile sit, qui tam catholicum eo in articulo magistrum, qui tam orthodoxos habuit discipulos, qui etiam magistrum suum, ut præstantissimum ecclesiæ doctorem semper admirati sunt, in ipso articulo hæreticum fuisse? Quinto, deinde mille instar testium de Origenis in hac quæstione ὀρθοδοξίᾳ esse debet magnus Athanasius; qui in libro de synodi

[1] Bellarminus de Christo I. 10. [vol. I. Op. p. 339.]

[m] Supra c. 6. §. 1. [p. 240.]

Nicænæ decretis, sensisse cum Patribus Nicænis Origenem de vera et æterna Filii Divinitate diserte testatur[n]; Περὶ δὲ τοῦ (inquit) ἀϊδίως συνεῖναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, καὶ μὴ ἑτέρας οὐσίας ἢ ὑποστάσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶναι, ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἐξέστω πάλιν ὑμᾶς ἀκοῦσαι καὶ παρὰ τοῦ φιλοπόνου Ὠριγένους. i. e. "Verbum autem ab æterno esse cum Patre, nec "alterius substantiæ vel hypostasis, sed ipsius pa- "ternæ substantiæ proprium illum esse, quemad- "modum dixerunt qui interfuerunt synodo, liceat "vobis rursus audire etiam ex laborioso Origene." Ibidem autem, priusquam ipsa Origenis testimonia adducit, fatetur Athanasius, præmissa quædam ab Origene fuisse in loco a se primum citando, quæ sanæ doctrinæ repugnare viderentur; sed ait, illa disputantis, non asseverantis more ab eo prolata fuisse; quæ vero ipse affert, plane genuinam Origenis sententiam continere; Μετὰ γοῦν (inquit) τὰ ὡς ἐν γυμνασίᾳ λεγόμενα πρὸς τοὺς αἱρετικοὺς, εὐθὺς αὐτὸς ἐπιφέρει τὰ ἴδια, λέγων οὕτως. i. e. "Post illa ergo, quæ certandi "gratia quasi in palæstra adversus hæreticos ad- "duxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, sub- "intulit, dicens." Deinde citat illustrem Origenis sententiam de Filii æternitate et consubstantialitate; 130
cui et alteram ex alio Origenis libro subjungit; quæ loca sectioni nostræ tertiæ reservamus. Sane autem ego nullus dubito, quin disserendi illa ratio, quam ubique fere in scriptis suis secutus est Origenes, qua nempe hæreticorum placita, ipsorum hæreticorum quasi personam induens, primum repræsentare, deinde catholicam explicare sententiam solitus fuit, ansam imprimis dederit imperitis et malevolis ip-

[n] Oper. Athanasii tom. I. p. 277. [§. 27. vol. I. p. 232.]

sum Origenem hæresis accusandi, quasi scilicet hæretica illa ex animo defendisset. Ait vero Huetius°, Origenis sententiam "parum Athanasio perspectam "fuisse." Sed in eo ignoscat nobis vir eruditus, quod nihilominus persuasum habeamus, Athanasio episcopo Alexandrino, Origenis Alexandrini temporibus tam vicino, scriptorumque ejus aliorumque veterum diligentissimo pariter et perspicacissimo lectori, longe melius perspectam fuisse Adamantii sententiam, quam cuiquam ex nobis seris nepotibus perspecta esse possit. Pergit autem Huetius, "Non "nego," inquit, "hæc dixisse Origenem; at eo sensu "dixisse, quo Nicæna dixit synodus, id vero fateri "non possum." Rursus dico, nemini melius cognitum esse potuisse synodi Nicænæ sensum, quam Athanasio, qui synodo illi ipse interfuit. Idem vero Athanasius testatur, Origenem tam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, quam de ipsius τῷ συναϊδίῳ, cum Patribus Nicænis omnino sensisse. Ac de Filii quidem æternitate verum illud esse non diffitebitur Huetius; de consubstantialitate vero id fateri se non posse profitetur. Atqui supra fuse et luculenter ostendimus, Filium non alio sensu Patri ὁμοούσιον dixisse episcopos Nicænos, quam quo Filius statuitur verus esse Deus perinde ac Pater, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ. Atque hoc sensu Filium Patri ὁμοούσιον agnovisse Origenem, nos in hoc capite abunde probavimus. Ad numericam, quæ dicitur, unitatem substantiæ Patris et Filii quod attinet, (quam negasse Origenem ibidem ait Huetius,) possum evidenter ostendere, Origenem unitatem illam eatenus agnovisse, quatenus ipsam Patrum antiquiorum quis-

° Origenian. lib. II. p. 33. [Quæst. 2, 5. p. 119.]

quam, adeoque ipse Athanasius, agnovit; hoc est, credidisse Origenem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, cum revera tres sint personæ, nequaquam tamen ut tres homines seorsum et separatim existere, sed intime sibi invicem cohærere et conjunctos esse; adeoque alterum in altero existere, atque, ut ita loquar, immeare invicem et penetrare per ineffabilem quandam περιχώρησιν, quam *circuminsessionem* scholastici vocant; ex qua περιχωρήσει unitatem illam numericam necessario effici contendit Petavius[p]; sed hac de re alibi commodior erit disserendi locus[q]; interea ab Origene ad alios Patres transeamus.

CAP. X. 131

De Cypriani martyris, Novatiani, sive auctoris libri de Trinitate inter opera Tertulliani, nec non Theognosti fide ac sententia.

1. Origenis σύγχρονος fuit Cyprianus[r], primarius, dum vixit, Africæ episcopus, vir sanctissimus et spiritus plane apostolici, qui et gloriosissimi tandem martyrii coronam adeptus est. Is tam pure atque integre de Filii divinitate et sensit et scripsit, ut nihil omnino in ejus libris invenire potuerit ipse Petavius, quod veru atque obelo suo transfigeret, aut, pro more, Arianismi labe et macula aspergeret. Itaque pauca ex hoc scriptore testimonia attulisse sufficiat. In libro secundo testimoniorum adversus Judæos ad Quirinum[s] uberrime probat e Scripturis, Chris-

[p] De Trinitate IV. 16. [q] Vide sect. IV. 4. 9. et seqq.

[r] Amplexus est Christianam religionem circa an. 246. *Cave.* BOWYER.

[s] [Pag. 284, &c.]

tum esse Deum; eique omnia tribuit, quæ in iisdem Scripturis soli vero ac summo Deo tribuuntur. Sic cap. 5. et 6. locum Esaiæ xlv. 14. *Quoniam in te Deus est, et non est Deus alius præter te; tu enim es Deus, et non sciebamus, Deus Israel Salvator;* et Baruch. iii. 35. *Hic Deus noster, et non deputabitur alius absque illo;* et Davidis Psal. xlvi. 10. *Vacate et cognoscite, quoniam ego sum Deus. Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra;* et Pauli, Rom. ix. 5. *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula;* et Apocalypseos i. 8. et xxi. 6. *Ego sum Alpha et Omega, initium et finis;* et rursus [t] Esaiæ xxxv. 4. *Deus noster judicium retribuet, ipse veniet et salvos faciet nos;* et ejusdem Esaiæ xlii. 8. *Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen est, claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas sculptilibus;* hæc, inquam, loca cum aliis, in quibus summus Deus manifeste designatur, de Christo dici intelligit. Quibus addas, quod ejusdem libri cap. 10. ex professo probare aggreditur, "Quod et "homo et Deus Christus EX UTROQUE GENERE "concretus, ut Mediator esse inter nos et Patrem "posset." Quæ verba manifeste significant, Christum, qua Deus est, Deo Patri, qua homo, nobis hominibus pariter esse ὁμογενῆ sive ὁμοούσιον. Cæterum libros Testimoniorum ad Quirinum Cypriani esse genuinos, certum est; siquidem Hieronymus Dial. I. advers. Pelag.[u] Augustinus lib. IV. contra duas Epistolas Pelagii cap. 8. et 10.[x] Gennadius in Catalogo de Pelagio, et Beda Retract. in cap. iii. Act. ipsos disertis verbis Cypriano tribuunt. Itaque temeraria est Erasmi censura, qua probabilius

[t] [c. 7.] [u] [§. 32. vol. II. p. 715.]
[x] [Vol. IX. p. 480, 485.]

sibi esse dicit, hos libros non esse Cypriani. Rationem vero ejus censuræ, quam affert, nempe quod præterquam in Præfatione auctor nusquam Cypriani stylum exerat, quis non miretur tanto viro excidere potuisse? nam in sola præfatione stylum suum exerere potuit Cyprianus; siquidem ipsi tres libri integri nihil aliud sint quam collectio testimoniorum Scripturæ in certa aliquot capita dispositorum, in quibus citandis par erat, ut vir sanctus Latinam Scripturæ versionem jam suo tempore in Africa receptam ac vulgatam sequeretur.

2. Sed et in aliis Cypriani scriptis ea passim legas, quæ veram Filii divinitatem egregie declarent. Unum et alterum locum hic proferam. In Epistola 63. ad Cæcilium prope initium [y], Jesum Christum appellat *Dominum et Deum nostrum;* quod et iterum facit postea in eadem Epistola [z]. Illustris vero est locus in libro de idolorum vanitate [a], in quo Cyprianus de Sermone et Filio Dei sic loquitur: "Hujus igitur "gratiæ disciplinæque arbiter et magister Sermo et "Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro "illuminator et doctor humani generis prædicaba-"tur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia "ejus et gloria, hic in Virginem illabitur, carnem "Spiritu Sancto cooperante induitur, (*leg.* carnem "Spiritus Sancti [b] induitur,) Deus cum homine mis-"cetur, hic Deus noster, hic Christus est." Ubi *carnem Spiritus sancti induitur*, ut veram lectionem ideo amplector, quod plerique vetustissimi libri MSS. ita locum exhibeant. Verum scioli quidam, 132

[y] Pag. 84. [p. 104.] [z] Pag. 86. [p. 109.]

[a] Pag. 170. [p. 228.]

[b] [Lege *sanctus*, quam lectionem nonnulli MSS. exhibent, et ed. Benedict. recepit.]

ut mihi videtur, in nonnullis codicibus textum corruperunt, existimantes scilicet per Spiritum Sanctum aliam quam tertiam Divinitatis personam non posse intelligi. At unamquamque Trinitatis hypostasim, ob communem tribus divinam et spiritualem naturam, tum in Scripturis, tum passim in veterum scriptis *Spiritum* appellari, alibi [b] ostendimus; quod et in nonnullis MSS. codicibus ad hunc locum in margine adnotatur, monente Pamelio, qui tamen idem nihil hic immutandum censuit, veritus scil. ne Antitrinitarii virus suum hinc haurirent, et causarentur, a Cypriano tertiam Divinitatis hypostasim agnitam non fuisse. O inanem metum! nam ex multis Cypriani locis abunde liquet, (quod etiam de cæteris Patribus, qui ad eundem modum locuti sunt, merito affirmamus,) ipsum integram Trinitatem ὁμοούσιον credidisse. Sic in Epistola ad Jubaianum [c], de hæreticis baptizandis, probat hæreticorum baptisma validum non esse hoc argumento: "Si," inquit, "baptizari quis apud hæreticos potuit, utique "et remissam peccatorum consequi potuit. Si pec- "catorum remissam consecutus est, et sanctificatus "est, et templum Dei factus est, quæro, CUJUS "DEI? si Creatoris, non potuit, quia in eum non "credidit: si CHRISTI, nec hujus fieri potuit tem- "plum, qui negat Deum Christum: si SPIRITUS "SANCTI, cum tres unum sint, quomodo Spiritus "S. placatus esse ei potest, qui aut Filii aut Patris "inimicus est?" Ubi vides Spiritum Sanctum, perinde ac Patrem et Filium, Deum diserte dici, prout a Tertulliano factum supra [d] observavimus. Obiter quoque animadvertas, Cyprianum hic omnino respi-

[b] [Sect. I. 2, 5. p. 52. et v. præf. editoris Benedict. S. Hilarii §. 57.]
[c] Pag. 106. [p. 133.] [d] [p. 265.]

cere locum Joannis 1 Epist. v. 7. *Et hi tres unum sunt.* Ex professo autem locum citat in libro de Unitate Ecclesiæ cap. 4. ad finem [e], his verbis: "De "Patre, et Filio, et Spiritu Sancto scriptum est, *Et* "*hi tres unum sunt.*" Sic et ante Cyprianum, Tertullianus ad eundem locum manifeste allusit lib. adv. Prax. c. 25.[f] "Connexus," inquit, "Patris in Filio, "et Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, alte-"rum ex altero; qui tres unum sint, non unus [g]." Quod adversus eos notandum, qui verba ista a catholicis, post Arianam controversiam, textui Joannis inserta fuisse suspicantur. Sed redeo ad illud, unde paulisper digressus sum. Idem Cyprianus in eadem ab Jubaianum Epistola [h], baptismum in solo Jesu Christi nomine collatum nihil efficere, inde probat, quod "ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena "et adunata Trinitate." Ubi per plenam et adunatam Trinitatem manifestum est tres personas, Patrem, Filium et Spiritum S. tanquam omnes in una Divinitate subsistentes, designari; adeoque Spiritum Sanctum, perinde ac Filium, Deo Patri in eodem divini honoris consortio adunari.

3. Contra hæc Cypriani loca tam clara ac diserta Sandius [i], quo lectori persuaderet, beatissimum martyrem hæresi, quæ postea dicta est Ariana, favisse, adducit, seu potius indicat dicta quædam Cypriani, quæ Arianismum sapere videantur. Sed eorum pleraque ad Filii οἰκονομίαν spectant; ut quod Christus a Patre clarificari petierit, ejusque voluntatem usque ad obsequium bibendi calicis et subeundæ mortis

[e] [Pag. 195, 196.] [f] [Pag. 515.]
[g] [Cf. quoque Tertull. de Baptismo c. 6. p. 226.]
[h] Pag. 107. [p. 135.]
[i] Enucl. Hist. Eccles. I. p. 112, 113.

impleverit, &c. Alia ad subordinationem illam Filii, qua Filius est, ad Patrem, tanquam principium atque auctorem suum, referenda sunt. Qua etiam ratione in Epist. 74. ad Pompeium dicit Cyprianus[i], Spiritum S. esse Filio minorem, ut mittente missum. Reliqua meræ sunt calumniæ a Sandio *ἱερομάρτυρι* affictæ; ut quod ait, Cyprianum docuisse, "Chris-" tum ex ore Altissimi procreatum esse." In libro quidem secundo Testimoniorum adv. Judæos cap. 1. probare volens Cyprianus, "Christum primogenitum " esse, Sapientiam Dei, per quem omnia facta sint," adducit verba Solomonis Prov. viii. 22. ad 30. inclusive. Deinde citat pericopen ex Ecclesiastici xxiv. in qua hæc verba occurrunt: *Ego* (Sapientia) *ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Quis hinc cum Sandio colligat, Cyprianum docuisse, Christum ex ore Dei procreatum sive factum fuisse, ad instar scil. verbi hominis, quod antequam ex ore proferatur, non existit, quemadmodum Valentiniani aliique hæretici existimarunt? imo Cyprianus in hisce ipsis Testimoniorum libris diserte ex Scripturis docet, Filium Dei existendi neque initium neque finem habere, ut suo loco ostendetur. Consimili fraude, tanquam Cypriani citat sophista hanc sententiam: "Christum non ausum " esse se comparare Deo, nec esse illi æqualem, sed " Patrem majorem;" subjungens: "Quæ Arianis-" mum sapere concedit Huetius Origenian. lib. III. " Append. n. 12." additque: "Rapinam nempe " arbitratur, Christum esse æqualem Deo; tantum " discriminis Christum inter et Deum esse, quantum " apostolos inter et Christum." Verum sciat lector veri amans, reperiri quidem in libello de Singulari-

[i] [Pag. 139.]

tate Clericorum hæc verba[k]: "Si Christus seip-
"sum comparare ausus est Deo, qui ait, *Pater*
"*major me est;* aut si apostoli coæquare semetipsos
"ausi sunt Christo, et nos hodie apostolis æquales
"facit consimilis fortitudo." Sed librum spurium et
suppositititium esse consentiunt hodie docti omnes,
interque eos ipse Huetius. "Cypriani non esse istud 133
"opus," inquit Huetius loco a Sandio citato, "cla-
"mant barbaræ hæ voces, cujusmodi nullas in puro
"ac terso Cypriani sermone nanciscaris; *constitu-*
"*tionarios, repulsorium, vulgaritatis, fluxurarum,*
"*probrositas,* &c. Quis monstrorum ejusmodi pa-
"rentem Cyprianum dicat?" En egregium Sandiani
candoris specimen! Interim verba allata, cujuscunque
sint, sanam interpretationem facile admittunt, et de
Christo in terris agente, et nostræ salutis οἰκονομίαν
implente, intelligi possunt. Imo hanc fuisse ipsam
auctoris mentem inde apparet, quod paucis inter-
jectis[l] citet ex Epist. ad Philippenses ii. hæc verba:
Hoc sentite de vobis, quod et in Christo Jesu, qui
cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam
arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetip-
sum exinanivit, formam servi accipiens. Qui Pauli
locus, ita versus, manifeste significat, Christum qui-
dem, quatenus in forma Dei constitutus fuit, potuisse
sine arrogantia et absque ulla Dei Patris sui injuria
arbitrari, se Deo esse æqualem, atque ut talem se
gerere; sed tamen semetipsum exinanivisse, &c.
Fœde itidem virum sanctum calumniatur Sandius,
dum ipsi mox tribuit hanc hæresim; "Verbum" (in
Christo) "fuisse loco animæ." Nam constans est
Cypriani doctrina, Verbum sive Filium Dei assump-

[k] Pag. 304. [p. clxxix.] [l] Pag. 305.

sisse non carnem tantum, sed hominem et filium hominis, hoc est, verum et perfectum hominem ex anima rationali et corpore humano constantem; quod norunt omnes, qui in Cypriani scriptis plane hospites non sunt.

4. Quis autem patienter ferat, qui veritati et candori studet, impudentissimum sophistam, dum ex Ruffino probare nititur, Cyprianum fuisse Arianum? "Quamobrem," inquit, "Ruffinus Apol. pro Orig. "*quamplurimis* ait *in illis partibus*, (loquitur au- "tem de Constantinopoli,) *sanctum martyrem Cy- "prianum hujus fidei, quæ a Tertulliano non "recte scripta est, persuasum fuisse.* Tertullia- "num sane magistri titulo condecoravit, ejusque "scriptis quotidie incubuit; quod vero Tertulliani "fides fuerit Ariana, supra diximus." Post aliqua subjicit, "Arianismum et Macedonianismum a Ruf- "fino et orientalibus denotari liquet ex verbis Ruf- "fini proxime præcedentibus." Qua vero fronte potuit ille ad verba Ruffini præcedentia lectorem remittere? scilicet inde luce meridiana clarius patebit, pessima fide Ruffinum allegari ad probandum cum Ario sensisse Cyprianum. En tibi, lector, integrum Ruffini locum [m]: "Sancti Cypriani," inquit, "martyris solet omne Epistolarum corpus in uno co- "dice scribi. Huic corpori hæretici quidam, qui in "Spiritum S. blasphemant, Tertulliani libellum de "Trinitate reprehensibiliter, quantum ad veritatem "fidei nostræ pertinet, scriptum inserentes, et quam- "plurimos codices de talibus exemplariis conscriben- "tes, per totam Constantinopolim urbem maximam

[m] Vide Ruffini Apol. pro Orig. inter opera Hieronymi tom. IX. p. 131. [Epilog. ad Apol. sive de Adult. Lib. Orig. p. 53.]

" distrahi pretio viliori fecerunt, ut exiguitate pretii " homines illecti ignotos et latentes dolos facilius com- " pararent: quo per hoc invenirent hæretici perfidiæ " suæ fidem tanti viri auctoritate conquirere. Ac- " cidit tamen, ut recenti adhuc facto quidam ex " nostris fratribus catholicis inventi admissi sceleris " commenta retegerent, et ex parte aliqua, si quos " possent, ab erroris hujus laqueis revocarent. Quam- " plurimis tamen in illis partibus, sanctum marty- " rem Cyprianum hujus fidei, quæ a Tertulliano non " recte scripta est, fuisse persuasum est." Jam quivis perspiciat, Constantinopolitanos fuisse hæreticos Pneumatomachos, qui persuadere aliis conarentur, Cypriani fidem a catholica diversam fuisse; idque illos probatum ivisse non ex aliquo martyris genuino opere, (quippe qui catholice ubique de S. Trinitate scripserit,) sed ex alieno libello, quem ipsi pessimi nebulones Cypriani operibus inseruerant, impia fraude mox a catholicis detecta. Ac sane Cyprianum de S. Trinitate librum aliquem conscripsisse, nemo scriptor ecclesiasticus testatus est. Imo neque Tertulliani fuisse per omnia librum illum ab hæreticis venditatum censeo, sed multis in locis ab iisdem hæreticis depravatum. Nam Tertullianus nunquam cum Pneumatomachis sensit, sed constanter, etiam in hæresim lapsus, tres personas unius Divinitatis credidit, et Spiritum Sanctum, perinde ac Patrem et Filium, *Deum* expresse dixit, ut ex testimoniis supra a nobis allatis apparet. Verum de Tertulliani fama et existimatione non multum laborarunt catholici ejus ævi; quippe qui tunc, propter alia ejus dogmata, apud omnes orthodoxos pro hæretico et ab ecclesia alieno habitus fuerit. Idem fere de Novatiano statuendum, cujus fuisse librum de Trinitate ab hæ-

reticis dispersum, illum scil. qui hodie inter opera Tertulliani extat, censuit Hieronymus[n]; nam et ille catholice de Trinitate sensit, ut mox ostende-
134 mus. Ex his autem aliisque multis indiciis intelligat porro lector, quid sit Sandio Historiam Ecclesiasticam enucleare; nempe explosas et insulsas fabulas, manifesta mendacia undique conquirere et congerere, quibus damnatæ Arianorum hæresi fides atque auctoritas concilietur. Atque hucusque Cypriani sententiam explicavimus.

5. Cypriano subjiciendus est Novatianus, sive auctor libri de Trinitate[o], quem paulo ante commemoravimus. Hunc auctorem de Trinitatis mysterio " non satis accurate esse locutum, imo absurde ple-" raque tradidisse," dicit Petavius[p]; et Sandius[q], Petavii judicio, ut solet, nimium confisus, ipsum accenset iis, qui idem, quod Arius, ante tradiderunt. Verum minus accurata et absurda illa vel ad Filii οἰκονομίαν, vel ad minoritatem istam Filii, ad Patrem tanquam ad auctorem et principium suum collati, quam catholici omnes etiam post synodum Nicænam agnoverunt, referenda esse, suo loco ostendetur. Interim auctorem, quisquis fuerit, in rei summa cum Ario minime sensisse, paucis ex ipso, sed iis luculentissimis, adductis testimoniis demonstrabimus. Cui demonstrationi hoc unum præmittimus observandum, ipsum Petavium alibi[r] fateri disertis ver-

[n] Vide Hieron. advers. Ruffin. Apol. II. 5. sub finem. [§. 19. vol. II. p. 513.]

[o] Librum de Trinitate scripsit Novatianus circa an. 257. Cum operibus Tertulliani excudi solet. *Cave.* BOWYER.

[p] De Trin. I. 5. 5.

[q] Enucl. H. E. I. p. 110.

[r] Præfat. in tom. II. 5. 3.

bis, minus accurata et absurda illa, quæ operi suo inseruit auctor, " aut solo loquendi modo, aut certe " citra mysterii substantiam, ab catholica regula dis- " crepare." Hoc strictim notato, rem ipsam aggrediamur. In capite 23.[s] auctor Christi divinitatem sic adstruit: " Si homo," inquit, " tantummodo " Christus, quomodo dicit, *Ego ex Deo prodii, et* " *veni*, cum constet hominem a Deo factum esse, " non ex Deo processisse? ex Deo autem homo " quomodo non processit, sic Dei Verbum processit." Mox addit, " Deus ergo processit ex Deo, dum qui " processit Sermo, Deus est, qui processit ex Deo." Quid fere in ipso Nicæno symbolo contra Arium expressius dicitur? nam hæc duo, *a Deo factum esse*, et *ex Deo procedere*, auctor diserte opponit; et Christum in excellentiori sua natura non factum, sive minime creatum esse, sed ex ipso Deo processisse, proinde Deum ex Deo esse, haud minus diserte affirmat. Idem paulo post in eodem capite[t], " Si," inquit, " homo tantummodo Christus, quid est " quod ait, *Ego et Pater unum sumus?* quomodo " enim *Ego et Pater unum sumus*, si non et Deus " est et Filius, qui idcirco unum potest dici, dum ex " ipso est, et dum Filius ejus est, et dum ex ipso " nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, per " quod et Deus est." Ex quo loco clare refellitur Petavii[u] calumnia in hujus libri auctorem, dum ait, ipsum " verba illa Joannis decimo, *Ego et Pater* " *unum sumus*, Ariano pene more declarasse;" ad hanc censuram confirmandam citans ista ejus verba cap. 22. " *Unum* autem quod ait, ad concordiam et " eandem sententiam, et ad ipsam charitatis societa- " tem pertinet; ut merito unum sit Pater et Filius

[s] [Pag. 721.] [t] [Pag. 722.] [u] Ubi supra.

" per concordiam, et per amorem, et per dilectio-
" nem." Atqui, inquam, ex loco jam a nobis allato constat, auctorem verba illa Joannis non de sola concordia, sive consensu voluntatis, (quod Ariani fecerunt,) sed etiam, atque inprimis, de communione substantiæ, quæ inter Patrem et Filium intercedit, cum catholicis omnino intellexisse. Quod et eo ipso in loco, quem citat Petavius, auctor clare satis exprimit, dum hæc verba (a Petavio haud bona fide celata) ἀμέσως subjicit: " Et quoniam ex Patre est,
" quicquid illud est, Filius est; manente tamen dis-
" tinctione, ut non sit Pater ille qui Filius, quia nec
" Filius ille qui Pater est." Nimirum Sabellii hæresim ibi unice impugnat, quæ Patrem et Filium sic unum prædicat, ut distinctionem personarum omnino tollat. Adversus hanc hæresim docet, Patrem et Filium unum quidem esse cum voluntatis consensu, tum etiam substantiæ unitate, siquidem Filius ex ipso paternæ essentiæ fonte derivetur; sed tamen duos omnino esse subsistentia, sive persona. Profecto minime toleranda est Petavii Jesuitæ in veteres scriptores iniquitas, ita passim sana et catholica illorum dicta, contra manifestam ipsorum mentem ac sententiam, in sensus alienos atque hæreticos detorquentis.

6. Sed ad auctorem nostrum redeo, unicum præterea ex ipso locum adducturus, qui τὸ ὁμοούσιον Filii luculentissime confirmet. Ipsum legere est in capite 11.[u] ubi de utraque Christi natura, divina et humana, sic auctor loquitur: " Tam enim Scriptura
" etiam Deum adnuntiat Christum, quam etiam ip-
" sum hominem adnuntiat Deum; tam hominem de-

[u] [Pag. 713.]

" scripsit Jesum Christum, quam etiam Deum quoque
" descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei
" tantum illum Filium esse proponit, sed et homi-
" nis; nec hominis tantum dicit, sed et Dei referre
" consuevit; ut dum ex utroque est, utrumque sit,
" ne, si alterum tantum sit, alterum esse non possit.
" UT ENIM PRÆSCRIPSIT IPSA NATURA HOMI-
" NEM CREDENDUM ESSE, QUI EX HOMINE SIT,
" ITA EADEM NATURA PRÆSCRIBIT ET DEUM
" CREDENDUM ESSE, QUI EX DEO SIT; ne si non
" et Deus fuerit, cum ex Deo sit, jam nec homo sit,
" licet ex homine fuerit, et in alterutro utrumque
" periclitetur, dum alterum altero fidem perdidisse
" convincitur." Certe mens illi tota caligat, qui non 135
illico perspicit, hisce verbis apertissime doceri, Christum perinde Deo Patri ὁμοούσιον esse, qua ex Deo est, atque ὁμοούσιος est nobis hominibus, qua ex homine est; neque minus verum Deum, quam verum hominem esse. Cæterum illud de hoc auctore ex abundanti addam, ipsum catholice etiam de Spiritu Sancto sensisse. Nam cap. 29. in ipso initio docet, juxta regulam fidei credendum esse non modo in Patrem et Filium, sed etiam in Spiritum S. Et in capitis processu eas Spiritui S. addicit virtutes et operationes, quæ in creaturam competere neutiquam possunt. Ac denique prope finem capitis eidem Spiritui S. *divinam æternitatem* expresse tribuit. Qua vero ratione Spiritum S. Filio minorem dixerit, alibi[x] ostendimus. Atque de hoc auctore inpræsentiarum hæc dixisse sufficiat.

7. Cum scriptoribus in hoc capite memoratis numerabimus Theognostum Alexandrinum; quanquam

[x] Supra c. 3. §. 17. [p. 164.]

ejus ætatem vix compertam habeamus [y]. Illud unum scire licet, Nicæna synodo multo antiquiorem fuisse illum, Origene recentiorem. Origene posteriorem fuisse certum est, quia ut sectatorem Origenis illum sugillat Photius. Diu vero ante concilium Nicænum eundem vixisse inde colligas, quod Athanasius (libro in illud evangelii, *Quicunque dixerit verbum in Filium hominis*, &c.) ipsum inter παλαιοὺς ἄνδρας, *priscos homines* numerat [z]; et illius continenter Origenis testimonio subjungit. Illum ἄνδρα λόγιον, *virum disertum* in libro de decretis synodi Nicænæ [a]; et τὸν θαυμάσιον, *admirandum illum* in libro paulo ante laudato appellat idem Athanasius. Libros scripsit τῶν ὑποτυπώσεων, qui dudum interciderunt. Sed ex eorum secundo citat [b] pro τῷ ὁμοουσίῳ Athanasius hoc illustre testimonium: οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη, ἀλλὰ ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἔφυ, ὡς τοῦ φωτὸς τὸ ἀπαύγασμα, ὡς ὕδατος ἀτμίς· οὔτε γὰρ τὸ ἀπαύγασμα, οὔτε ἡ ἀτμὶς, αὐτὸ τὸ ὕδωρ ἐστὶν, ἢ αὐτὸς ὁ ἥλιος· οὔτε ἀλλότριον, ἀλλὰ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, οὐ μερισμὸν ὑπομεινάσης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας. ὡς γὰρ μένων ὁ ἥλιος ὁ αὐτὸς οὐ μειοῦται ταῖς ἐκχεομέναις ὑπ' αὐτοῦ αὐγαῖς, οὕτως οὐδὲ ἡ οὐσία τοῦ Πατρὸς ἀλλοίωσιν ὑπέμεινεν, εἰκόνα ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν υἱόν. i. e. "Filii substantia non est extrin-
" secus inventa, aut ex non existentibus superin-
" ducta; sed ex Patris substantia progenita, ut a
" luce jubar, ut ex aqua vapor; neque enim vapor
" idipsum est quod aqua, neque jubar idipsum quod
" sol; sed neque alienum, verum fluxus est paternæ

[y] Claruisse videtur Theognostus circa an. 270. *Cave.* BOWYER.

[z] Tom. I. p. 971. [Epist. IV. ad Serap. 9. vol. I. p. 702.]

[a] Tom. I. p. 274. [§. 25. vol. I. p. 230.]

[b] Ibidem.

" substantiæ, idque ita ut interim substantia illa " Patris divisionem non patiatur. Quemadmodum " enim sol non diminuitur suis ex se effusis radiis; " ita nec substantia Patris imminuitur, imaginem " sui Filium progignens." Certe nihil unquam, vel in ipso Nicænorum Patrum venerando consessu, adversus Arianos expressius dictum fuit.

8. Itaque verum esse non potest, quod scribit Photius cod. 106. (cui tamen fidem habet non modo Sandius [c], sed et doctissimus Huetius [d],) docuisse hunc Theognostum, idque in eo ipso, quem citat Athanasius, Hypotyposeon libro secundo, Filium Dei, nempe qua proprie Filius Dei est, creaturam esse. Imo ipse Photius sibi fidem detrahit, dum in eodem capite prope finem ait, dixisse Theognostum Dei Filium τῇ ἐνεργείᾳ μὴ περιγραφόμενον, " vi sive efficacia " non esse circumscriptum :" quod certe de creatura dici non potest. Quin et idem mox agnoscit, scriptorem illum in septimo Hypotyposeon libro pie magis cum de aliis tractasse, καὶ μάλιστα πρὸς τῷ τέλει τοῦ λόγου, περὶ τοῦ υἱοῦ, " tum præsertim de Filio, in " fine sermonis." Certe præclara fuisse oportet, quæ ibi de Filio Dei scripsit Theognostus, quum eadem ipse Photius, tanquam pie imprimis dicta, laudaverit. Quis autem credat, virum tantum, quantum fuisse Theognostum constat, in eodem opere tam repugnantia defendisse? Res est, Photius, præ acerrimo adversus Origenem odio, et in hunc Theognostum, ejus asseclam et defensorem, iniquus fuit; indeque scripta ejus in malam partem accepit, seu potius ab aliis accipi voluit. Scilicet Theognostus ex aliorum, quibuscum disputabat, opi-

[c] Enucl. H. E. I. p. 109. [d] Origenian. p. 45. [p. 134.]

nione illud dixit, non ut suam declarans sententiam. Hoc ex ipso Photio non obscure colligitur, qui postquam ejus blasphemiæ Theognostum arguerat, mox τὸν θεῖνα inducit virum insignem hac ratione defendentem, quod ista proposuerit ἐν γυμνασίας λόγῳ, καὶ οὐ δόξης, "exercitationis gratia, et non ex sua senten-" tia." Illud vero non negat Photius, sed tantum reprehendit istiusmodi disputandi rationem, saltem de mysteriis divinis, et in scripta oratione; quam tamen culpam nullus dubito, quin alii cuivis scriptori, qui Origenista non fuisset, facile condonasset. Sed rem extra controversiam ponit magnus Athanasius, qui post recitatum Theognosti testimonium, quod supra descripsimus, hæc continuo subjungit: ὁ μὲν οὖν Θεόγνωστος, τὰ πρότερα ὡς ἐν γυμνασίᾳ ἐξετάσας, ὕστερον τὴν ἑαυτοῦ δόξαν τιθεὶς, οὕτως εἴρηκεν. i. e. "The-" ognostus igitur, postquam superiora tanquam inter " disputandum inquisivisset, tandem, suam ipsius sen-" tentiam ponens, sic locutus est." Clarum est igitur,
136 Theognostum in libro Hypotyposeon secundo prius heterodoxorum sententias proposuisse, interque eas opinionem eorum, qui Filium Dei creaturam esse dicerent; idque ita ut eorum personam quodammodo indueret, et argumentationes repræsentaret; tandem vero suam plane catholicam sententiam, istis oppositam, tradidisse verbis ab Athanasio productis.

9. Quod præterea Theognosto objicit Photius, ipsum nempe docuisse, Filium Dei τῶν λογικῶν μόνον ἐπιστατεῖν, "ratione præditis tantum præesse," id facile diluitur. Scilicet neutiquam voluit vir sanctus, Filii imperium ad solas creaturas rationales ita alligari, ut reliquæ creaturæ ab ejus dominio eximantur; absit! nam quomodo divinam Filii Dei providentiam et virtutem ab ulla Dei creatura secludere

potuit, qui (ipso Photio, ut vidimus, fatente) dixerit, Filium Dei virtute et efficacia sua nullatenus circumscriptum esse? Quid igitur? dubio procul Theognostus idem voluit, quod ejus magister Origenes, quem Photius cod. 8. refert docuisse, διήκειν μὲν τὸν πατέρα διὰ πάντων τῶν ὄντων, τὸν δὲ υἱὸν μέχρι τῶν λογικῶν μόνον, τὸ δὲ πνεῦμα μέχρι μόνον τῶν σεσωσμένων. i. e. "Pervadere quidem Patrem quæcunque sunt, Fi-"lium vero duntaxat rationis participes, Spiritum "ea tantum quæ salutem adepta sunt." Quomodo autem hæc intelligenda sint, Huetius nos docet in Origenianis[e]: "Hæc," inquit, "ἀποτόμως ita sumpta "vix est, ut reprehensionem effugiant. At si quis "ad mentem potius Origenis quam ad verba atten-"derit, aliter sentiet. Quamvis enim una eadem-"que sint sacræ Trinitatis extranea opera, et quic-"quid agit in rebus externis Pater, hoc agat et Fi-"lius, hoc et Spiritus Sanctus; quædam tamen Pa-"tri assignari solent, alia Filio, alia Spiritui Sancto. "Quemadmodum ergo Patri vulgo attribuitur crea-"tio rerum, licet trium peræque personarum sit; "ita Filio, qui est λόγος, omnium λογικῶν curam Ori-"genes adscribit; sanctitudinis vero collationem ad-"dicit Spiritui Sancto, juxta Rom. i. 4. et 2 Thess. "ii. 13. quamvis toti Trinitati debeatur. Scriptum "est 1 Pet. i. 2. *secundum præscientiam Dei Patris,* "*in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et as-*"*persionem sanguinis Jesu Christi.*" Hanc Origenis mentem fuisse probat Huetius luculentissimis ex ejus libris allatis testimoniis. Quibus et subjungit illustrem locum Paschasii Diaconi lib. I. de Spir. S. c. 9.[f] Origenis sibi sententiam usurpantis, qui sic

[e] Lib. II. p. 46, 47. [Quæst. 2. 28. p. 135.]

[f] [Bibl. Patr. Colon. 1618. vol. V. part. 3. p. 737.]

habet: "Quantum in Scripturis sanctis manifes-
" tissime deprehenditur, alia Pater ipse per se, alia
" specialiter per Filium, alia per Spiritum Sanctum,
" licet sub privilegio potentiæ communis, operatur.
" Quia *sumus*, ad Patrem proprie referri videtur;
" *in quo*, sicut apostolus dicit, *vivimus*, *movemur*,
" *et sumus*. Quod vero rationis, et sapientiæ, et
" justitiæ capaces sumus, illi specialiter, qui est ra-
" tio et sapientia et justitia, id est, Filio deputatur.
" Quod autem vocati regeneramur, et regenerati in-
" novamur, innovati sanctificamur, per divina eloquia
" personæ Spiritus Sancti evidenter adscribitur."
Addit et præclarum Augustini dictum lib. XV. de
Trinit. cap. 17 [f]. " Sicut unicum Dei Verbum pro-
" prie vocamus nomine *sapientiæ*, cum sit univer-
" saliter et Spiritus Sanctus, et Pater ipse sapientia;
" ita Spiritus S. proprie nuncupatur vocabulo *chari-*
" *tatis*, cum sit universaliter charitas et Pater et Fi-
" lius." Cæterum quod ibidem ante dixerat idem
eruditissimus Huetius, Athanasium in libro, quem
scripsit in Matt. xii. 32. ob hæc dicta " et Origе-
" nem et ejus sectatorem Theognostum explosisse,"
verum non est. Nam Athanasius tantum dicta
utriusque consideranda, et profundiorem aliquem in
iis sensum quærendum esse admonet. Verba ejus
sunt [g]: Ἐγὼ δὲ ἀφ' ὧν ἔμαθον, νομίζω τὴν ἑκατέρου διάνοιαν
μετρίας τινὸς δοκιμασίας ἐπιδεῖσθαι καὶ κατανοήσεως, μὴ ἄρα
κεκρυμμένος ἐστί τις ἐν αὐτοῖς τοῖς ὑπὸ αὐτῶν εἰρημένοις βαθύ-
τερος νοῦς. i. e. "Ego autem pro mea qualicunque
" eruditione arbitror, utriusque sententiam nonnul-
" lam examinationem et considerationem requirere,

[f Vol. VIII. p. 989. §. 31.]

[g Oper. Athanas. tom. I. p. 972. [Epist. IV. ad Serap. 12. vol. I. p. 703.]

" num forte in eorum dictis profundior aliquis sensus " occulte lateat." Certe hoc non est, ob dicta ista Origenem et Theognostum explodere. Profundiorem autem illum intellectum jam nobis erutum dedit ipse Huetius. Ac de sancti Theognosti sententia et fide hæc dicta sunto.

ANNOTATA J. E. GRABE 137

AD §. 1. SEQQ.

DE S. CYPRIANO, ET ALLEGATIONE VERBORUM S. JOANNIS I. EPIST. V. 7.

1. IN ipsius S. Cypriani tractatibus quidem haud plura[h] Deitatis Christi documenta, quam quæ a reverendo Bullo allegata sunt, reperiuntur. Addi tamen illis potest suffragium Euchratii a Thenis, in concilio Carthaginensi, cui S. Cyprianus præfuit, cujusque acta vel sententiæ episcoporum habentur inter opera ejusdem[i], ubi num. 29. hæc Euchratii verba extant: " Fidem nostram et baptismatis " gratiam, et legis ecclesiasticæ regulam Deus et Domi- " nus noster Jesus Christus suo ore apostolos docens per- " implevit, dicens, *Ite et docete omnes gentes, baptizantes* " *eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*" Unde baptisma hæreticorum rejicit, " de quorum ore virus, non " vita, nec gratia cœlestis, sed blasphemia Trinitatis ex- " primitur." In quibus vox *Trinitatis*, et titulus *Dei et Domini nostri* Jesu Christo adscriptus, juxta ac in S. Cypriani Epistolis, occurrit. Cæterum adversus id, quod doctissimus auctor noster §. 2. monuit, S. Cyprianum, perinde ac Tertullianum, verba S. Joannis 1 Epist. v. 7. de tribus in cœlo testibus allegasse, objici posset auctoritas recen-

[h] [Imo in plurimis aliis locis talia aut similia verba, *Deus et Dominus noster Jesus Christus*, legimus. Satis sit paginarum numeros indicasse: p. 15, 35, 61, 92, 94, 99, 104 (bis,) 109, 113, 139, 140, 158, 235, 349.]

[i] [Pag. 333.]

tioris Africani episcopi, Facundi Hermianensis, qui lib. I.[k] Defensionis trium capitulorum sequentia habet: " Joannes " apostolus in Epistola sua de Patre, et Filio, et Spiritu S. " sic dicit, *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spi-* " *ritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.* In *Spiritu* " significans Patrem, sicut Dominus mulieri Samaritanæ " secundum ipsius Joannis evangelium loquitur, dicens, " *Crede mihi, quia veniet hora*, &c. *Spiritus est Deus, et* " *eos qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet ado-* " *rare.* In *aqua* vero Spiritum S. significans, sicut in eodem " suo evangelio exponit verba Domini, dicentis, *Si quis* " *sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit* " *Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* ubi " subsecutus adjecit, *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem* " *accepturi erant credentes in eum*, &c. In *sanguine* vero " Filium significans, quoniam ipse ex S. Trinitate commu- " nicavit carni et sanguini." Et post pauca: " Quod Joan- " nis apostoli testimonium B. Cyprianus Carthaginensis " antistes et martyr in Epistola sive libro, quem de Trini- " tate scripsit, de Patre et Filio et Spiritu S. dictum intel- " ligit; ait enim, *Dicit Dominus, Ego et Pater unum* " *sumus; et iterum de Patre et Filio et Spiritu S. scrip-* " *tum est, Et hi tres unum sunt.*" Hæc ille. Ex quibus colligere est, Facundum non modo ipsum verba S. Joannis de tribus in cœlo testibus, Patre, Filio et Spiritu non agnovisse, sed neque existimasse, quod Cyprianus ea allegaverit; verum loc. cit. ubi ait, " de Patre Filio et Spiritu S. scrip- " tum esse, *Et hi tres unum sunt,*" ad versum *de tribus in terra testibus* mystice expositum respexerit. Sed Facundo Hermianensi oppono paulo antiquiorem, nec minus eruditum scriptorem Africanum, Fulgentium episcopum Ruspensem, qui non modo in lib. de Trinitate ad Felicem Notarium cap. 4.[l] controversum S. Joannis comma ipse citat, sed et a S. Cypriano eo, de quo agimus, loco citatum tradit, prope finem Responsionum contra Arianos[m] ita scribens: " Beatus enim Joannes apostolus testatur, dicens,

[k] [Vid. apud Sirmond. (Op. Paris. 1696.) vol. II. p. 409–10.]
[l] [Pag. 331.] [m] [Pag. 68.]

" *Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater,* " *Verbum et Spiritus; et tres unum sunt.* Quod etiam " beatissimus martyr Cyprianus in Epistola de Unitate " Ecclesiæ confitetur, &c." Unde verba S. Cypriani allegat, et quidem rectius, quam Facundus, hallucinatus utique dum librum sive Epistolam *de Trinitate* citavit. Ex Fulgentii itaque sententia Cyprianus verba S. Joannis de tribus in cœlo testibus prorsus agnovit; uti quidem semetipsum ea in Africanis codicibus legisse clarissime indicat. Cæterum Tertulliani eadem quæ S. Cypriani est ratio.

2. Quicquid autem de Africanis Novi Testamenti codi- 138
cibus, quibus Tertullianus et S. Cyprianus usi sunt, statuatur, S. Joannem tamen in autographo ista de tribus in cœlo testibus verba scripsisse credo, ac argumenta, quibus ad id inducor, hac occasione iis qui diversum sentiunt, consideranda offero. 1. Comma controversum nihil continet, quod non S. Joannes alibi, in evangelio scilicet, expresse docuerit, aut potius Christum ipsum docuisse memoraverit. Tres nominat, qui testimonium perhibent de Christo, Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum; hosque unum esse addit. Atqui de primo teste hæc Servatoris verba in evangelio refert S. Joannes v. 37. Ὁ πέμψας με Πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ· *Qui me misit, Pater, ipse testimonium perhibuit de me;* nempe voce, in baptismo Christi, e cœlis facta, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* Matth. iii. 17. De primo autem et secundo teste junctim S. Joannes iterum sequens dictum Domini consignavit viii. 18. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με Πατήρ. *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* De tertio denique teste, Spiritu Sancto, Servator ait Joan. xv. 26. Ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ· *Ille testimonium perhibebit de me.* Quod autem tres isti testes unum sint, amantissimus discipulus itidem ex ore magistri sui didicerat, dicentis Joan. x. 30. Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· *Ego et Pater unum sumus.* Ex quibus patet, non modo sententiam sed ipsa verba controversi commatis in ipsius S. Joannis evangelio, licet diversis in locis, reperiri. Quidni

igitur idem in Epistola sua eadem scripserit? Imo vero nulla ratione mihi persuadere possum, S. Apostolum, ubi ex instituto agit de iis, qui Jesu Christo testimonium perhibuerint, nominasse quidem tres testes terrenos; tres vero cœlestes, majoris, imo maximæ ac prorsus infallibilis auctoritatis, ipsum Deum Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, ad quorum testimonium Christum provocasse bene noverat, silentio præteriisse. Accedit 2. quod ipse S. Joannes se testimonium Dei Patris de Filio suo allegasse indicaverit verbis mox sequentibus ver. 9. *Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστίν· ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ, ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo.* Atqui si controversum comma e textu tollatur, nullum ibi testimonium Dei Patris præcedit, quod versu modo recitato urgeat. Nam tres testes, *Spiritum, aquam*, et *sanguinem* quod attinet, si per eos cum quibusdam interpretibus intelligas, Spiritum, quem Christus in cruce moriens, Patri commendavit, et sanguinem atque aquam, quæ e latere ejusdem jam mortui emanarunt, ac veritatem humanæ ejus naturæ demonstrarunt, manifestum est, quod testimonium horum haud Dei Patris testimonium dici queat. Sin vero, quæ mea est sententia, alibi prolixe exponenda ac probanda[n], S. Joannes hoc loco ad veritatem, non humanæ Christi naturæ, sed divinæ ejus doctrinæ confirmandam triplex testimonium allegans, eo significaverit triplicem, quem theologi dicere solent, baptismum, *flaminis, fluminis, sanguinis*, id est, dona Spiritus tunc in credentes effusa, præsertim Spiritum prophetiæ, qui Apocal. xix. 10. *testimonium Jesu* expresse ab angelo

[n] [Nusquam, quod sciam, inter scripta quæ publica fecit Grabius, hæc verba 1 Joan. v. 7. prolixe et expresse tractavit. At inter chartas ejus MS. quæ in Biblioth. Bodl. asservantur, non paucæ sunt paginæ ad h. l. spectantes, patris ejus Sylvestri Grabii manu exaratæ, quas in programmata quædam de canonica auctoritate hujus textus ab ipso composita transcripsit idem S. G. annis 1675–77.]

appellatur; deinde baptismum aquæ, quem qui in nomen Christi suscipiunt, publicum ei testimonium perhibent; denique effusionem sanguinis pro nomine Jesu, *martyrium* jam initio ecclesiæ dictum, appellatis quoque inde iis, qui hoc testimonium perhibebant, *martyribus;* (vide Act. xxii. 20.) si, inquam, hæc sententia acceptetur, tunc iterum non Dei, sed hominum ista sunt testimonia. Homines enim, licet divino Spiritu acti, sunt qui sive prophetia, sive sacramento, sive sanguine, suam indeque aliorum in Christum fidem confirmant. Dei testimonium igitur dum inculcavit apostolus, ad Patrem Filium et Spiritum Sanctum, testes paulo vel immediate ante memoratos, respexisse utique videtur. Denique 3. voces istæ ἐν τῇ γῇ, *in terra*, additæ tribus testibus, Spiritui, aquæ, et sanguini, prorsus superfluæ forent, nisi aliorum *in cœlo* testium mentio præcederet vel sequeretur. Atque inde factum puto, ut in quibusdam exemplaribus, in quibus comma de tribus ἐν τῷ οὐρανῷ testimonium perhibentibus desideratur, etiam voces ἐν τῇ γῇ sint omissæ.

3. Præcipuum, imo unicum fere, quod adversus dictum apostolicum objicitur, est raritas codicum, et quidem antiquiorum, in quibus illud exaratum fuit, ac hodienum reperitur. Abfuit quippe ab exemplari Syriaci interpretis, nec non pluribus aliis, quibus usi sunt S. Patres quarti et quinti a Christo nato seculi, uti colligitur ex eo, quod nuspiam in genuinis eorum scriptis contra hæreticos, Deitatem Filii vel Spiritus Sancti negantes, illud citatum inveniatur. Neque hodienum in MS. codice Alexandrino aliisque melioris notæ libris extat, et in quibus legitur, paulo diversum et alio plerumque ordine positum est, alteri scilicet versui de 139
tribus in terra testibus subjunctum. Sed respondeo, hæc omnia haud demonstrare, quod verba ista de tribus in cœlo testibus a S. Joanne non sint scripta; sed solum probare, quod haud diu post a negligente vel festino scriba sint omissa, indeque mancus textus in plura exemplaria fuerit transfusus. Atqui hujus omissionis eadem plane apparet in hoc textu ratio, qua omnia fere sacrorum et profanorum auctorum scripta sunt mutilata, nempe repetitio earundem

vocum, τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες, aut postremarum, ἕν εἰσιν. Ut vero perspiciat lector, idem in aliis S. Scripturarum, et quidem S. Joannis, locis accidisse, ex ipso S. Cypriano et Tertulliano, e quorum scriptis auctoritas dubii testimonii nostri probatur, duo similia affero exempla. In concilio Carthaginensi, cui S. Cyprianus velut primas præfuit, num. 5. p. 231. tractatuum S. Cypriani in edit. Oxon.[o] hæc Christi verba ex Joan. iii. 6. citata leguntur; *Quod natum est de carne, caro est; et quod natum est de spiritu, spiritus est; quia Deus Spiritus est, et de Deo natus est.* Eodem modo allegavit Tertullianus lib. de carne Christi cap. 17.[p] Si itaque ex horum codicibus aliisque judicium capere liceat, in S. Joannis evangelio post ista verba, Τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι, hæc fuere scripta, Ὅτι Θεὸς πνεῦμά ἐστι, καὶ ἐκ Θεοῦ γεγεννημένον ἐστὶ, occasione repetiti verbi ἐστὶ postea omissa. Similiter S. Cyprianus lib. I. Testimon. adversus Judæos cap. 15. in fine p. 25.[q] sequentia Servatoris in evangelio verba adduxit; *Non relinquetur in templo lapis super lapidem, qui non dissolvatur; et post triduum aliud excitabitur sine manibus.* Quæ integra in editionibus S. evangeliorum frustra quæras; in quibus quidem Marc. xiii. 2. videas priora, Οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ· posteriora autem in solo, quem sciam, MS. Cantabrigiensi codice Græco[r] sic expressa reperias; Καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλας (ἄλλος) ἀναστήσεται ἄνευ χειρῶν. Cæterum hæc ab ipsa S. Marci manu profecta esse, vix dubitare me sinit ejusdem historia de falsis adversus Christum testibus, qua refert proxime sequenti cap. xiv. ver. 58. aliquos dixisse, quod e Christi ore audiverint, Ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω· *Ego dissolvam templum hoc manufactum, et post triduum aliud non manufactum ædificabo.* Quæ ultima sunt ipsa ante citata verba, nusquam alibi in S. evangeliis, excepto isto S. Marci loco, literis consignata[s]; in hoc vero occasione recurrentis

[o] [Pag. 331.] [p] [Pag. 321.] [q] [Pag. 280.]

[r] [Et in nonnullis Italæ versionis codicibus apud Griesbach.]

[s] [Sed vid. Joan. ii. 19.]

particulæ καὶ (καὶ διὰ, et καὶ καθημένου) jam olim a negligentibus vel festinantibus librariis omissa, ac proinde in paucis tantummodo codicibus conservata.

4. Sed ut iis quoque satisfaciam, qui controversa Joannis verba ne quidem a Tertulliano et Cypriano, vel alio quodam antiquo Patre allegata largiuntur, alios duos proferam Novi Testamenti versus, qui in editis exemplaribus, ac pluribus, iisque antiquissimis, manuscriptis haud extant, neque a S. Patribus citati sunt; quos tamen ab ipsis S. apostolis scriptos esse persuasus sum, quia addendi eos ratio nulla suppetit; omittendi autem occasio plane eadem conspicitur, quam in modo memoratis locis observavimus. Nimirum Joan. vi. 56. Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, hæc in antiquo MS. Cantabrigiensi subjuncta habes, Καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ Πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ Πατρί. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. Similiter in Epistola S. Pauli ad Hebræos cap. xi. inter versum 23. et 24. sequens comma in quibusdam exemplaribus[t] interjectum legitur, teste Curcellæo; Πίστει μέγας γενόμενος Μωϋσῆς ἀνείλετο τὸν Αἰγύπτιον, κατανοῶν τὴν ταπείνωσιν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Atqui prius comma ob recurrentem vocem ἐν αὐτῷ vel καθὼς, posterius autem ob iterata verba, πίστει Μωσῆς μέγας γενόμενος, excidisse quis non videt? quidni igitur in controverso S. Joannis loco idem contigerit? Neque hæc, quæ modo attuli, exempla defectuum in sacris quibusdam codicibus divinæ in conservanda S. Scriptura providentiæ detrahunt; siquidem sufficit, quod aliqua extent exemplaria vel libri quidam, quorum ope defectus istos resarcire queamus. Ut taceam, loca ista ad necessarios fidei articulos confirmandos aut prorsus non pertinere, aut non necessaria esse, quod eorum veritas pluribus aliis sacrorum scriptorum testimoniis prorsus illibatis probari possit.

AD SECT. VI. 140

DE NOVATIANO.

Postquam Novatianus cap. 11. Deitatem Christi verbis

[t] [Bezæ et Basil. v. Griesbach.]

a reverendo Bullo allegatis clare edisseruit, eandem ex Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti fuse probat cap. 12. et 13. unde præcipua huc transcribere haud abs re erit; quoniam hinc patebit iisdem, quibus nunc adversus hæreticos pugnamus telis, jam olim sui ævi feras transfixisse ecclesiæ Patres, eosque hoc de Deitate Christi dogma pro necessario ad salutem habuisse. Ita igitur Novatianus exorditur caput 12[u]. "Cur ergo dubitemus di-
" cere, quod Scriptura non dubitat exprimere? cur hæsi-
" tabit fidei veritas, in quo Scripturæ nunquam hæsitavit
" auctoritas? Ecce enim Osee[v] prophetes ait ex persona
" Patris, *Jam non salvabo eos in arcu, neque in equis,*
" *neque in equitibus, sed salvabo eos in Domino Deo ip-*
" *sorum.* Si Deus salvare se dicit in Deo, non autem
" salvat nisi in Christo Deus; cur ergo homo dubitet
" Christum Deum dicere, quem Deum a Patre animad-
" vertit positum per Scripturas esse? imo si non salvat
" nisi in Deo Pater Deus, salvari non potuerit a Deo Patre
" quisquam, nisi confessus fuerit Christum Deum, in quo
" se et per quem se repromittit Pater salutem daturum;
" ut merito quisquis illum agnoscit esse Deum, salutem
" inveniat in Deo Christo; quisquis non recognoscit esse
" Deum, salutem perdiderit, quam alibi nisi in Christo
" Deo invenire non poterit." Mox post citata Esaiæ cap. vii. de Immanuele verba et argumentum pro Deitate Christi inde deductum pergit; "Idem prophetes, [xxxv. 3.] *Con-*
" *valescite manus dissolutæ, et genua debilia consolamini,*
" *pusillanimes sensu convalescite, nolite timere. Ecce Deus*
" *noster judicium retribuet, ipse veniet, et salvabit nos.*
" *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum au-*
" *dient,* &c. Si in adventu Dei dicit prophetes hæc futura
" signa, quæ facta sunt, aut Dei Filium agnoscant Chris-
" tum, in cujus adventu et a quo hæc sanitatum signa
" facta sunt, aut divinitatis Christi veritate superati, in
" alteram hæresim ruentes, Christum dum Filium Dei et
" Deum confiteri nolunt, Patrem illum esse confitebuntur.
" Vocibus enim prophetarum inclusi, jam Christum Deum

[u] [Pag. 713.] [v] [i. 7.]

" negare non possunt." Similiter argumentatur ex dicto Habacuci [iii. 3.]; *Deus ab Africo veniet, et Sanctus de monte opaco et condenso.* Ex cap. 13. quo N. T. loca et argumenta inde petita continentur, sequentia solum annotare placet; " Quod si cum nullius sit, nisi Dei, cordis nosse " secreta, Christus secreta conspicit cordis; quod si, cum " nullius sit, nisi Dei, peccata dimittere, idem Christus " peccata dimittit; quod si, cum nullius sit hominis de " cœlo venire, de cœlo veniendo descendit; quod si, cum " nullius hominis hæc vox esse possit, *Ego et Pater unum* " *sumus,* hanc vocem de conscientia divinitatis Christus " solus edicit; quod si postremo, omnibus divinitatis " Christi probationibus et rebus instructus apostolus Tho- " mas, respondens Christo, *Dominus meus et Deus meus* " dicit; quod si et apostolus Paulus, " *quorum,* inquit, " *Patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est* " *super omnia Deus benedictus in secula,* in suis literis " scribit; quod si idem se *apostolum non ab hominibus,* " *aut per hominem, sed per Jesum Christum* constitutum " esse depromit; quod si idem evangelium *non se ab* " *hominibus didicisse,* aut per hominem, *sed per Jesum* " *Christum accepisse* contendit; merito Deus est Chris- " tus." Confer quæ idem habet inferius cap. 30.

CAP. XI. 141

In quo consensus cum Patribus Nicænis Dionysiorum, Romani et Alexandrini, declaratur.

1. DIONYSIUS Romanus episcopus, dum adhuc presbyter esset, a cognomine suo Dionysio Alexandrino λόγιός τε καὶ θαυμάσιος[x], *Vir disertus et admirandus* appellatus, Valeriano et Gallieno imperantibus floruit[y]. In hujus Dionysii Fragmentis nihil

[x] Vid. Euseb. H. E. VII. 7. [Verba sunt ipsius Eusebii, non Dionysii.]

[y] Ecclesiæ Romanæ episcopatum tenuit ab an. 259. usque ad an. 269. *Cave.* BOWYER.

reprehendit Petavius, tanquam Arianismum sapiens; sed ipsum, ut perquam catholice de S. Trinitate sentientem laudat. Quin et ipse Sandius, qui nihil non in antiquitate ruspatus est, quod pro Arianis vel tantillum facere videretur, de hoc scriptore prudenter admodum tum in libro de scriptoribus ecclesiasticis, tum in Nucleo suo Historiæ Ecclesiasticæ totus silet. Nos vero, ne tantum fidei catholicæ vindicem et testem ignoret lector *φιλαληθὴς*, ejus suffragia in medium proferemus. Scripsit eruditam Epistolam adversus Sabellianos, quæ periit; sed ejus segmentum bene longum, auro contra non carum, nobis reservavit Athanasius[z], in quo absolutissima de S. Trinitate confessio continetur. Nam postquam ibi Dionysius Sabellii dogma refutasset, contra aliam hæresim Sabellianæ contrariam ita disserit: *Ἐξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιροῦντας, καὶ κατατέμνοντας, καὶ ἀναιροῦντας τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν, εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς, καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, καὶ θεότητας τρεῖς· πέπυσμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, ταύτης ὑφηγητὰς τῆς φρονήσεως· οἱ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ· ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν υἱὸν εἶναι λέγων τὸν πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὲ τρεῖς Θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα. ἡνῶσθαι γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν θεῖον λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἤδη καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαι τε καὶ συνάγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη.* i. e. "Deinceps adversus "eos similiter dicam, qui dividunt, et secant, et ever-

[z] Athan. de Decretis Synodi Nicænæ, tom. I. p. 275. [§. 26. vol. I. p. 231.]

" tunt religiosissimum dogma ecclesiæ Dei, monar-
" chiam, in tres quasdam virtutes partientes, et di-
" visas hypostases, ac Deitates tres. Nam audio
" quosdam apud vos esse catechistas et doctores di-
" vini verbi, qui illius sunt opinionis auctores; qui
" ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii
" placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum
" asserens esse Patrem, et e converso, Patrem esse
" Filium; at isti tres quodammodo Deos prædicant,
" dum sanctam Monadem dividunt in tres hypostases
" peregrinas, a se invicem plane separatas. Etenim
" necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, et in
" Deo manere et habitare Spiritum Sanctum. Jam
" vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in
" caput quoddam et summam, omnipotentem Deum
" universorum dico, colligi et coalescere, prorsus
" est necesse." Verba hæc tam diserta sunt, ut nostra non egeant deductione, qua ostendatur, quam in ipsis integra doctrina de sacra triade, contra hæreses quasviscunque, plenissime et planissime explicetur. Idem vero Dionysius post aliqua adversus eos, qui Filium Dei creaturam prædicarent, hæc subjungit: Οὐ μεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τοὺς ποίημα τὸν υἱὸν εἶναι δοξάζοντας, καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον, ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντως γενομένων, νομίζοντας, τῶν θείων λογίων γέννησιν αὐτῷ τὴν ἁρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' οὐχὶ πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυρούντων. i. e. " Cæterum non minus culpave-
" ris eos, qui Filium Dei opus existimant, et Domi-
" num factum esse, sicut cætera, opinantur; cum
" sacra eloquia generationem ei congruentem et de-
" centem, non autem formationem et creationem testi-
" moniis suis attribuant." Addit ἀμέσως hæc verba: Βλάσφημον οὖν οὐ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν οὖν, χειροποίητον 142
τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον. i. e. " Blasphemia igitur

" non vulgaris, sed maxima habenda est, si quis Do-
" minum quodammodo manu factum dicat." Denique post aliquammulta lectu digna, sic concludit Dionysius: Οὔτ' οὖν καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς θεότητας τὴν θαυμαστὴν καὶ θείαν μονάδα, οὔτε ποιήσει κωλύειν τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τοῦ Κυρίου· ἀλλὰ πεπιστευκέναι εἰς Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἡνῶσθαι δὲ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὸν λόγον· Ἐγὼ γὰρ, φησὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· καὶ, Ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία τριὰς καὶ τὸ ἅγιον κήρυγμα τῆς μοναρχίας διασώζοιτο. i. e. " Non igitur dividenda est in tres Dei-
" tates admirabilis et divina unitas, neque sub no-
" mine creationis minuenda est dignitas et immensa
" Domini majestas; sed credendum est in Deum
" Patrem omnipotentem, et Christum Jesum Filium
" ipsius, et in Spiritum Sanctum; uniri autem uni-
" versorum Deo Verbum; *Ego enim*, inquit, *et*
" *Pater unum sumus*; et, *Ego in Patre, et Pater in*
" *me*. Ita enim et divina Trinitas, simulque sancta
" prædicatio monarchiæ conservari possint." Quis unquam quicquam melius, vel post Nicænum concilium, contra Arianam aliasque de Trinitate hæreses scripsit? sed de fide hujus Dionysii Romani plura dicemus in Dionysio Alexandrino, cujus sententiæ explicationem nunc aggredior.

2. Dionysius Alexandriæ episcopus [a], ὁ μέγας, *magnus ille* ab Eusebio, Basilio [b] et aliis dictus, quemadmodum cognominis, ita σύγχρονος fuit, ut jam indicavimus, Dionysio Romano; et amborum historiæ, quod ad rem attinet qua de agimus, secum invicem

[a] Circa an. 232. constitutus. *Cave.* BOWYER.

[b] Euseb. Hist. Eccles. lib. VII. in ipso initio; Basil. Epist. Canon. ad Amphiloch. [Ep. CLXXXVIII. vol. III. p. 269.]

sic cohærent, ut altera sine altera plene enarrari nequeat. De hoc autem Dionysio, tanquam suo, mire olim gloriabantur Ariani; non immerito quidem, si nupero Ariano Sandio credimus; sed reipsa immeritissime. Verum audiamus primum, quid de ipso scripserit Sandius [c]: " Docuit," inquit, " creaturam " esse Filium Dei, et factum, nec natura proprium, " sed hospitem vel peregrinum secundum substan- " tiam esse Patris, sicut agricola se habet ad vineam, " et navium fabricator ad scapham; etenim, ait, tan- " quam creatura existens, non erat antequam fieret." Ut vero intelligas, quibus magistris hoc didicerit Sandius, post pauca hæc subjicit: " Huetius Origen. " II. 2. q. 2. §. 10, 25. ait indigna et intoleranda " de Trinitate profudisse Dionysium Alexandrinum; " nam Filium Patris ποίημα, i. e. *creaturam* et *fac-* " *tum*, eique dissimilem dixisse, et alienum quoad " substantiam a Patre, quemadmodum est agricola " ad vitem; neque cum creatura sit, fuisse ante- " quam factus esset; et voces emisisse Spiritui pa- " rum convenientes. Et cap. 3. §. 6. refert eum " falsa et absurda de Trinitate commentum esse. " Ideoque Dionysius Petavius etiam hunc sibi cog- " nominem non immerito iis accenset, qui idem quod " Arius ante tradiderunt." Demum sic concludit; " Non temere ergo coram Athanasio de Dionysii " consensu gloriabantur Ariani." Hæc Sandius.

3. Verum enim vero nos asserere non veremur, Arianos non modo temere et falso, sed etiam imprudenter admodum, atque in causæ suæ ruinam, ad Dionysii sententiam appellasse; adeoque contendimus, vix quicquam in Ecclesiastica Historia eorum,

[c] Enucl. Hist. Eccl. l. I. p. 122.

quæ ante concilium Nicænum gesta sunt, occurrere, quod contra Arianos magis faciat, quam hujus Dionysii historia, si fideliter enarretur. Itaque historiam illam vere et succincte referemus. Cum, hæresi Sabelliana in Ægypto et Pentapoli, unde orta erat, magis indies gliscente, Dionysius episcopus Alexandrinus Epistolam adversus eam ad Ammonium et Euphranorem scripsisset; dum personas accuratius distinguere curaret, in contrariam inflecti visus est partem, nimirum divinas personas non tantum distinxisse, suis proprietatibus singulis attributis, sed etiam substantia divisisse ab invicem, adeoque negasse Filium esse Patri ὁμοούσιον. Quapropter a Pentapolitanis quibusdam læsæ fidei reus factus apud Romanum episcopum, eodem quoque tunc nomine Dionysium appellatum; cum in ea causa synodus episcoporum Romæ celebrata esset, idem Alexandrinus ab ea rogatus, ut sententiam suam declararet, Apologiam ad prædictum Romanum episcopum scripsit, qua se defendens a calumniis illatis egregie fidem catholicam de homoousio sartam tectam custodivit, eidemque episcopo in omnibus satisfecit. Hæc autem ita gesta esse testatur S. Athanasius, ejusdem Alexandrinæ ecclesiæ postea episcopus, tum in Commentario de Synodis Arimin. et Seleuc. tum maxime in libro, quem ex professo conscripsit adversus Arianos, qui Dionysium suæ ipsorum opinionis jam
143 olim fuisse professorem jactitarent; quos refellens Athanasius docet Dionysium recte in omnibus de fide catholica sensisse, et quæ ambigue alicubi in Epistola ad Ammonium et Euphranorem dixisset, eadem tum in illa ipsa Epistola, tum postmodum aliis suis scriptis dilucidius explicasse, ac præcipue illis, quæ ad sui cognominem Romanum episcopum scrip-

sit; quæ quidem quatuor libris fuisse comprehensa, Eusebius atque Hieronymus testantur. Sed qui hæc ignorarunt, et minus legerunt, quæ pro Dionysii defensione scripta fuissent ab Athanasio, non dubitarunt eundem Dionysium post etiam accusare, quod Arianis arma subministrasset, puta Basilius et Gennadius Massiliensis; quanquam Basilius [d], re postea cognita, ut videtur, de eodem tanquam orthodoxo honorifice meminit. Deceptus vero in eo est Ruffinus [e] Aquileiensis, dum existimavit Dionysii scripta ab Arianis fuisse corrupta et depravata. Nihil enim hujusmodi Athanasius, eum defendens, causatur; sed illa, ut ab eo scripta sunt, integra atque sincera perseverasse indicat, quibus ipsum recte sensisse perspicue innotesceret. Ita fere historiam compendio tradidit Baronius.

4. In hac autem historia duo imprimis nobis observanda veniunt. Primo hinc liquet, Dionysium Alexandrinum nunquam revera scripsisse, quæ ipsi a Pentapolitanis objecta erant, nempe Filium Dei, qua proprie Filius Dei est, creaturam, sive facturam esse: nunquam non agnovisse eundem Dei Filium Patri esse ὁμοούσιον et ὁμογενῆ. Id probat Athanasius primo ex ipso libri titulo, quem Dionysius ille ad Romanum Dionysium scripsit. Verba Athanasii hæc sunt [f]: Πρῶτον μὲν οὖν Ἐλέγχου καὶ Ἀπολογίας ἔργαψεν ἑαυτοῦ τὴν ἐπιστολήν. τοῦτο δὲ τί ἐστιν, ἢ ὅτι τοὺς μὲν ψευδομένους ἐλέγχει, περὶ δὲ ὧν ἔγραψεν, ἀπολογεῖται; δεικνὺς, ὅτι μὴ, ὡς Ἀρεῖος ὑπενόησεν, ἔγραψεν αὐτὸς, ἀλλ' ὅτι τῶν

[d] Basil. ad Amphiloch. de Spirit. S. c. 29. [§. 72. vol. III. p. 60.]

[e] Ruffin. Apolog. pro Origene. [Sive, De Adult. lib. Orig. p. 50.]

[f] Athan. de sententia Dionysii Alexand. tom. I. p. 559. [§. 14. vol. I. p. 253.]

ἀνθρωπίνως εἰρημένων περὶ τοῦ Κυρίου μνησθεὶς οὐκ ἠγνόει τοῦτον εἶναι λόγον καὶ σοφίαν ἀδιαίρετον τοῦ Πατρός. i. e. "Primo igitur Epistolam suam Refutationem et "Defensionem inscripsit; quod quid aliud signifi- "cat, quam se et mentientes refellere, et quæ scrip- "sit defendere? ostendens se nequaquam ea mente, "qua Arius, ista scripsisse; sed dum citaret dicta, "quæ ad humanam Domini naturam pertinerent, "sibi non excidisse, eundem Dominum esse etiam "Verbum et Sapientiam minime a Patre divisam." Ac sane si ea unquam revera sensisset Dionysius, quæ ipsi Pentapolitani objecerunt, responsionem ad objecta crimina vir eximie pius non Refutationem et Defensionem, sed potius Confessionem, aut Palinodiam inscripsisset. Nam blasphemias sibi objectas non defendisse γυμνῇ κεφαλῇ Dionysium, ex ipsa ejus Apologia constat; neque si ita fecisset, apud Dionysium Romanum se unquam purgasset, utpote virum, ut supra ostensum est, in articulo de S. Trinitate apprime catholicum. Deinde idem probat Athanasius ex eo, quod ipse Dionysius in Apologia palam conquestus est, adversarios verba sua haud bona fide recitasse, sed truncasse et mutilasse, atque ex iisdem ita truncatis et mutilatis propositiones hæreticas, quas ipsi objicerent, effinxisse. Verba Athanasii, post ea, quæ adduximus, ἀμέσως sequentia, diserta sunt; Ἔπειτα, inquit, αἰτιᾶται τοὺς κατειπόντας αὐτοῦ, ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτοῦ τὰς λέξεις· καὶ ὡς μὴ καλῇ συνειδήσει, ἀλλὰ πονηρᾷ λαλοῦντας ὡς θέλουσι· τούτους δὲ τούτοις ἀπεικάζει, τοῖς τὰς τοῦ μακαρίου ἀποστόλου διαβάλλουσιν ἐπιστολάς. ἡ δὲ τοιαύτη μέμψις αὐτοῦ πάντως ἀπὸ φαύλης ὑποψίας αὐτὸν ἀπολύει. i. e. "Porro "conqueritur de adversariis suis, quod non integre "ipsius scripta, sed mutilate adducant; neque bona

" conscientia, aut sincere, sed mala conscientia, pro " libitu suo, loquantur; illosque similes pronuntiat " beati apostoli Epistolarum calumniatoribus. Ista " autem ejus querela ab omni ipsum suspicione libe- " rat." Denique sigillatim monstrat Athanasius, Dionysium in Apologia sua ad singula sibi objecta capita respondisse, seque catholicum in omnibus probasse; id, inquam, Athanasius, adductis ipsis Dionysii expressis verbis, liquido ostendit; ut mirari satis nequeam viros illos doctos et catholicos, qui hodieque in immortale illud Alexandrinæ ecclesiæ decus Arianismi calumniam impingere non desinant.

5. Quo res clarius lectori patescat, ex capitibus Dionysio objectis, nos unum et alterum præcipuum, unde pendeant cætera, hic notabimus. Querebantur calumniatores, quod Patrem nominans Dionysius non simul nominaverit Filium, rursusque in mentione Filii nomen Patris reticuerit; inde inferentes, disjunxisse ipsum, elongasse ac divisisse Filium a Patre. Ad hoc optimus præsul apud Athanasium sic respondet[g]: Τῶν ὑπ' ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον 144
ἀχώριστόν ἐστι καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον. Πατέρα εἶπον, καὶ πρὶν ἐπαγάγω τὸν υἱὸν, ἐσήμανα καὶ τοῦτον ἐν τῷ Πατρί· υἱὸν ἐπήγαγον, εἰ καὶ μὴ προειρήκειν τὸν Πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ υἱῷ προείληπτο. ἅγιον πνεῦμα προσέθηκα· ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν, καὶ διὰ τίνος ἦκεν, ἐφήρμοσα. οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν ὅτι μήτε ἀπηλλοτρίωται Πατὴρ υἱοῦ, ἢ Πατήρ· προκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τῆς συναφείας τὸ ὄνομα· οὔτε υἱὸς ἀπῴκισται τοῦ Πατρός· ἡ γὰρ Πατὴρ προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν. ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐστι τὸ πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος, μήτε τοῦ φέροντος δυνάμενον στέρεσθαι. πῶς οὖν ὁ τούτοις χρώμενος τοῖς ὀνόμασι μεμερίσθαι ταῦτα καὶ ἀφωρίσθαι παντελῶς ἀλ-

[g] Tom. I. p. 561. [§. 17. p. 254.]

λήλων οἶομαι; i. e. "Singula illa nomina, de quibus "locutus sum, inseparabilia a se invicem sunt, nec "dividi queunt. Patrem cum dico, ante mentionem "Filii sub Patris vocabulo etiam Filium significavi. "Contra si in mentione Filii Patrem omiserim, ta- "men ille sub nomine Filii præintelligi debuit. Spi- "ritum Sanctum adjeci; sed ita ut simul adjunxe- "rim, undenam ille, et per quem venerit. Sed isti "ignorant, Patrem a Filio alienari non posse, qua- "tenus Pater est; quippe quod primarium sit con- "junctionis vocabulum; neque Filium a Patre pro- "cul remotum esse; siquidem Patris vocabulum "communionem declarat: in amborum vero mani- "bus esse Spiritum Sanctum, qui neque a mittente, "neque a ferente segregari possit. Quomodo igitur "qui istis nominibus utor, suspectus habear, quasi "dividi omnino ista separarique existimaverim?" Hæc omnia, aliquammultis interjectis, paucis verbis complectitur, dum, referente Athanasio[h], ait, ἀδιαίρετον καὶ ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι. i. e. "Indivisibilem et indiminutam Trinitatem in "unitatem colligi."

6. Dionysio præterea objiciebant adversarii, docuisse ipsum, Filium Dei alienum esse a Patris substantia; Patremque ad Filium ita se habere, ut agricola se habet ad vitem, et navium fabricator ad scapham. Ad quæ respondet vir sanctus in hæc verba[i]: Πλὴν ἐγὼ γενητά τινα καὶ ποιητά τινα φήσας νοεῖσθαι, τῶν μὲν τοιούτων ὡς ἀχρειοτέρων ἐξ ἐπιδρομῆς εἶπον παραδείγματα. ἐπεὶ μήτε τὸ φυτὸν ἔφην τῷ γεωργῷ, μήτε τῷ ναυπηγῷ τὸ σκάφος[k]· εἶτα τοῖς ἰκνουμένοις καὶ προσφυεστέροις ἐνδι-

[h] Pag. 562. [§. 19. p. 256.]

[i] Apud Athanas. tom. I. p. 561. [§. 18. p. 255.]

[k] [Deesse hic quidpiam monet editor Benedict.]

ἔτρεψα, καὶ πλέον διεξῆλθον περὶ τῶν ἀληθεστέρων, ποικίλα προσεπεξευρὼν τεκμήρια· ἅπερ καὶ σοὶ δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα· ἐν οἷς ἤλεγξα καὶ ὃ προφέρουσιν ἔγκλημα κατ' ἐμοῦ, ψεῦδος ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ. εἰ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτό φημι μὴ εὑρηκέναι, μηδ' ἀνεγνωκέναι που τῶν ἁγίων γραφῶν, ἀλλάγε τὰ ἐπιχειρήματά μου τὰ ἐξῆς, ἃ σεσιωπήκασι, τῆς διανοίας ταύτης οὐκ ἀπᾴδει. καὶ γὰρ καὶ ἀνθρωπείαν γονὴν παρεθέμην, δῆλον ὡς οὖσαν ὁμογενῆ· φήσας πάντως τοὺς γονεῖς μόνον ἑτέρους εἶναι τῶν τέκνων, ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα[1]. καὶ τὴν μὲν ἐπιστολὴν, ὡς προεῖπον, διὰ τὰς περιστάσεις οὐκ ἔχω προκομίσαι. εἰ δ' οὖν αὐτά σοι τὰ τότε ῥήματα, μᾶλλον δὲ καὶ πάσης ἂν ἔπεμψα τὸ ἀντίγραφον· ὅπερ ἂν εὐπορήσω, ποιήσω. οἶδα δὲ καὶ μέμνημαι πλείονα προσθεὶς τῶν συγγενῶν ὁμοιώματα. καὶ γὰρ καὶ φυτὸν εἶπον, ἀπὸ σπέρματος ἢ ἀπὸ ῥίζης ἀνελθὸν, ἕτερον εἶναι τοῦ, ὅθεν ἐβλάστησε, καὶ πάντως ἐκεῖνο [m] καθέστηκεν ὁμοιοφυές· καὶ ποταμὸν ἀπὸ πηγῆς ῥέοντα ἕτερον σχῆμα καὶ ὄνομα μετειληφέναι· μήτε γὰρ τὴν πηγὴν ποταμὸν, μήτε τὸν ποταμὸν πηγὴν λέγεσθαι· καὶ ἀμφότερα ὑπάρχειν, καὶ τὴν μὲν πηγὴν, οἱονεὶ τὸν Πατέρα εἶναι, τὸν δὲ ποταμὸν εἶναι τὸ ἐκ τῆς πηγῆς ὕδωρ. ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲ ὁρᾶν γεγραμμένα, ἀλλ' οἱονεὶ τυφλώττειν ὑποκρίνονται· τοῖς δὲ δυσὶ ῥηματίοις ἀσυνθέτοις, καθάπερ λίθοις, μακρόθεν ἐπιχειροῦσί με βάλλειν. i. e. "Cæterum ego, cum dixissem, quædam "genita, et facta quædam intelligi, horum quidem, "ut minoris momenti, exempla tantum in transcursu "recensui. Postquam enim dixeram, neque plantam "esse in agricola, neque in navium fabricatore sca-"pham; deinceps in rebus congruis et accommoda-"tioribus longiorem moram impendi, quæque magis

[1] [Omittitur ἢ μήτε γονεῖς ἀναγκαῖον ὑπάρχειν εἶναι μήτε τέκνα. *alioqui necesse fore neque parentes existere, neque filios.* Vid. Grabii Annotata ad h. c.]

[m] [l. ἑκάστῳ. Vid. Grabii Annotata et mox ὁμοφυές.]

" genuina erant plenius enarravi, variis adinventis
" argumentis, (quæ et tibi in alia Epistola descrip-
" si,) quibus ostendi crimen, quod deferunt contra
" me, falsum esse, quasi qui non dixerim Christum
" esse Deo consubstantialem. Nam tametsi dico
" me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in
" sacris literis; argumenta tamen mea, quæ post-
" modum subjunxi, et ab illis tacita sunt, ab hac
" sententia non dissonant. Nam et humanum par-
" tum pro exemplo adduxi, haud dubie congenerem,
" idque in verbis meis addens, omnino parentes eo
" solum alios esse a liberis, quod ipsi liberi sui non
" sint. Et Epistolam, ut dixi, ob casus temporum
" proferre nequeo. Alioquin ipsa tibi quæ tunc scripsi
" verba, imo epistolæ totius exemplar misissem; quod
" et ubi nactus ipsum fuero, faciam. Scio autem
" et bene memini, me plurimas ex cognatis rebus
" similitudines congessisse. Nam et plantam dixi,
" e semine aut radice provenientem, aliud esse
" ab eo unde germinascit, et tamen cum eo pror-
" sus esse similis naturæ; et fluvium e fonte pro-
" manantem aliam formam nomenque accipere; ne-
" que enim fontem fluvium, neque fluvium fontem
145 " appellari; et tamen ambos existere, et fontem in-
" star Patris esse, fluvium vero esse ex fonte aquam.
" Cæterum hæc et istiusmodi a me scripta, quasi
" cæcutientes, dissimulant se vidisse, duobusque vo-
" cabulis male compositis, veluti saxis, eminus me
" lapidare conantur." Sic Dionysius; quid autem hac defensione clarius? scilicet vir magnus in Epistola, quam carpserunt adversarii ejus, Patris et Filii distinctionem, contra Sabellianos, variis similibus illustrare conatus fuerat; quorum alia ad humanam tantum Christi naturam a Patre conditam per-

tinerent, ut illud agricolæ ad vitem, et fabri nautici ad navem; alia vero etiam ad divinam Servatoris naturam, per æternam generationem a Patre acceptam, accommodata essent. Ac prioris quidem generis exempla, ut minus apta, obiter tantum et leviter perstrinxerat; in posterioribus vero, ut maxime congruis et accommodatis, diutius immoratus fuerat. Hæc inter, plura erant, quæ Filii τὸ ὁμοούσιον (quanquam fatetur Dionysius se ibidem ipsam vocem non adhibuisse) re ipsa egregie confirmarent. Nam et humanum partum pro exemplo adduxerat, hæc verba expressa subjungens; "Omnino parentes "eo solum alios esse a liberis, quod ipsi liberi sui "non sint." Quo exemplo tum naturæ communio, quæ inter Deum Patrem et Filium intercedit, tum personarum distinctio manifeste declaratur. Addiderat, plantam e semine aut radice succrescentem aliud esse ab eo unde progerminatur, et tamen cum eo prorsus esse ejusdem naturæ; et alia plura ejus generis exempla. Verum hæc omnia sophistæ reticentes ex duabus tantum voculis, iisque a se male compositis, atque aliorsum, quam voluit Dionysius, pertractis, calumniandi ansam arripuerunt. At quorsum, inquies, omnino adhibuit Dionysius exempla ista minus accommodata, quæque tantum in humanam Christi naturam quadrarent? Optime respondet magnus Athanasius[n]: Καὶ ἔστιν ἀληθῶς τύπος οὗτος πιθανὸς πρὸς ἀνατροπὴν τῆς Σαβελλίου μανίας· κ. λ. "Est," inquit, "hæc disserendi ratio revera efficax "ad subruendum Sabellii furorem, ut qui velint ci-"tissime convincere istiusmodi homines, neutiquam "initium faciant ab iis, quæ demonstrant Verbi di-

[n] Tom. I. p. 568. [§. 26. p. 261.]

" vinitatem, nimirum Filium esse Verbum, Sapien-
" tiam, et Potentiam, Patremque cum eo unum
" esse; ne illi recte dicta prave interpretantes, inde
" sibi occasionem suppeditent improbæ suæ conten-
" tionis, cum audiant, *Ego et Pater unum sumus*,
" et, *Qui videt me, videt Patrem meum;* sed præ-
" mittant ea, quæ de Salvatore humanitus dicta
" sunt, quemadmodum Dionysius fecit, quale est,
" quod esuriret, quod precatus sit, et passus. Quanto
" enim ista humiliora sunt dictu, tanto magis osten-
" ditur, Patrem hominem non esse factum. Neces-
" sum enim est, cum Dominus *vitis* appelletur, esse
" vinitorem; et cum precetur, esse qui exaudiat;
" cum denique petat, esse qui donet. Hæc autem
" longe liquidius Sabellianorum furorem ostendunt,
" quod alius sit qui precetur, alius qui audiat; alius
" vitis, alius agricola." Quod vero Dionysio objiciebant adversarii, negasse ipsum Filii æternitatem, de eo magni præsulis luculentam responsionem audies ad sect. III. de Filii τῷ συναϊδίῳ. Hæc autem cum ita se habeant, serio monendi sunt horum temporum viri quidam docti, ne veterum sycophantarum mores imitentur, neve posthac plurima illa, quæ Dionysius catholice scripsit, dissimulantes, duas istas voculas, τὸ φυτὸν et τὸν γεωργὸν, veluti duos lapides, eosque loco suo motos, in virum sanctissimum ac de ecclesia catholica optime meritum, pergant impingere.

7. Ad alterum illud, quod in hujus Dionysii historia præcipue observandum duxi, progredior. Hinc itaque illud præterea evidenter colligitur, sententiam, quæ statuit Filium Dei esse Patri suo ὁμοούσιον et συναΐδιον, jam Dionysii ætate pro certa et catholica, cui nefas contradicere, in ecclesiis Christianis

communiter receptam atque habitam fuisse. Nimirum simul atque maleferiati quidam homines falso in Dionysium sparserint calumniam, quasi docuisset ille, Filium non esse Deo Patri ὁμοούσιον, sed creatum et factum, et fuisse quando Filius non esset, totus fere Christianus orbis ea de re commovebatur; ab oriente in occidentem deferebatur querela; ad episcopum Romanum, primam inter præsules cathedram obtinentem, appellatio facta est; concilium in Romana diœcesi ea de re mox habitum; in quo damnatis, quæ Dionysii Alexandrini dicebantur, opinionibus, synodica scripta est Epistola ad ipsum Dionysium, qua sciscitabantur ex ipso Patres, an dogmata istiusmodi revera evulgasset. Hoc aperte testatur ipse Athanasius, Dionysii defensor, in libro de Synodis Arim. et Seleuc.[o] his verbis: Ἀλλὰ τινῶν αἰτιασαμένων παρὰ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης τὸν τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, ὡς λέγοντα ποίημα, καὶ μὴ ὁμοούσιον τὸν υἱὸν τῷ Πατρὶ, ἡ μὲν κατὰ Ῥώμην σύνοδος ἠγανάκτησεν, ὁ δὲ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος τὴν πάντων γνώμην γράφει πρὸς τὸν ὁμώνυμον ἑαυτοῦ. i. e. "Cæterum cum quidam Alexandri-
" num episcopum apud Romanum accusarent, quasi 146
" qui Filium creaturam et non consubstantialem
" Patri diceret, synodus quidem Romæ coacta rem
" indigne tulit, et Romanus episcopus ad sui cogno-
" minem omnium sententiam perscripsit." Inde nata Dionysii Alexandrini Refutatio et Apologia, ad Romanum Dionysium conscripta, qua se apud virum prudentem et æquissimum facile purgavit. Quinetiam ex hac historia certo colligitur, (quod et jam alibi[p] observavimus,) ipsum ὁμοουσίου vocabulum, temporibus hujus Dionysii, hoc est sexaginta ad mini-

[o] Tom. I. p. 918. [§. 43. p. 757.]

[p] Supra cap. 1. hujus sectionis §. 8. [p. 80.]

mum annis ante concilium Nicænum apud catholicos, in explicatione dogmatis de Filii divinitate, usu vulgatum, receptum atque approbatum fuisse. Quippe id Dionysio, ut ipse fatetur, in terminis objectum fuit, quod Filium non dixerit Patri ὁμοούσιον· atque ad eam objectionem respondit vir optimus, se vocabulum quidem in Scripturis non legisse, neque tamen propterea ab eo abhorruisse; (equidem in Epistola contra Paulum Samosatenum vocem illam tanquam catholicis Patribus se anterioribus usurpatam, ut supra ostensum est [q], diserte probat;) rem vero ipsam quæ vocabulo significatur, tum in aliis scriptis suis, tum in ea ipsa Epistola, ex qua calumniam ipsi struxerant adversarii, sæpius atque apertissime confirmasse.

8. Quid jam ad hæc omnia Sandius [r]? audi, et mirare hominis extremam sive imperitiam sive impudentiam; "Apologia," inquit, "hujus Dionysii, "quæ fertur conscripta ad Dionysium Romanum, "mihi spuria videtur, et conficta ab iis, qui a Ro- "mano pontifice, ceu summo judice, omnes contro- "versias fidei decidendas volunt." Quis vero mortalium ante ipsum hoc suspicatus unquam fuit? sed fortasse Historiæ Ecclesiasticæ enucleator ille rationes hujus censuræ suæ habet, quas nos simplices homines et cicures Enniani nondum intelligimus. Quippe palam profitetur [s], sibi propositum fuisse, "quasi paralipomena Historiæ Ecclesiasticæ, et quæ "sunt παρὰ δόξαν vulgariter eruditorum, scribere." Age, videamus, ecquid hic proferre possit dignum, quod omnium tam vulgariter, quam supra vulgus

[q] [Pag. 80, 81.] [r] De Script. Eccles. p. 42, 43.
[s] Enucl. Hist. Eccles. I. p. 121.

eruditorum consensui opponatur. " Primo," inquit, " istius Apologiæ nec Eusebius, nec Hieronymus " meminere." Resp. Demus hoc verum esse; at istius Apologiæ meminit Athanasius, qui antecessoris sui in cathedra Alexandrina scripta optime novit, atque ita meminit, ut bene longas ex ipsa pericopas αὐτολεξεὶ citaverit, quas et Arianis, de consensu Dionysii gloriantibus, fidenter opposuerit. Meminit et ejusdem magnus Basilius de Spir. S. cap. 29.[t] ubi et egregium de Spiritus Sancti divinitate testimonium ex ipsa profert. Sed et falsissimum est, neque Eusebium, neque Hieronymum istius Apologiæ meminisse; uterque satis claram ejus mentionem fecit. Eusebius Hist. Eccl. VII. 26. Epistolas recensens, et libros epistolari forma conscriptos, quos adversus Sabellium elucubravit Dionysius Alexandrinus, de hac Apologia sic scribit; Συντάττει δὲ περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως καὶ ἄλλα τέσσαρα συγγράμματα· ἃ τῷ κατὰ Ῥώμην ὁμωνύμῳ Διονυσίῳ προσφωνεῖ. i. e. " Quatuor etiam " libros de eodem argumento composuit, quos cog- " nomini suo Dionysio Romanorum episcopo nuncu- " pavit." Quibus Eusebii verbis libros περὶ ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, quorum fragmenta protulit Athanasius, designari manifestum est. Scilicet omnia conveniunt, sive formam, sive argumentum, sive nuncupationem, sive partitionem librorum respicias. Forma utriusque scripti eadem erat, nempe epistolaris. Opus, quod memorat Eusebius, erat de controversia Sabelliana conscriptum; idemque argumentum tractavit opus περὶ ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας, ab Athanasio et Basilio citatum. Dionysio Romanorum episcopo nuncupatum et istud, et hoc pariter. Epistolicum

[t] Tom. II. p. 358. [vol. III. p. 60.]

opus, cujus meminit Eusebius, in diversa volumina partitum erat; sic et apologetica Epistola ab Athanasio commemorata. Epistolam, cujus mentionem facit Eusebius, quatuor omnino partibus constitisse ipse testatur; et ex Apologiæ Dionysianæ primo, altero et tertio volumine nominatum protulit testimonia Athanasius. Vide, quæ doctissimus Valesius ad dictum Eusebii locum annotavit. Jam quod ad Hieronymum attinet, et is quoque hujus quadripartitæ Epistolæ diserte meminit in Catalog. Script. Eccles. in Dionysio Alexandrino, his verbis[u]; "Ejus "sunt et quatuor libri ad Dionysium Romanæ urbis "episcopum."

9. Secundo in loco ita argumentatur Sandius; "Constat," inquit, "ex Chronico et Historia Eccle- "siastica Eusebii, Dionysium Alexandrinum prius "valde senem mortuum, eique successorem Maxi- "mum (an. 268.) constitutum, quam Dionysius Ro-
147 "manus episcopus (an. 269.) evasisset." Argumentum quidem tali Historiæ Ecclesiasticæ enucleatore dignum; scilicet norunt omnes, qui in hoc literarum genere vel mediocriter versati sunt, Eusebium hic in temporis supputatione turpiter lapsum esse. Hic fons erroris, quod annos pontificatus Xysti, antecessoris Dionysii Romani, ignoraverit; utpote quem undecim annis ecclesiæ Romanæ præfuisse tradit, cum Xystum constet haud per integrum triennium eam ecclesiam gubernasse. De hoc Eusebii spisso errore sic scribit præstantissimus Valesius[x]: "Gra- "viter," inquit, "hic hallucinatur Eusebius; neque "enim undecim annis Xystus Romanam rexit ec- "clesiam, sed biennio tantum ac mensibus undecim,

[u] [Vol. II. p. 897-8.]

[x] In not. ad Euseb. Hist. Eccles. VII. 27.

" ut scribitur in libro de Pontificibus Romanis, quem " primus edidit Cuspinianus. In eo libro anni pon- " tificum Romanorum optime digesti sunt, a Callisto " Papa usque ad Liberii pontificatum. Et de Xysto " quidem ita scribit; *Xystus annis* 2. *mensibus* 11. " *diebus* 6. *cœpit a consulatu Maximi et Glabrio-* " *nis usque Tusco et Basso, et passus est octavo* " *idus Augusti.* Idem testatur Cyprianus in Epi- " stola ad Successum; qui et ipse iisdem coss. sed " insequenti mense martyrium passus est. At Eu- " sebius nihil de Xysti martyrio nec in Chronico, " nec in Historia Ecclesiastica dicit; quod valde " miror, et multo magis mirarer, nisi scirem Euse- " bium in rebus per occidentem gestis negligentio- " rem fuisse. Porro in Chronico quidem scribit, " Xystum sedisse annos 8. cum hic undecim annos " ei tribuat. Et Xysto quidem Dionysium Papam " successisse tradit anno Gallieni 12. in locum vero " Dionysii Alexandrini Maximum successisse dicit " anno 11. ejusdem Gallieni; quod est absurdissi- " mum, cum constet Dionysium Alexandrinum qua- " tuor adversus Sabellium libros Dionysio Romanæ " urbis episcopo nuncupasse, ut scribit Eusebius su- " pra cap. 26."

10. Restat tertium atque ultimum Sandii cavillum paucis a nobis expediendum; " Contrariatur," inquit, " hæc Apologia sententiæ Dionysii Alexandrini, et " consentit cum hæresi Pauli Samosateni, de quibus " agemus lib. I. Hist. Eccles." Sed primo, unde probat hanc Apologiam contrariari, ut loquitur, sententiæ Dionysii Alexandrini? scilicet docuit Dionysius, Filium Dei, etiam qua proprie Filius Dei est, creaturam et facturam esse, &c. quæ dogmata ex professo impugnat Apologiæ auctor. Verum hoc est

τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Quippe nos asserimus, nunquam talia revera docuisse Dionysium; sed per calumniam afficta fuisse ista viro optimo ab adversariis; atque hanc assertionem nostram ex ea ipsa Apologia, quam Dionysii genuinam esse certissimis argumentis constat, solide probamus. Istis quidem calumniis contrariatur Apologia; at nisi contrariaretur, titulo *Refutationis* et *Apologiæ* neutiquam inscribi debuisset. Secundo, ad illud quod affirmat Sandius, nempe sententiam auctoris Apologiæ consentire cum hæresi Pauli Samosateni, quis non totus obstupescat? nam passim in Apologia illa, τοῦ λόγου sive Filii Dei divinitas clare asseritur, quam Paulus Samosatenus negavit. Fortasse autem voluit Sandius, Sabellianum omnino fuisse Apologiæ auctorem; Sabellium vero et Paulum Samosatenum in articulo de Filio Dei ὁμοδόξους fuisse; quod et acriter contendit lib. I. Enucl. Hist. Eccl.[y] in Paulo Samosateno. Verum ut demus nugatori, eandem fuisse, vel certe eodem recidisse, Sabellii et Pauli Samosateni hæresim, unde tamen aut quo dentum argumento probabit, Apologiæ auctorem cum hæresi Sabellii consensisse? Certe adversus Sabellianam imprimis hæresim scriptam fuisse istam Apologiam, testantur Eusebius, Athanasius, et alii; imo dicit Athanasius, Dionysium in illo opere Σαβέλλιον ἀνατρέπειν, *Sabellium subvertere.* Quin et ea ex fragmentis Apologiæ, quæ apud Athanasium extant, jam citavimus, quæ Sabellianæ hæresi ex diametro repugnant. Hujusmodi est, (cætera taceo, ne lectorem molesta repetitione obtundam,) quod Dei Patris et Filii distinctionem illustret simili ab humano partu ducto, hæc subjungens: " Omnino parentes eo solum alios esse

[y] Pag. 114.

" a liberis, quod ipsi liberi sui non sint." Quis sanus dixerit hæc verba esse auctoris, cum Sabellio, aut etiam cum Paulo Samosateno consentientis? Sed verisimile mihi videtur, nunquam perlegisse Sandium fragmenta illa Apologiæ, quæ apud Athanasium extant; verum ab aliis audivisse, Filii τὸ ὁμοούσιον in scripto illo astructum esse, indeque intulisse, scriptorem fuisse omnino Sabellianum. Quæ conjectura mea prima fronte mira fortasse videbitur lectori sano, qui Sandii centonem nondum viderit: sed nimirum auctor ille ubique in libro suo illud pro certo et rato habet, Homousianorum, quos vocat, et Sabellianorum de Filio Dei sententiam prorsus eandem esse; 148
quo nihil a vero remotius est, siquidem supra [z] clare ostendimus, neminem Dei Filium Patri ὁμοούσιον posse dicere, nisi absurde admodum et improprie, qui cum Sabellio idem sentiat. Ac de Apologia Dionysii Alexandrini hactenus.

11. Præterea idem Dionysius paulo ante mortem, rogatus a Patribus Antiochiæ in causa Pauli Samosateni congregatis, insignem scripsit adversus eundem Paulum Epistolam, quæ hodieque extat [a]. In ea divina anima, ad Deum migratura, de Jesu Domini vera divinitate divine prorsus disserit. Plurima sunt, quæ huc spectant; sed nos pauca tantum delibabimus. Christum ibi diserte appellat [b] ἄκτιστον καὶ δημιουργὸν, " increatum et Creatorem ;" et inferius [c], Τὸν φύσει Κύριον, καὶ λόγον τοῦ Πατρὸς, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ Πατὴρ, καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων. i. e. " Illum qui natura Dominus est,

[z] II. 1. 9. sub finem. [p. 86.]
[a] Bibl. Patr. tom. II. [Op. p. 203, &c.]
[b] Pag. 266. [p. 212.]
[c] Pag. 267. [p. 214.]

" et Verbum Patris, quem sancti Patres consubstan-
" tialem Patri dixerunt." Postea [d] apud eundem hæc legimus, ἀναλλοίωτος γὰρ ὁ Χριστὸς, ὡς Θεὸς λόγος. i. e. " Immutabilis enim est Christus, quatenus est Dei " Verbum." Et post paginam interjectam [e], Christus ab ipso dicitur, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, ἡ καταφυγὴ ἡμῶν· " Deus super omnia, perfugium nostrum." Quibus gemina sunt, quæ proxime sequenti pagina de Servatore nostro legimus [f]; Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, Ἰησοῦς ὁ Χριστός. i. e. " Qui super omnia " Deus est, Dominus et Deus Israel, Jesus Christus." Quid? quod integram Trinitatem ὁμοούσιον aperte agnoscat Dionysius Resp. ad Quæst. Pauli Samosateni, Resp. ad Quæst. IV. [g] Ὁμοειδὴς, inquit, ἐν τῷ εἴδει τῆς περιστερᾶς ὁ Χριστὸς λόγος τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ὁμοειδὲς τῷ Πατρὶ τὸ Πνεῦμα. i. e. " Ejusdem formæ est " cum Spiritu Sancto in specie columbæ ostenso " Christus Verbum; ejusdem item formæ cum Patre " est Spiritus." Quod noto adversus eos, qui Dionysium hunc de Spiritu Sancto saltem male sensisse arbitrantur. Sed et ibidem [h] de Filii pariter et Spiritus S. divinitate hæc præclara enuntiat; Θεὸς γὰρ, inquit, Ἰσραὴλ Ἰησοῦς ὁ πρὸ αἰώνων λόγος, ὡς καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. i. e. " Deus enim Israelis est Jesus ille, qui " est Verbum sæcula antecedens; nec non et Spiritus " Sanctus." Rursus in eodem opusculo sic de Spiritu Sancto loquitur; Οὐ γὰρ ἀθῷος ἀπελεύσεται βλασφημῶν κατὰ τοῦ φιλανθρώπου Πνεύματος τοῦ ἁγίου· Πνεῦμα δὲ ὁ Θεός [i]. i. e. " Non enim impune feret is, qui adver-

[d] Pag. 288. [p. 242.] [e] Pag. 289. [p. 246.]
[f] Pag. 290. [p. 248.] [g] Pag. 284. [p. 232.]
[h] Resp. ad Quæst. VI. p. 244.]
[i] In p. 245. ita legimus, οὐκ ἀθῳώσει, φησὶ, βλάσφημον ἀπὸ χειλέων αὐτοῦ τὸ φιλάνθρωπον Πνεῦμα· ἀλλ' ἐτάζει καρδίας καὶ νεφροὺς, ὅτι καὶ τὰ

" sus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est; " Spiritus enim est Deus."

12. Quid rursus ad hæc Sandius? iterum frontem perfricat, et hanc quoque Dionysii inscriptam Epistolam, ut spuriam, audacter rejicit. " Circum- " fertur quoque," inquit [k], " sub Dionysii Alexandrini " nomine Epistola contra Paulum Samosatenum; " sed ea est supposititia." Quis vero non ægre ferat hujus homuncionis ἀναίδειαν, ita de sanctorum Patrum scriptis ex proprio cerebello et pro libitu suo, spretis antecedentium omnium auctorum judicio, fide, atque auctoritate, decretoriam sententiam ferentis? Certe Epistolæ Dionysii Alexandrini, ad Antiochenos contra Paulum Samosatenum scriptæ, disertis verbis meminit Eusebius Hist. Eccles. VII. 27. Ὁ μὲν, inquit, κατ' Ἀλεξάνδρειαν Διονύσιος, παρακληθεὶς ὡς ἂν ἐπὶ τὴν συνόδον ἀφίκοιτο, γῆρας ὁμοῦ καὶ ἀσθένειαν τοῦ σώματος αἰτιασάμενος, ἀνατίθεται τὴν παρουσίαν, δι' ἐπιστολῆς τὴν αὐτοῦ γνώμην, ἣν ἔχοι περὶ τοῦ ζητουμένου, παραστήσας· " Dio- " nysius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, rogatus ut " ad concilium veniret, adventum quidem suum dis- " tulit, senectutem et infirmitatem corporis causatus; " cæterum quid ipse de hac quæstione sentiret, per " Epistolam indicavit." Meminere ejusdem Epistolæ ipsi Patres Antiocheni in Synodica sua Epistola apud Euseb. Hist. Eccl. VII. 30. Ἐπεστέλλομεν, inquiunt, δὲ ἅμα καὶ παρεκαλοῦμεν πόλλους καὶ τῶν μακρὰν ἐπισκόπων, ἐπὶ τὴν θεραπείαν τῆς θανατηφόρου διδασκαλίας· ὥσπερ καὶ Διονύσιον τὸν ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἀπὸ τῆς Καππαδοκίας, τοὺς μακαρίτας· ὧν ὁ μὲν ἐπέστειλεν εἰς τὴν Ἀντιόχειαν, τὸν ἡγεμόνα τῆς πλάνης οὐδὲ προσρήσεως ἀξιώσας, οὐδὲ πρὸς πρόσωπον γράψας αὐτῷ, ἀλλὰ τῇ

βάθη τοῦ Θεοῦ, ὡς Θεὸς, τὸ Πνεῦμα ἐπίσταται, quæ verba, ni fallor, memoriæ lapsu ita immutavit Bullus.]

[k] De Script. Eccles. p. 42.

παροικίᾳ πάσῃ· ἧς καὶ τὸ ἀντίγραφον ὑπετάξαμεν. i. e. " Scripsimus etiam ad complures episcopos longius " dissitos; eosque hortati sumus, ut ad exitialis " doctrinæ morbum curandum accederent. Nam et " ad Dionysium Alexandrinum, et ad Firmilianum " Cappadociæ episcopum, beatæ recordationis viros, " literas dedimus. Quorum ille scripsit quidem An- " tiochiam, sed erroris ducem ne salutatione quidem " dignatus est; neque ad eum nominatim, verum ad " universam Antiochensium ecclesiam literas suas di- " rexit; quarum etiam exemplum hic subjecimus."

149 Denique (ut alios taceam) ejus Epistolæ meminit Hieronymus Catalog. Script. Eccles. in Dionysio Alexandrino[l]: " Sed et adversus Paulum Samosatenum," inquit, " ante paucos dies quam moreretur, insignis ejus " fertur Epistola." Ubi *insignem* vocat Epistolam, quod in ipsa doctrina de Filio Dei catholica egregie explicata et confirmata fuerit. Age, jam argumentum, quod dignum existimavit Sandius quod tantæ auctoritati opponeretur, paucis expendamus; " Erasmus " Brochmandus," inquit, " rejicit illam Epistolam; " ceu spuriam, quia in ea Christus Patri ὁμοούσιος di- " catur, cum tamen ea vox ante tempora Arii in usu " non fuerit." Ut sincere et candide respondeam; quis sit ille Brochmandus, quem hic Sandius commemorat, fateor me nescire[m]; nec multum refert, ut sciam. Certe illius sententia, quantus quantus fuerit, præ Antiochensium Patrum, Eusebii, et Hieronymi fide atque auctoritate, flocci facienda est. Ad argumentum vero ejus quod attinet, supra[n] non uno in loco evidenter probavi, vocabulum ὁμοούσιος in fre-

[l] [Vol. II. p. 897–98.]

[m] Fuit Lutheranus doctor theologiæ, et professor in academia Hafniensi. GRABE.

[n] Cap. 1. 8. [p. 78.]

quenti usu fuisse apud catholicos diu ante concilium Nicænum, adeoque ante Dionysium Alexandrinum. Sed vide insigne candoris Sandiani specimen; pugnat hic argumento, quod ipse alibi nullius esse momenti disertis verbis fatetur. Nam de libris Origenis in Jobum agens, ita disserit[o]; "Qui vero cum Sixto "Senensi, Possevino, Bellarmino, et Riveto tracta- "tus hos, ut et commentarios, non habent pro ope- "ribus Origenis, ex ea ratione, quod in iis fiat men- "tio ὁμοουσίου, longe post Origenis tempora enati, "falluntur; probabimus enim libro I. Hist. Eccl. "ὁμοουσίου vocem jam temporibus Origenis usitatam "fuisse." Scilicet inepta erat hæc ratio ad Origeni abjudicandum libros in Jobum, quos tamen Origenis non esse docti consentiunt; nunc vero valida habetur, ad abjudicandum Dionysio Epistolam contra Paulum Samosatenum, quam revera scripsisse Dionysium, auctores cuncti, tam veteres quam neoterici, (si unum fortasse Brochmandum illum excipias,) unanimi consensu agnoscunt[p]. Res est: libri in Jobum deliramentis Arianis referti sunt; ideoque intererat Sandii Ariani, ut pro genuinis Origenis haberentur; at Epistola Dionysii inscripta contra Paulum Samosatenum Filii ὁμοούσιον egregie confirmat; proinde quo jure quaque injuria, omnino ut spuria rejicienda erat. En sincerum et fide dignum historicum[q]!

[o] De Script. Eccles. p. 30.

[p] Multis suspecta est hæc Epistola, quod Patres Antiocheni in Epistola Synodica apud Eus. VII. 30. diserte affirment, Dionysium quidem ad universam Antiochensium ecclesiam literas direxisse, Paulum vero ne salutatione dignatum. *Cave.* Bowyer. [Argumentum est Basnagii et Tillemontii, quod abunde refutavit in præf. editor Op. Dionys. p. lvi.]

[q] [Dionysii Epistola contra Paul. Samos. egregie defenditur in præf. ad Dionys. Op. p. xxii. &c.]

Itaque tandem maximum virum, Dionysium Alexandrinum, blasphemiæ, quam Arius postea propugnavit, neutiquam favisse, sed de Filio Dei, adeoque de SS. Trinitate, catholice omnino et sensisse et scripsisse, abunde (ni fallor) evicimus. Nunc ad alios ecclesiæ doctores progredior.

150 ANNOTATA J. E. GRABE

AD §. 5. ET 6.

DE DIONYSIO ALEXANDRINO.

CITAT reverendus Bullus sub finem §. 5. sententiam Dionysii Alexandrini asserentis, referente Athanasio, ἀδιαίρετον καὶ ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι, "in-"divisibilem et indiminutam Trinitatem in unitatem col-"ligi." Sed ipsa Dionysii integra verba, quæ hactenus in omnibus editionibus Græce desiderabantur, in recentissima, ex MSS. codicibus[q] felicissime restituit doctissimus et omni laude dignus Montfauconus, tom. I. part. 1. pag. 255. ita sonantia; Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν τριάδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα· "Sic quidem nos indivisibilem Unitatem "in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quæ im-"minui nequit, in Unitatem contrahimus." Quam Dionysii sententiam in mente habuisse videtur Isidorus Pelusiota, lib. II. Epist. CXLIII. scribens, Τὸ δὲ πλατύνοντα εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα τὰς ὑποστάσεις εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, ὀρθότατόν ἐστι καὶ ἀληθέστατον δόγμα· "At personas in sanctam Trinitatem di-"latare, atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac "verissimum dogma est." Similiter in loco altero Dionysii, supra §. 6. [p. 399.] recitata post ista verba pag. 144. col. 2. lin. 6. Ὅτι μὴ αὐτοὶ ἦεν τὰ τέκνα adde, ἢ μήτε γονεῖς ἀναγκαῖον ὑπάρχειν εἶναι, μήτε τέκνα· "Alioqui necesse fore neque pa-"rentes existere, neque filios." Ita enim integer locus extat tam in libro de decretis synodi Nicænæ tom. I. p. 231. nuperrimæ editionis, [p. 255.] et lib. de synodis Arimini et Seleuciæ p. 758. Et paulo post pro ἐκεῖνο καθέστηκεν ὁμοιοφυὲς, repone

[q] [In omnibus MSS. habetur. *Montfaucon.*]

ἐκείνῳ καθέστηκεν ὁμοφυὲς, "ejusdem cum illo naturæ," ut iterum ex dictis Athanasii tractatibus patet. Cæterum post ista Dionysii verba, alia ex lib. III. Apologiæ ejusdem mox addit Athanasius, ipsa quoque τὸ ὁμοούσιον Filii bene confirmantia; Ζωὴ ἐκ ζωῆς ἐγεννήθη, καὶ ὥσπερ ποταμὸς ἀπὸ πηγῆς ἔῤῥευσε, καὶ ἀπὸ φωτὸς ἀσβέστου λαμπρὸν φῶς ἀνήφθη· "Vita ex "vita genita est, et quemadmodum flumen e fonte emana- "vit, et a luce inextincta splendida lux accensa est." Neque notatu indigna sunt, quæ paulo post pag. 257. C.[r] ex lib. II. Apologiæ Dionysii allegantur: Ἐὰν δέ τις τῶν συκοφαντῶν, ἐπειδὴ τῶν ἁπάντων ποιητὴν τὸν Θεὸν καὶ δημιουργὸν εἶπον, οἴηταί με καὶ τοῦ Χριστοῦ λέγειν, ἀκουσάτω μου πρότερον πατέρα φήσαντος αὐτὸν, ἐν ᾧ καὶ ὁ υἱὸς προσγέγραπται. Μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν πατέρα, ποιητὴν ἐπαγήοχα· καὶ οὔτε πατὴρ ἐστιν ὧν ποιητὴς, εἰ κυρίως ὁ γεννήσας πατὴρ ἀκούοιτο· τὴν γὰρ πλατύτητα τῆς τοῦ πατρὸς προσηγορίας ἐν τοῖς ἑξῆς ἐπεξεργασόμεθα· οὔτε ποιητὴς ὁ πατὴρ, εἰ μόνος ὁ χειροτέχνης ποιητὴς λέγοιτο. "Si quis autem ex syco- "phantis, eo quod Deum dixi omnium Factorem et Creato- "rem, existimet me etiam Christi Creatorem dixisse, adver- "tat me prius Patrem ipsum appellasse, in quo vocabulo "Filius adscriptus est. Postquam enim dixi eum Patrem, "factorem subdidi; neque Pater eorum est quorum factor "est, si proprie pater intelligatur esse is qui genuit; (lati- "tudinem enim vocabuli hujus, *Pater*, in sequentibus in- "quiremus;) neque factor pater est, si solus opifex factor "dicatur." Alia insuper Dionysii loca ibidem legere est pag. 259.

CAP. XII. 151

De sententia et fide viri celeberrimi Gregorii Thaumaturgi, Neocæsareæ in Ponto episcopi.

1. S. THEODORUS, Origenis discipulus et decus pariter, postea dictus nomine Gregorius, et ob ingentia præclaraque facinora (utpote qui multa et

[r] [Eandem editionem, quam nos, citat Grabius.]

maxima patravit miracula, et non verbis solum, sed factis multo magis ad fidem Christi gentes pertraxit,) prænomine Magnus, et cognomine Thaumaturgus, Neocæsareensis episcopus, coætaneus fuit Dionysiorum Romani et Alexandrini, sed Alexandrino supervixit; quippe hic mortuus fuit ante ultimum concilium Antiochiæ contra Paulum Samosatensem congregatum; cui concilio interfuit Gregorius [s], ut ex Eusebio liquet [t]. Is posteris tradidit Confessionem fidei de SS. Trinitate ὁμοουσίῳ accuratissimam et absolutissimam his verbis conceptam [u]; Εἷς Θεὸς, Πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου· τέλειος τελείου γεννήτωρ· Πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς Κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ· χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς θεότητος, λόγος ἐνεργός· σοφία τῆς τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτικὴ, καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική· υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ Πατρὸς, ἀόρατος ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ δι' υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία· ζωὴ, ζώντων αἰτία· πηγὴ ἁγία, ἁγιότης, ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ φανεροῦται Θεὸς ὁ Πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι, καὶ Θεὸς ὁ υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη [x]. οὔτε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι, οὔτε ἐπείσακτόν τι, ὡς πρότερον μὲν οὐχ ὑπάρχον, ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν· οὔτε οὖν ἐνέλιπέ ποτε υἱὸς Πατρὶ, οὔτε υἱῷ πνεῦμα, ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος ἡ αὐτὴ τρίας ἀεί. i. e. Gerardo

[s] Eodemque anno scil. 265. diem clausit extremum. *Cave.* BOWYER.

[t] Hist. Eccl. VII. 28. coll. c. 30.

[u] Vide Oper. Gregorii Thaumat. p. 1. edit. Paris. 1622. [Et. Greg. Nyss. Op. vol. III. p. 546.]

[x] [Hic symbolum finem facit: reliqua verba Gregorii Nysseni sunt.]

Vossio interprete; "Unus Deus, Pater Verbi vi-
"ventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ, et cha-
"racteris sempiterni; perfectus perfecti Genitor, Pa-
"ter Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo,
"Deus ex Deo; character et imago Deitatis, Ver-
"bum efficax; Sapientia constitutionis rerum uni-
"versarum comprehensiva; et virtus atque potentia
"universæ creaturæ effectiva; Filius verus veri Pa-
"tris, invisibilis ejus qui est invisibilis, et incor-
"ruptibilis corruptioni non obnoxii, et immortalis
"mortis prorsus nescii, et sempiternus sempiterni.
"Unusque Spiritus Sanctus, ex Deo existentiam ha-
"bens, et qui per Filium apparuit, scilicet homini-
"bus; imago Filii, perfecti perfecta; vita, viven-
"tium causa, fons sanctus, sanctitas, sanctificationis
"suppeditator; in quo manifestatur Deus Pater, qui
"super omnia est et in omnibus, et Deus Filius, qui
"per omnia est. Trinitas perfecta, quæ gloria et
"æternitate, ac regno atque imperio non dividitur,
"neque abalienatur. Non igitur creatum quid, aut
"servum in Trinitate; neque superinductitium ali-
"quid et adventitium, quasi prius non existens,
"posterius vero adveniens. Non ergo defuit un-
"quam Filius Patri, neque Filio Spiritus; sed im-
"mutabilis et invariabilis eadem semper manet Tri-
"nitas."

2. Hanc fidei Confessionem ferunt Gregorio (cum totus intentus curæ pastorali optime administrandæ nocte quadam rationem dispiceret prædicandæ populo suo sinceræ fidei, variasque, quæ tum controverterentur, de S. Trinitate quæstiones animo revolveret) cœlitus per revelationem traditam fuisse. 152
Neque sane incredibile cuiquam videri debet, tale quippiam homini accidisse, cujus totam vitam reve-

lationibus et miraculis illustrem fuisse, scriptores ecclesiastici omnes, quotquot ejus meminerunt, (et quis fere non meminit?) uno ore testantur. Utut vero illud sit, formulam illam Confessionis catholicæ de SS. Trinitate a Gregorio revera profectam fuisse constat. Nam eidem illam tribuit non modo Ruffinus [y], sed et ipsius cognominis Gregorius Nyssenus [z], qui viri admirabilis res gestas et scripta accurate perspecta habuit, adeoque vitam ejus descripsit. Quin et rem hanc ita narrat vir eximius, ut vix quisquam cordatus de ea dubitare possit. Nimirum Confessionem illam recitaturus, hæc verba præmittit; Δι' ἧς μυσταγωγεῖται μέχρι τοῦ νῦν ὁ ἐκείνης λαὸς, πάσης αἱρετικῆς κακίας διαμείνας ἀπείρατος. i. e. "Per quam" (Confessionem) "usque in præsentem diem institui-" tur plebs illius civitatis," (nempe Neocæsareensis,) "quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit." Scilicet adeo certum erat, Confessionem illam fidei a Gregorio Thaumaturgo profectam, ut plebs omnis civitatis Neocæsareensis, cujus episcopus et immortale decus ille fuit, illam, ut Gregorii indubie genuinam, amplexa, perque ipsam a Patrum memoria usque ad Nysseni ætatem institui solita fuerit; indeque factum, ut ecclesia Neocæsareensis, cum totus mundus Arianus fieret, ab hæretica malitia se illæsam conservaverit. Postquam vero Confessionem recitasset Nyssenus, hæc subjungit; Ὅτῳ δὲ φίλον περὶ τούτου πεισθῆναι, ἀκουέτω τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν λόγον ἐκήρυττεν, παρ' οἷς αὐτὰ τὰ χαράγματα τῆς μακαρίας ἐκείνης χειρὸς εἰς ἔτι καὶ νῦν διασώζεται. i. e. "Quod siquis sibi fidem de" hac re fieri cupit, audiat ecclesiam, in qua Ser-

[y] Hist. Eccl. II. 25.

[z] In Vita. S. Greg. Thaum. Oper. tom. II. p. 978, 979. [vol. III. p. 546.]

" monem prædicabat, apud quam illa ipsa verba a " beata illa manu exarata adhuc etiam nunc con- " servantur." Appellat ipsum Thaumaturgi *αὐτόγραφον*, a Neocæsareensibus usque ad suam ætatem religiose custoditum. Nescio sane an ad ejusmodi traditionem aliquam confirmandum quicquam amplius desiderari possit. Cæterum Gregorii Nysseni testimonio aperte suffragari mihi videtur Basilius Magnus, ipsius frater, qui Epist. LXXV. ad Neocæsareenses testatur, se ab avia sua, in tenera ætate, Gregorii Thaumaturgi ipsa verba didicisse, quibus recte de fide in SS. Trinitatem institutus fuerit. Verba ejus sunt[a], *Πίστεως δὲ τῆς ἡμετέρας τίς ἂν γένοιτο ἐναργεστέρα ἀπόδειξις, ἢ ὅτι τραφέντες ἡμεῖς ὑπὸ τίτθῃ μακαρίᾳ γυναικὶ, παρ' ὑμῶν ὡρμημένῃ; Μακρίναν λέγω τὴν περιβόητον· παρ' ἧς ἐδιδάχθημεν τὰ τοῦ μακαριωτάτου Γρηγορίου ῥήματα, ὅσα πρὸς αὐτὴν ἀκολουθίᾳ μνήμης διασωθέντα αὐτή τε ἐφύλασσε, καὶ ἡμᾶς ἔτι νηπίους ὄντας ἔπλαττε καὶ ἐμόρφου τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασι.* i. e. " Fidei vero nostræ " quæ poterit esse evidentior probatio, quam quod " a nutrice beata femina, quæ ex vestro gremio " progressa est, (Macrinam dico, illustrem illam,) " educati sumus? a qua et beatissimi Gregorii verba " didicimus, quæ memoriæ beneficio ad illius usque " ætatem conservata et ipsa retinuit, et nos adhuc " infantes iisdem, tanquam pietatis dogmatibus, for- " mavit[b]." Omnino, inquam, hic Thaumaturgi Confessio designari mihi videtur; nam totidem verbis a Gregorio traditam fidei *ὑποτύπωσιν* de SS. Trinitate (quippe de ea ibi agit) se in infantia sua ab avia

[a] Basil. Oper. tom. III. p. 131. edit. Paris. 1638. [Ep. CCIV. 6. vol. III. p. 306.]

[b] [Ex his ipsis verbis nullam fidei formulam *Gregorii manu exaratam* vel vidisse vel indicavisse Basilium Lardner. contendit.]

Macrina Neocæsareensi edoctum fuisse diserte testatur Basilius. Attende lector: Nyssenus refert, populum Neocæsareensem per Thaumaturgi Confessionem, a Patrum memoria ad suam usque ætatem, institui solitum fuisse; ait vero Basilius, se ab avia sua (nempe dum apud ipsam Neocæsareæ in Ponto una cum parentibus suis vitam ageret) in tenera ætate (hoc est, ante concilium Nicænum) rectam fidem de SS. Trinitate, totidem Gregorii verbis conceptam, edidicisse. Quis non existimaverit de eadem fidei Confessione utrumque loqui? Quin et idem Basilius lib. de Spiritu S. cap. 29. testatur, tantam fuisse Gregorii illius apud Neocæsareenses usque ad sua tempora existimationem, ut nihil, sive in doctrina sive in ritibus, admittere in ecclesia voluerint, nisi quod a maximo illo fundatore suo traditum accepissent. Verba Basilii hæc sunt[c]: Τούτου μέγα ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἐγχωρίοις τὸ θαῦμα, καὶ νεαρὰ καὶ ἀεὶ πρόσφατος ἡ μνήμη ταῖς ἐκκλησίαις ἐνίδρυται, οὐδενὶ χρόνῳ ἀμαυρουμένη· οὐκοῦν οὐ πρᾶξίν τινα, οὐ λόγον, οὐ τύπον τινὰ μυστικὸν, παρ' ὃν ἐκεῖνος κατέλιπε, τῇ ἐκκλησίᾳ προσέθηκαν. i. e. "Hujus" (Gregorii) "et in hodiernum quoque "diem magna est apud ejus regionis homines admi- "ratio, recensque ac semper vigens memoria sic in- "fixa est ecclesiis, ut nullo tempore obscuretur. Ita- 153 "que non praxin aliquam, non dictum, non formam "ullam mysticam, ultra quam ille reliquit, ecclesiæ "(suæ) adjecerunt." Si dictum nullum, ultra quam illis reliquit Gregorius, certe multo minus symbolum aliquod aut fidei Confessionem, quam ab ipso non acceperat, ecclesia Neocæsareensis voluit admittere. Et tamen Basilii ætate Confessionem fidei, qua de agimus, in ecclesia ista receptam fuisse, idque ut a

[c] Basil. Oper. tom. II. p. 360. edit. Paris. 1638. [vol. III. p. 63.]

Gregorio traditam, certissimum est. His addas, quod Confessio illa tradatur, ut Thaumaturgi indubie genuina, a Patribus universis, in quinta synodo œcumenica congregatis. Denique ipsa Confessio ætatem Gregorii Thaumaturgi plane redolet; quippe quæ manifeste opposita sit hæresibus, quæ ecclesiam Christi tum temporis maxime turbarunt. Duæ imprimis iis temporibus hæreses vigebant, ut ex Epistola Dionysii Romani apud Athanasium supra commemorata liquet; altera Sabellii, quæ Patrem, Filium, et Spiritum S. nomine solum, non ὑποστάσει, differre statuebat; altera Sabellianæ velut ex diametro contraria, eorum nempe, qui SS. Trinitatem dividebant in tres hypostases separatas, peregrinas, atque a se invicem alienas, quique adeo dicebant, Filium et Spiritum S. creaturas esse, et aliquando Deo Patri defuisse. Priorem hæresim aperte feriunt verba ista in ipso Confessionis initio, Πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης· et illa, Υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ Πατρός· (nam Sabellius neque verum Patrem, neque verum Filium, sed utrumque nomine tantum fatebatur;) ac denique illa de Spiritu Sancto, Ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. Hæresim alteram, præter alia, prorsus jugulant verba illa, Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη· et sequentia [d], Οὔτε οὖν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι· κ. λ. Ut verbo dicam, conferat lector studiosus professionem Dionysii Romani de SS. Trinitate, quam capite superiori §. 1. [p. 390.] ex Athanasio recitavimus, cum hac Gregorii nostri, ejus coætanei, Confessione, et miram utriusque convenientiam illico perspiciet.

3. Quid jam ad hæc Sandius [e]? "De Confessione

[d] [Sed hæc, ut monuimus, verba sunt Gregorii Nysseni.]

[e] De Script. Eccl. p. 39.

" fidei," inquit, " nihil aliud dico, quam de ea ta-
" cere Eusebium, Hieronymum, et Sophronium;"
quasi scilicet Eusebius et Hieronymus omnia vete-
rum Patrum scripta et facta commemoraverint.
Certe Eusebius in Historia sua Ecclesiastica, nescio
quo casu, (nam ut credam malo aliquo consilio id
factum, quod putavit Anastasius bibliothecarius [e], a
me impetrare nequeo,) Gregorii Thaumaturgi laudes
fere silentio pressit, nec quicquam de miraculis ejus,
per totum Christianum orbem celebratis, dicit. Puto,
in alio aliquo opere, quod intercidit, plura de Gre-
gorio Thaumaturgo retulisse Eusebium; certe in
Apologia[f] pro Origene ejus discipuli Gregorii Thau-
maturgi mentionem facit, inserta etiam ei operi pa-
negyrica ejusdem oratione in laudem Origenis, ut tes-
tatur Socrates H. E. IV. 27. Eusebii autem histo-
riam fere κατὰ πόδας secutus est Hieronymus; So-
phronius vero tantum Hieronymi interpres fuit. Mi-
ror autem quid Philippo Labbæo in mentem venerit,
dum in Dissertatione sua de Scriptoribus Ecclesias-
ticis ita scripsit[g]: " Certum quidem," inquit, " est,
" teste S. Gregorio Nysseno in Thaumaturgi Vita,
" Deiparam cum S. Joanne evangelista apparuisse,
" et Joanni imperasse, ut expositionem fidei catho-
" licæ illi traderet. Sed an ea sit Vossiana, jure du-
" bitat Bellarminus, quem vide cum Petavio tom. II.
" Theolog. Dogmat. qui negat." Nam an fidei Con-
fessio, a Vossio edita, Gregorii Thaumaturgi revera
sit, nunquam dubitavit Bellarminus; imo illud pro
certo habuit, ut cuivis ipsum Bellarminum consu-
lenti patebit. De ἐκθέσει sive expositione fidei lon-

[e] Anastas. ad ann. Christi 246.

[f] [i. e. Apologia Pamphili et Eusebii.]

[g] [Vol. I. p. 373.]

giori, quæ κατὰ μέρος dicitur, ab eodem Vossio edita, dubitat quidem Bellarminus, et jure merito. Falsum quoque est Petavium negasse, Confessionem illam, prout a Vossio edita est, Gregorii esse genuinam; imo illam citat, ut Gregorii, et " illustre monu- " mentum traditionis, de qua hic agimus, et eccle- " siasticæ ac catholicæ de Trinitate professionis" diserte appellat, præfat. in tom. II. cap. 4. n. 5. Sed nimirum is quoque de fidei expositione longiori loquens, (quam hic confudit Labbæus cum Gregoriana fidei Confessione breviori,) ipsam Gregorii esse, non sine gravissimis rationibus negavit, de Trinit. I. 4. 10. Ad id vero quod dicit Labbæus, merito dubitari, an Confessio fidei, quam Gregorius Nyssenus Gregorio Thaumaturgo tribuit, sit eadem cum Vossiana, quis non obstupeat? nam Confessioni fidei, quam Gregorius Nyssenus Gregorio Thaumaturgo ascribit, ad verbum respondet Confessio a Vossio edita. Si quempiam ex criticis heterodoxis, quos vocat, ita turpiter lapsum deprehendisset Labbæus, quam ipsi pro more insultasset! sed illud obiter[h].

4. Porro extat hodieque inter opera Gregorii, a Vossio evulgata, Oratio panegyrica ad Origenem, quæ omnium consensu, adeoque ipso Sandio fatente, viri maximi germanum scriptum est. In ea Oratione, postquam dixerat Deum Patrem a nulla creatura digne laudari posse, deinde hæc de Filio Dei subjungit[i] sane magnifica: Ἀλλὰ τὰς μὲν εἰς τὸν πάν- 154
των βασιλέα καὶ κηδεμόνα, τὴν διαρκῆ πηγὴν πάντων ἀγαθῶν, εὐφημίας καὶ ὕμνους, τῷ κἂν τούτῳ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν ἰωμένῳ,

[h] [Hanc fidei formulam minime esse Gregorii authenticam, sed sæculo quarto fabricatam esse, multis haud spernendis argumentis demonstrat Lardner.]

[i] Pag. 53, 54. [In vol. IV. Op. Origenis, p. 59. Append. §. 4.]

καὶ τὸ ἐνδέον ἀναπληροῦν μόνῳ δυναμένῳ ἐπιστρέψομεν[k], τῷ προστάτῃ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν, καὶ σωτῆρι, τῷ πρωτογενεῖ αὐτοῦ λόγῳ, τῷ πάντων δημιουργῷ, καὶ κυβερνήτῃ. αὐτῷ μόνῳ ὑπέρ τε ἑαυτοῦ, καὶ ὑπὲρ πάντων, ἰδίᾳ τε καὶ[l] καθ' ἕκαστον καὶ ἀθρόον ἅμα δυνατὸν ὂν ἀναπέμπειν διηνεκεῖς καὶ ἀδιαλείπτους τῷ Πατρὶ τὰς εὐχαριστίας· ὅτι αὐτὸς ἡ ἀλήθεια ὤν, καὶ ἡ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων καὶ σοφία καὶ δύναμις, πρὸς δὲ καὶ ἐν αὐτῷ ὤν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀτεχνῶς ἡνωμένος, οὐκ ἔστιν ὅπως ἢ διὰ λήθην, ἢ ἀσόφως, ἢ ὑπ' ἀσθενείας τινὸς, ὥσπέρ τις ἀπεξενωμένος αὐτοῦ[m], ἢ οὐκ ἐφίξεται τῇ δυνάμει τῆς δυνάμεως, ἢ ἐφίξεται μὲν, ἑκὼν δὲ, ὃ μὴ θεμὶς εἰπεῖν, ἐάσῃ[n] τὸν Πατέρα ἀνευφήμητον. μόνῳ τούτῳ δυνατὸν ὂν τελειότατα πᾶσαν ἀποπληρῶσαι τὴν ἀξίαν τῶν αὐτῷ προσηκόντων αἴνων· ὃν τινα αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων Πατὴρ ἐν πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος, δι' αὐτοῦ μονονουχὶ[o] αὐτὸς αὐτὸν ἐκπεριών, τῇ ἴσῃ πάντῃ δυνάμει τῇ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τιμώῃ καὶ τιμᾶτο· ὅπερ πρῶτος καὶ μόνος ἔχειν ἔλαχεν ἐκ πάντων τῶν ὄντων ὁ μονογενὴς αὐτοῦ, ὁ ἐν αὐτῷ Θεὸς λόγος. "Sed nos laudationes quidem et hym-
" nos in omnium Regem et Moderatorem, perennem
" fontem omnium bonorum, ei, qui et in hoc ipso in-
" firmitatem nostram sanat, et quod deest explere
" solus potest, relinquamus; præsidi, inquam, ani-
" marum nostrarum, ac Salvatori, primogenito ejus
" Verbo, omnium Opifici et Gubernatori. Ipsi soli
" pro seipso, et pro omnibus privatim ac universe
" facile est assiduas ac perpetuas gratias agere; quia
" cum ipse sit veritas, et ipsius Patris universorum

[k] [L. ἐπιτρέψωμεν ed. Benedict.]

[l] [Delendam esse copulam existimat ed. Benedict.]

[m] Sic. in Confessione negat quicquam in Trinitate ἀπαλλοτριούμενον.

[n] [ἐάσει ed. Bened.]

[o] Illud caute addidit, quia si proprie loquendo Filius circumambiret Patrem, major esset Patre, cui tantum natura æqualem illum esse voluit dicere.

" et sapientia et potentia, adhæc et in ipso existat; " et ipsi vere atque omnino unitus sit, nullum est " periculum, ne vel per oblivionem vel insipientiam, " aut præ imbecillitate aliqua, ac si quis ab eo alie- " nus esset, vel virtute sua paternam virtutem non " assequatur; vel ut assequatur quidem, volens ta- " men, quod nefas est dicere, Patrem sua laudatione " destituat. Huic soli possibile est perfectissime " omnes congruentium illi laudum numeros adim- " plere; utpote quem ipse omnium Pater unum se- " cum faciens, et per ipsum tantum non sese ipse " circumambiens, virtute sua usquequaque æquali " honorat quodammodo et honoratur; quod quidem " primus solusque ex omnibus sortitus est unigeni- " tus ejus, ille qui in ipso est, Deus Verbum." Mox ibidem Filium appellat τελειότατον καὶ ζῶντα, καὶ αὐτοῦ τοῦ πρώτου νοῦ λόγον ἔμψυχον, " perfectissimum ac viven- " tem, et ipsius primæ mentis animatum Sermo- " nem [p]." Quot in his verbis elogia de Filio Dei coacervantur, quæ veram ipsius divinitatem egregie declarant! Filium Dei dicit Præsidem animarum nostrarum, primogenitum Dei Verbum, omnium Opificem et Gubernatorem, ipsius Patris veritatem, sapientiam ac potentiam: qui in ipso sit Patre, eidémque vere unitus sit; in quem nulla oblivio, insipientia, aut imbecillitas cadat; qui a Deo Patre neutiquam alienus sit; qui virtute sua paternam virtutem assequatur; quem Deus Pater unum secum fecerit, quoque infinitam suam majestatem quasi circumscripserit; (plane quemadmodum vetustissimus scriptor apud Irenæum dixit, ut supra [q] vidimus, ipsum

[p] Itidem in Confessione dicit Filium τέλειον τελείου Πατρὸς, ut etiam λόγον ζῶντα.

[q] Cap. 5. §. 4. [p. 215.]

immensum Patrem in Filio mensurari;) qui virtute usquequaque paternæ æquali revera præditus sit; qui denique in ipso Deo Deus Verbum subsistat, idque Verbum perfectissimum, utpote ex prima et æterna mente natum. An quisquam ex Arianorum grege hæc de Filio Dei sincere et ex animo pronuntiare possit? neque offendiculo cuiquam esse debet, quod Thaumaturgus Filium dicat Patrem suum honorare et laudare; siquidem idem simul dicit, Patrem honorasse Filium, virtute ipsi impertita, suæ usquequaque pari. Scilicet laudat et honorat Filius Patrem, tanquam sui auctorem ac principium; Pater vero amplectitur, et quodammodo etiam honorat Filium, ut sui vivam et perfectissimam imaginem et progeniem. Unde et scriptores catholici, qui post synodum Nicænam vixerunt, similiter de Filio Dei passim locuti sunt. Quanquam hoc in loco videatur etiam Gregorius respicere Filii οἰκονομίαν, quatenus ut Mediator fidelium preces et gratiarum actiones Deo Patri offert, et sua intercessione gratas et acceptas reddit. Imo diserte loquitur de Filio, ut in hoc negotio τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν ἰωμένῳ, *infirmitatem nostram sanante.* Huic mediatorio officio ostendit sufficere omnino Filium; quippe qui respectu potioris suæ naturæ unum prorsus cum Patre sit, et virtute paternæ usquequaque æquali polleat.

155 5. Denique si nullum hodie extaret Gregorianæ fidei de SS. Trinitate scriptum monumentum, unus Basilius magnus testis locupletissimus foret, sententiam ipsius eo super articulo sanam, sinceram et catholicam fuisse. Nimirum Basilius, quoties litem ipsi intenderent hæretici adversarii de fide circa Trinitatem, toties fere ad traditionem Gregorii Thaumaturgi appellavit, seque eandem prorsus, quam vir

ille admirandus docuit, de Trinitate sententiam a puero tenuisse professus est. Sic in Epistola LXXV.[q] ad Neocæsareenses, ut supra ostensum est, gloriatur, se fidem orthodoxam de SS. Trinitate in pueritia sua ex Thaumaturgi verbis, ipsi per aviam Macrinam traditis, edidicisse. Eam vero de Deo fidem, quam per aviam acceperat, se nunquam mutasse, ipse clare testatur Epist. LXXIX.[r] ad Eustathium, his verbis; Εἰ γὰρ καὶ τἆλλα ἡμῶν στεναγμῶν ἄξια, ἀλλ' οὖν ἔν γε τοῦτο τολμῶ καυχᾶσθαι ἐν Κυρίῳ, ὅτι οὐδέποτε πεπλανημένας ἔσχον τὰς περὶ Θεοῦ ὑπολήψεις, ἢ ἑτέρως φρονῶν μετέμαθον ὕστερον· ἀλλ' ἣν ἐκ παιδὸς ἔλαβον ἔννοιαν περὶ Θεοῦ παρὰ τῆς μακαρίας μητρός μου καὶ τῆς μάμμης Μακρίνης, ταύτην αὐξηθεῖσαν ἔσχον ἐν ἐμαυτῷ. i. e. "Licet enim reliqua vita "nostra digna sit, cujus gratia ingemiscamus, de "hoc tamen uno in Domino gloriari ausim, quod "nunquam falsas opiniones habuerim de Deo; ne- "que aliter prius sentiens, animi postea judicium "mutaverim; sed quam a puero sententiam de Deo "a beata matre et avia mea Macrina recepi, illam "justis incrementis auctam in meipso conservaverim." Itaque si catholice et pie de Trinitate sensit Basilius, (de quo nemo ambigit,) catholicus quoque fuit eo in articulo Gregorius, ipso Basilio teste. Idem Basilius formulam illam δοξολογίας, qua SS. Trinitas in ecclesiis ipsius regimini subjectis glorificabatur, quamque tantopere aversati sunt hæretici, Gregorii nostri auctoritate defendit in libro de Spiritu S. ad Amphilochium cap. 29;[s] ubi postquam maximi viri maximas laudes congesserat, hæc ad rem subjicit; Ἓν τοίνυν τῶν Γρηγορίου καὶ ὁ νῦν ἀντιλεγόμενος τρόπος τῆς δοξολογίας

[q] [Ep. CCIV.]

[r] Tom. III. p. 141. [Ep. CCXXIII. 3. vol. III. p. 338.]

[s] [§. 74. p. 63.]

ἐστὶν, ἐκ τῆς ἐκείνου παραδόσεως τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένος. i. e. "Unum itaque ex Gregorii institutis est etiam "ille glorificationis modus, cui nunc contradicitur, "ex illius traditione ab ecclesia" (nempe Neocæsareensi, quam ipse tantum non fundavit) "observa-"tus." Merito igitur, et Basilii testimonio fretus, pronuntiavit Anastasius bibliothecarius in Historia[t], hunc imprimis Gregorium ab Arii deliramentis prorsus fuisse alienum.

6. Hæc autem cum ita se habeant, mirari satis nequeo viros illos doctissimos, qui ausi sunt hunc maximum ecclesiæ doctorem Arianismi incusare, eique adeo criminationi Basilii auctoritatem obtendere. Ait Petavius[u], a Basilio Epist. LXIV. duos errores (non magis veritati, quam sibi invicem repugnantes) Gregorio Thaumaturgo tribui; alterum Sabellianum, quod docuerit, Patrem et Filium cogitatione tantum nostra, non vero hypostasi differre; alterum Arianum, quod Filium dixerit κτίσμα καὶ ποίημα, "crea-"turam et opus." Ac prius illud recte dixisse Gregorium ostendere conatur Petavius; in posteriori vero Arianizasse Thaumaturgum existimat. Huetius[x] etiam, nimium, ut videtur, Petavii candori et judicio confisus, scribit, "a Basilio castigatum fuisse "Gregorium Thaumaturgum, quod Filium aperte "creatum prædicaverit." Mox dicere non veretur, virum illum admirandum "Arii deliramenta secta-"tum fuisse." Horum doctissimorum virorum auctoritate fretus Sandius[y] Arianus plurimum de eo gloriatur, quod ingens illud ecclesiæ Christianæ de-

[t] Anastasius ad ann. Christi 246.

[u] De Trin. I. 4. 10.

[x] Huet. Origenian. p. 36. [lib. II. Quæst. 2, 10. p. 122.]

[y] Enucl. Hist. Eccl. I. p. 111.

cus et ornamentum, etiam nobis catholicis fatentibus, cum Ario senserit. Verum, si ipsa Basilii verba, unde hujus criminationis materia desumpta est, paulo attentius expendamus, mox apparebit, Gregorio nostro Arianismi calumniam, Basilii ingratiis, impingi. Basilius igitur in Epistola LXIV.[z] ad Neocæsareenses, postquam dixerat, Sabellianismi apud Neocæsareenses instauratores, quibuscum lis ei fuit, nugas suas etiam scriptis editis consignasse, et Epistolæ ipsorum ad Meletium meminerat, mox alteram perstringit Epistolam, ab ipsis ad Anthimum episcopum conscriptam, in qua magni Gregorii auctoritatem deliramentis suis obtenderunt. Verba Basilii hæc sunt[a]; Καθῆκεν δέ τινα πεῖραν δι' ἐπιστολῆς καὶ πρὸς τὸν ὁμόψυχον ἡμῶν Ἄνθιμον τὸν Τυάνων ἐπίσκοπον, ὡς ἄρα Γρηγορίου εἰπόντος ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ 156
μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. τοῦτο δὲ ὅτι οὐ δογματικῶς εἴρηται, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει, οὐκ ἠδυνήθησαν συνιδεῖν οἱ ἐπὶ λεπτότητι τῶν φρενῶν ἑαυτοὺς μακαρίζοντες· ἐν ᾗ πολλὰ τῶν ἀπογραψαμένων ἐστὶ σφάλματα, ὡς ἐπ' αὐτῶν τῶν λέξεων δείξομεν ἡμεῖς, ἐὰν ὁ Θεὸς θέλῃ. ἔπειτα μέντοι τὸν Ἕλληνα πείθων, οὐχ ἡγεῖτο χρῆναι ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τὰ ῥήματα· ἀλλ' ἔστιν ὅπη καὶ συνδιδόναι[b] τῷ ἤθει τοῦ ἐναγομένου, ὡς ἂν μὴ ἀντιτείνοι πρὸς τὰ καίρια. διὸ δὴ καὶ πολλὰς ἂν εὕροις ἐκεῖ φωνὰς, τὰς νῦν τοῖς αἱρετικοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας· ὡς τὸ κτίσμα, καὶ τὸ ποίημα, καὶ εἴτι τοιοῦτον. πολλὰ δὲ καὶ περὶ τῆς πρὸς τὸν ἄνθρωπον συναφείας εἰρημένα εἰς τὸν περὶ τῆς θεότητος ἀναφέρουσι λόγον, οἱ ἀπαιδεύτως τῶν γεγραμμένων ἀκούοντες· ὁποῖόν ἐστι καὶ τοῦτο, τὸ παρὰ τούτων περιφερόμενον. i. e. "Dederunt au-
"tem experimentum aliquod per Epistolam etiam

[z] [Ep. CCX. 5.]

[a] Oper. Basil. tom. III. p. 101. [p. 316.]

[b] [Συνδιδόντα legit editor Benedict.]

" ad ejusdem nobiscum sententiæ Anthimum Thya-
" norum episcopum, prætendentes Gregorium in ex-
" positione fidei dixisse, Patrem et Filium cogita-
" tione quidem duos esse, hypostasi vero unum.
" Hoc scilicet non dogmatice, neque affirmando, sed
" concertantis more in disputatione adversus Ælia-
" num ab eo dictum esse intelligere nequiverunt,
" qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese
" reputant. In qua disputatione multi sunt eorum,
" quæ descripta sunt, errores," (hoc est, multa de αὐτογράφῳ perperam descripta sunt,) " quemadmo-
" dum, si Deus volet, ex ipsis verbis ostendemus.
" Porro cum Gentilem ad fidem adducere niteretur,
" non existimabat sibi circa verba accuratius discep-
" tandum esse, sed alicubi consuetudini ejus, quem
" ad fidem induceret, nonnihil condonandum, ne
" forte necessariis reluctaretur. Unde etiam multas
" invenias illic voces, quæ jam hæreticis plurimum
" addunt roboris, ut creatura, et factura, et similia.
" Multa etiam, quæ de incarnatione dicta sunt, ad
" divinitatis rationem referunt, qui imperite quæ
" scripta sunt audiunt; quale et hoc ipsum est,
" quod ab ipsis circumfertur." His verbis docet Basilius, Sabellianos verba illa in ἐκθέσει Gregorii, " Pa-
" trem et Filium cogitatione quidem duos esse, hy-
" postasi vero unum," quæ ille tantum ex hypothesi adversariorum inter disputandum protulerat, pro dogmate ipsius Gregorii accepisse; et ob id ridet homuncionum ἀβλεψίαν, qui cernere, quod tam obviam erat, nequiverunt. Non ergo dicit Basilius Gregorium revera sensisse, Patrem et Filium διανοίᾳ tantum differre, sed contrarium plane dicit. Itaque frustra operam suam perdidit et oleum Petavius, dum effatum illud tanquam a Gregorio recte et

catholice prolatum, nescio quibus argutiis defendere conatus est, et Basilium tanquam idem pronuntiatum Gregorii immerito reprehendentem sugillavit. Quippe nunquam ex sua sententia ita scripsit Gregorius; neque eidem Gregorio insulsam illam hæresim uspiam tribuit Basilius. Ait præterea Basilius, vulgatos fuisse ab hæreticis operis illius Gregoriani mendosos codices, in quibus multa perperam describerentur; seque *σφάλματα* illa evidenter ostensurum spondet. Hoc manifeste significant verba, *ἐν ᾗ πολλὰ τῶν ἀπογραψαμένων ἐστὶ σφάλματα, κ. λ.* Atque huc referendum videtur, quod Evagrius notat Hist. Eccles. III. 31. hæreticos deliramenta sua sub magni illius Gregorii nomine orbi obtrusisse. Denique fatetur Basilius, inter ea, quæ revera in illo opere Gregorii erant, ab ipso, (dum haud necesse putaret, in rudiori doctrinæ Christianæ *ὑποτυπώσει* Gentili tradenda, *ἀκριβολογεῖν περὶ τὰ ῥήματα,*) multas voces usurpatas fuisse, ex quibus illi, qui contrariam Sabellianæ hæresim sequerentur, dogmata sua confirmare adnisi sunt.[c] Sed an jure eos id fecisse dicit Basilius? nihil minus; nam mox addit, quæ Gregorius de Christo dixerat, ad humanam ejus naturam respiciens, hæreticos ad divinitatem imperite traxisse. Atque huc expresse refert illud *κτίσμα καὶ ποιήμα*, quod sophistæ tantopere jactitabant. Non ergo dicit Basilius, (quod dicere ipsum vult Petavius,) sensisse revera aut scripsisse Gregorium, Filium Dei, qua proprie Dei Filius est, creaturam, sive facturam esse; sed plane contrarium significat.

7. Quid multis? tantum abest ut Basilius hic

[c] Nempe Anomœi, qui etiam ecclesiam Neocæsareensem turbarunt, ut apparet ex Basilii verbis in hac ipsa Epistola: *Ἐντεῦθεν γὰρ ἡμᾶς ὁ Ἀνόμοιος σπαράσσει· ἐτέρωθεν δὲ, ὡς ἔοικεν, Σαβέλλιος.*

concedat, hæreticos Antitrinitarios cujusviscunque generis Gregorii patrocinium suis placitis merito obtendisse, ut in hac ipsa etiam Epistola ad ejus imprimis sententiam de S. Trinitate, post sacras Scripturas, ipse fidenter provocet. Verba ejus [d] haud
157 longe ab Epistolæ initio hæc sunt: Πίστεως διαστροφὴ παρ' ὑμῖν μελετᾶται, ἐχθρὰ μὲν τοῖς ἀποστολικοῖς καὶ εὐαγγελικοῖς δόγμασιν, ἐχθρὰ δὲ τῇ παραδόσει τοῦ μεγάλου ὡς ἀληθῶς Γρηγορίου, καὶ τῶν ἐφεξῆς ἀπ' ἐκείνου, μέχρι τοῦ μακαρίου Μουσωνίου· οὗ τὰ διδάγματα ἔναυλα ὑμῖν ἐστὶν ἔτι καὶ νῦν δηλονότι. i. e. "Studiose agitur apud vos fidei "perversio, apostolicis et evangelicis doctrinis ini- "mica; inimica quoque TRADITIONI MAGNI RE- "VERA GREGORII, et eorum qui illum ex ordine "subsecuti sunt ad beatum usque Musonium; cujus "nempe dogmata etiamnum auribus vestris perso- "nant." Res est; Gregorius recte et catholice omnino de Personis divinis et sensit et scripsit; sed hæretici Neocæsareenses verba ejus, cujus præcipue auctoritate premebantur, aut adulterarunt, aut perperam omnino interpretati sunt. Hinc Basilius in fine præcedentis Epistolæ LXIII. [e] eosdem non sine ingenti animi commotione sic alloquitur; Τὰς περὶ τὴν πίστιν καινοτομίας κατασιγάσατε, τὰς ὑποστάσεις μὴ ἀθετεῖτε, τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ μὴ ἀπαρνεῖσθε, τὰς τοῦ Γρηγορίου φωνὰς μὴ παρεξηγεῖσθε. εἰ δὲ μὴ, ἕως ἂν ἐμπνέωμεν, καὶ δυνώμεθα φθέγγεσθαι, ἀμήχανον ἡμᾶς ἐπὶ τοσαύτῃ λύμῃ ψυχῶν σιωπᾷν. i. e. "Novationes istas circa fidem com- "pescatis, hypostases" (Divinas) "ne reprobetis, no- "men Christi ne abnegetis, Gregorii voces ne sin- "istre interpretemini. Quod si secus egeritis, donec "spirandi loquendique facultas erit, ad tantam ani-

[d] Pag. 99. [§. 3. p. 314.] [e] [Ep. CCVII. p. 312.]

" marum perniciem nunquam silere poterimus." Itaque præstantissimum, post apostolos, Christianismi doctorem, Gregorium Neocæsareensem, ex Arianorum castris, (ubi a viris quibusdam doctis vi et quasi captivus detinebatur,) tandem liberavimus, ecclesiæque catholicæ restituimus.

ANNOTATA J. E. GRABE

AD §. 4.

DE GREGORII THAUMATURGI CONFESSIONE FIDEI.

GREGORII honorificam mentionem tribus in locis Historiæ Ecclesiasticæ fecit Eusebius. Nam VI. 30. de discipulis Origenis ait, Ὧν ἐπισήμους μάλιστα ἔγνωμεν, Θεόδωρον, ὃς ἦν αὐτὸς οὗτος, ὁ καθ' ἡμᾶς ἐπισκόπων διαβόητος Γρηγόριος· τόν τε αὐτοῦ ἀδελφὸν Ἀθηνόδωρον· " Quorum præcipuos fuisse " cognovimus Theodorum, qui et Gregorius dictus est, " episcoporum nostra ætate celeberrimus; et fratrem ejus " Athenodorum." Et VII. 14. ac 28. eum inter præcipuos istius ævi episcopos numerat; sed nulla illius opera, vel libros ab ipso scriptos nominat. Nominavit autem, ut hunc defectum suppleret, ultimo loco Ruffinus VII. 26. Hist. Eccl. (juxta ejus divisionem,) ubi hæc legimus, " Verum " quoniam beati Gregorii Historiæ textus attulit mentio- " nem, dignissimum puto, tanti viri gesta, quæ sub orien- " tali et septentrionis axe cunctorum sermone celebrantur, " omissa, nescio quo casu, huic narrationi ad memoriam " posteritatis inserere." Unde post narrata aliqua ejus miracula, de scriptis ejus sequentia subdit, " Sed et ingenii " sui nobis in parvo maxima monumenta dereliquit. In " Ecclesiastem namque metaphrasin idem Gregorius mag- " nificentissime scripsit. Et catholicæ fidei expositionem " breviter editam dereliquit; quam pro ædificatione eccle- " siarum sociare his commodo duxi." Hinc ipsa Gregorii Confessio sequitur, prout in hoc capite, supra p. 151. [p. 416.] recitata est.

158 CAP. XIII.

Sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ sex episcoporum Antiocheni concilii, qui ad Paulum Samosatensem Epistolam scripsere, nec non Pierii, Pamphili, Luciani, et Methodii martyrum, catholica, et Nicænæ fidei plane consona fuisse ostenditur.

1. GREGORII Thaumaturgi temporibus exorta est hæresis Pauli Samosateni, qui Christi divinitatem negabat; adversus quem sæpius convenerunt Antiochiæ episcopi catholici. Ex his episcopis sex primarii (quorum nomina, Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus) scripserunt ad eundem Paulum [f], antequam is ultimi ac frequentissimi consessus anathemate ecclesia pelleretur, insignem Epistolam, quæ hodieque extat tom. XI. Bibl. Patrum [g]. In illa Epistola sancti antistites expresse docent, Filium Dei ipsa essentia et substantia sua Deum esse. Nam postquam professi fuerant, se tradere "fidem quam acceperant ab ini-" tio, habuerantque traditam et conservatam in ca-" tholica ecclesia usque in hodiernum diem, per suc-" cessionem ab apostolis, qui et oculis suis viderunt, " et administri facti sunt Verbi, prædicatam ex lege, " et prophetis, et N. Testamento;" postquam, inquam, hanc professionem præmiserant, mox fidem veram et apostolicam hanc esse de Christo asserunt; Σοφίαν, καὶ λόγον, καὶ δύναμιν Θεοῦ, πρὸ αἰώνων ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ καὶ ὑποστάσει Θεὸν, Θεοῦ υἱόν· "Sa-" pientiam illum esse, et Verbum, Virtutemque Dei, " ante sæcula existentem, non sola præscientia, sed " substantia et subsistentia Deum, Dei Filium."

[f] An. 270. *Cave.* BOWYER.

[g] [Et apud Routh. Reliq. Sacr. vol. II. p. 465.]

Nihilominus neque hos episcopos manibus suis elabi sinit Petavius citra ἑτεροδοξίας notam; quanquam, ut diximus, antesignani fuerint magni concilii Antiocheni, et Epistolam, ut verisimile est, non sine totius synodi conscientia scripserint. Nam in libro I. de Trinit. cap. 4. §. 10. sic de ipsis scribit Jesuita; "Quinetiam episcopi illi sex, qui ad Paulum Samo-"satenum, antequam in ordinem redigeretur, epi-"stolam miserunt, in ea quædam de Filio proponunt "ab catholicæ regula fidei nonnihil abhorrentia; ut "cum Filium dicunt, in mundo procreando, pater-"nam implesse voluntatem, eique, ut id faceret, "præcepisse Patrem. Unde et diversum a Patre "Filium esse confirmant; quoniam qui præcipit, "alteri præcipiat necesse est. Addunt, eundem pa-"ternam implentem voluntatem patriarchis appa-"ruisse, et ob id ministerium *Angeli* nomen obtinu-"isse." Hanc Petavii censuram avide arripuit Sandius [h], ut et his magnis nominibus, tanquam Arianismo astipulantibus, sacculum suum impleret. Verum sexcenta licet ejusmodi loca ex veteribus proferat sive Petavius sive alius quispiam, nunquam mihi inde persuadebit, cum Ario illos consensisse. Novi enim, ista omnia, quatenus vel ad subordinationem Filii ad Patrem, tanquam principium et auctorem suum, vel ad οἰκονομίαν illam, quam mox a lapsu hominis suscepit Dei Filius, referuntur, (prout ultima illa referri debent,) sanum et orthodoxum sensum admittere, neque ab catholicæ fidei regula, a Nicænis Patribus explicata, abhorrere [i]; quanquam fortasse a scholastica theologia (cui plus æquo in his mysteriis tribuit Petavius) nonnihil discrepent. Quod

[h] Enucl. Hist. Eccl. I. p. 123, 124.

[i] Vide hujus sectionis cap. 5. §. 6. [p. 221.]

autem hos sex episcopos attinet, illustri testimonio,
159 ex hac ipsorum Epistola allato, infra [k] ostendam, sensisse ipsos, Filium Dei esse *κατὰ φύσιν* Patri omnino æqualem. Interim ad alios ecclesiæ doctores transeamus.

2. Pierius, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, Pamphili Martyris magister, sub Claro et Diocletiano principibus, quo tempore eandem ecclesiam Theonas regebat, (teste Hieronymo [l],) floruit [m]. Is in tantam sermonis diversorumque tractatuum venit elegantiam, ut, referente eodem Hieronymo, Origenes junior vocaretur. Vir erat miræ *ἀσκήσεως*, et voluntariæ paupertatis appetitor. Fertur quoque, ut scribit Photius, una cum Isidoro fratre germano martyrii pro Christi nomine certamen subiisse. Quæ scripta edidit, hodie intercidere omnia; sed ex Photio, qui ejus volumen librorum duodecim legerat, discimus, scriptorem in hoc de Filii divinitate articulo plane catholicum fuisse. Nam cod. 119. sic de eo scribit; *Πολλὰ δὲ ἔξω τῶν νῦν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καθεστηκότων, ἀρχαιοτρόπως ἴσως, ἀποφαίνεται· ἀλλὰ περὶ μὲν Πατρὸς καὶ υἱοῦ εὐσεβῶς πρεσβεύει, πλὴν ὅτι οὐσίας δύο καὶ φύσεις δύο λέγει· τῷ τῆς οὐσίας καὶ φύσεως ὀνόματι, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν ἑπομένων καὶ προηγουμένων τοῦ χωρίου, ἀντὶ τῆς ὑποστάσεως, καὶ οὐχ ὡς Ἀρείῳ προσανακείμενοι, χρώμενος.* i. e. " Plurima au-
" tem præter ea, quæ in ecclesia hodie obtinent,
" veteri fortassis more, tradit. De Patre tamen et
" Filio pie credit, nisi quod substantias duas toti-
" demque naturas esse dicit; substantiæ et naturæ
" nomine (ut ex iis, quæ locum antecedunt et conse-
" quuntur, manifestum est) pro hypostasi, et non ut

[k] Vide IV. 2. 7.

[l] Catalog. Script. Eccles. c. 87. [vol. II. p. 901.]

[m] Circa an. 283. *Cave.* BOWYER.

"Arii sectatores, usus." Sane summe catholica fuisse oportet, quæ de Filio Dei scripserat Pierius, cum eadem ipse Photius (rigidus alioquin et severus veterum scriptorum censor, quique innocentissima quæque ipsorum dicta in suspicionem Arianismi trahere solitus est) ut pie admodum scripta, et ab Arianismo aliena collaudaverit. Præterea cum Photius dicit, plurima tradidisse Pierium veteri more, et ab iis, quæ sua ætate in ecclesia obtinerent, aliena, deinde ἀμέσως addit, eundem tamen Pierium de Filio Dei pie credidisse, manifeste indicat, Pierii doctrinam de Filio Dei cum theologia, quæ ipsius ætate pro catholica habita fuerit, omnino conspirasse. Quam procul autem ecclesiæ Græcæ doctrina de Filio Dei, Photii ætate, ab Arianismo abfuerit, norunt omnes, qui in ecclesiastica historia quicquam norunt; quod autem ibidem addit Photius, Pierium de Spiritu Sancto minus pie docuisse, quod nempe dixerit, Spiritum Sanctum Patri et Filio inferiorem esse, facillime ab hæresis suspicione defenditur. Quippe Spiritus Sanctus minor est Patre et Filio eodem respectu, quo ipse Filius Patre minor ab catholicis omnibus agnoscitur, nempe originis respectu. Habet originem Filius a Patre solo; Spiritus vero Sanctus originem trahit a Patre et Filio, ut definivit ecclesia occidentis; sive a Patre per Filium, uti loqui amarunt orientales. Hoc tantum voluisse Pierium, plane persuasum habeo. Cæterum ex his liquet, quam falso et impudenter, pro more suo, scripserit Sandius [n], "docuisse Pierium (teste Photio) Filium "et Patrem duas esse essentias et naturas," vocibus scilicet *essentiæ et naturæ*, prout a persona discrimi-

[n] Enucl. Hist. Eccles. I. p. 126.

nantur, acceptis. Non id Photius testatur, sed directe contrarium, nempe Pierium de Patre et Filio pie credidisse; ubi vero dixerit, Patrem et Filium duas esse οὐσίας, ex contextu sermonis ejus manifestum esse, ipsum οὐσίας vocabulum pro hypostasi usurpasse; ac proinde id tantum voluisse, Patrem et Filium duas esse personas; quod catholicum esse, catholici, ut puto, omnes ultro fatebuntur. Sed a magistro ad discipulum deveniamus.

3. S. Pamphilus [o], Pierii auditor, presbyter ecclesiæ Cæsareensis in Palæstina, vir celebris, qui sub Maximini persecutione martyrio coronatus fuit [p], scripsit paulo ante τελείωσιν, una cum Eusebio carcere inclusus, Apologiam pro Origene, quinque tomis constantem; quibus, mortuo Pamphilo, per se Eusebius sextum addidit. Primus ex quinque Pamphili libris, a Ruffino Latine versus, inter opera Hieronymi a Mariano Victorio edita hodieque extat. Quem martyris nomine haud falso inscriptum esse, contra Hieronymum varia hac de re ac pugnantia referentem, facile probari potest. Certe aperte falsum est, quod scribit Hieronymus, (lib. III. Apol. adversus Ruffin. cap. 4. [q]) Apologiam illam "solum "Ruffinum sub Martyris nomine edidisse;" siquidem et Græci codices, (teste Photio cod. 118. et veteri auctore Græco Apologiæ pro Origene apud Photium cod. 117.) ipsam Pamphilo attribuerunt. Subdole
160 idem Hieronymus Apologiam istam Eusebii esse sæpius contendit. Nam Eusebii quidem est, sed non Eusebii solius; siquidem utriusque, tum Pamphili tum Eusebii, conjunctis studiis elucubrata fuit. Hoc

[o] Claruit circa an. 294. *Cave.* BOWYER.

[p] An. 309. *Cave.* BOWYER. [Vid. supra p. 81.]

[q] §. 12. vol. II. p. 541.]

diserte testatur ipse Eusebius, qui omnium optime rem novit, Hist. Eccles. VI. 33. Ὅσα δὲ, inquit, ἀναγκαῖα τῶν περὶ αὐτὸν διαγνῶναι ἦν, ταῦτα καὶ ἐκ τῆς ὑπὲρ αὐτοῦ πεποιημένης ἡμῖν τε καὶ τῷ καθ' ἡμᾶς ἱερῷ μάρτυρι Παμφίλῳ ἀπολογίας πάρεστιν ἀναλέξασθαι· ἣν τῶν φιλαιτίων ἕνεκα συμπονήσαντες ἀλλήλοις διὰ σπουδῆς πεποιήμεθα. i. e. " Quæcunque vero de illo (Origene) necessario cog- " noscenda sunt, ea petere licet ex Apologia, quam " pro eo ego et sanctus nostri temporis martyr Pam- " philus conscripsimus; quam quidem nos propter " malevolos quosdam accusatores communi studio " atque opera junctim elaboravimus." Eusebii locum explicat Photius cod. 118. his verbis; ἀνεγνώσθη Παμφίλου τοῦ μάρτυρος καὶ Εὐσεβίου ὑπὲρ Ὠριγένους· τόμοι δὲ τὸ βιβλίον ἓξ· ὧν οἱ μὲν πέντε Παμφίλῳ τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντι, συμπαρόντος καὶ Εὐσεβίου, ἐξετυπώθησαν· ὁ δὲ ἕκτος, ἐπεὶ ὁ μαρτὺς ξίφει τοῦ ζῆν ἀπαχθεὶς ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει Θεὸν, Εὐσεβίῳ λοιπὸν ἀπαρτίζεται. i. e. " Lectus est liber " Pamphili Martyris et Eusebii pro Origene, sex to- " mis constans. Quorum quinque a Pamphilo in " carcere detento, præsente etiam Eusebio, elaborati " sunt; sextus autem, postquam gladio martyr vita " privatus migravit ad Deum quem concupiscebat, " ab Eusebio est absolutus." Mirum vero est, quod Hieronymus, loco superius citato, hoc præcipue argumento probare nitatur, Apologiam illam non esse Pamphili, quod " Eusebius scribat Pamphilum nihil " proprii operis edidisse." Scilicet hic Eusebium cum Eusebio committit; nam idem Eusebius, ut vidimus, diserte testatur, Pamphilum isti defensioni operam suam navasse. Sed nodum hunc, si voluisset, perquam facile solvere poterat Hieronymus; quippe proprium Pamphili opus Apologeticus ille dici non

debuit, quem alterius, nempe Eusebii, opera adjutus elaboravit. De fide versionis Apologiæ Pamphili Ruffinianæ diximus supra [p. 347.] quæ sufficiant; jam ex illa Apologia abunde liquet, orthodoxam fuisse de Christi divinitate Pamphili opinionem. Dum enim eo in opere catholicum fuisse Origenem inde probare nititur vir sanctus, quod in scriptis ille suis docuerit, "eandem esse inconvertibilitatem Spiritus Sancti, "quæ et Patris et Filii; æqualem esse Trinitatem, "et Spiritum Sanctum non esse creaturam; sicut "Pater novit initia omnium quæ sunt, et fines, sic "et Filium, sic et Spiritum Sanctum scire; ὁμοούσιον "esse cum Patre Filium, id est, unius substantiæ:" dum, inquam, in his capitibus orthodoxum fuisse Origenem conatur ostendere, apertissime declarat, se easdem propositiones pro veris et catholicis habuisse. Adhæc ὀρθοδοξίας Pamphili super hac quæstione haud contemnendum est argumentum, quod a S. Pierio theologiam ille suam edoctus fuerit; quem Pierium de Patre et Filio pie omnino credidisse, ipse Photius, ut vidimus, fatetur. Itaque inverecundus sophista Sandius[r] beatissimum hunc martyrem inter hæresis, quæ Ariana postea dicta fuit, fautores et adstipulatores immeritissimo recensuit.

4. S. Pamphilo adjungendus est S. Lucianus[s], Antiochenæ ecclesiæ presbyter, vir disertissimus, qui tantum in Scripturarum studio laboravit, ut etiam Hieronymi ætate (ipso teste[t]) quædam exemplaria Scripturarum Lucianæa nuncuparentur. Scripsit de Fide libellos, et breves ad nonnullos Epistolas;

[r] Enucl. Hist. Eccles. l. p. 126.

[s] Claruit circa an. 290. *Cave.* BOWYER.

[t] Hieron. Catal. Script. Eccles. c. 88. [vol. II. p. 903.]

quæ omnia interciderunt. Passus est Nicomediæ ob defensionem Christi, sub persecutione Maximini[u], sepultusque Helenopoli Bithyniæ. Et huic beatissimo viro Petavius[x] ἑτεροδοξίας in articulo de Filii divinitate notam inussit; quem secutus Sandius[y] multum de Luciano, tanquam Arianorum patrono, gloriatur. Imo ipse etiam Huetius, a Petavio, ut videtur, deceptus, hunc martyrem inter eos recenset, qui falsa et absurda de Trinitate commenti sunt[z]. Sed expendamus argumenta, quibus hæc eorum censura nititur. Primo dicunt, Arianos se Lucianistas vocitasse, nempe ob suum fidei consensum cum Luciano martyre. Fateor; sed quis cordatus fidem habebit mendacissimo isti hominum generi? perinde gloriabantur etiam de Origene et Dionysio Alexandrino, tanquam sui ὁμοψύχοις. Verum quam prorsus inanis et inverecunda fuerit hæc ipsorum jactantia, in superioribus abunde, ni fallor, ostendimus. Ad Lucianum martyrem vero quod attinet, notatu digna sunt, quæ de concilio, literis Constantii impe- 161
ratoris Antiochiam convocato ad Encænia, refert Sozomenus Hist. Eccl. III. 5.[a] Ejus synodi episcopi (quorum pars maxima vel plane Ariana fuit, vel Ario certe nimium favebat) primum edidere fidei Confessionem, a Nicæna fide longe diversam. Cum vero in ea formula jejune nimis visi essent de Filii divinitate egisse, aliam evulgarunt pleniorem, idque hac occasione arrepta. Cum paulo amplius Antiochiæ commorati essent, repererunt fidei formulam a

[u] An. 311. *Cave.* BOWYER.
[x] De Trin. I. 4. 13.
[y] Enucl. Hist. Eccl. I. pag. 127.
[z] Pag. 187. Origenian. II. 3. §. 6. [p. 253.]
[a] Vide et Niceph. Hist. Eccles. IX. 5.

Luciano martyre conscriptam; quam, quod in ipsa vox ὁμοούσιος non inveniretur, et verba ejus nonnulla hæresi ipsorum favere viderentur, avide amplexi sunt, atque ut suæ fidei explicationem ediderunt; quo scilicet imperitis persuaderent, se πολυθρυλλήτου Luciani martyris fidem tenuisse. Sic enim scribit Sozomenus loco citato; Ἔλεγον δὲ ταύτην τὴν πίστιν ἰδιόγραφον εὑρηκέναι Λουκιανοῦ, τοῦ ἐν Νικομηδείᾳ μαρτυρήσαντος. i. e. "Aiebant autem reperiisse se hanc fidem "totam scriptam manu ipsius Luciani, ejus qui Ni- "comediæ martyrium perpessus est."

5. Formulæ illius, prout ab Athanasio [b], Socrate [c] et aliis recitatur, in gratiam lectoris, cui ipsi auctores præsto non sint, quæcunque Trinitatem spectant, hic describere non gravabor. Itaque symbolum Lucianæum, ab Arianis tantopere venditatum, hæc de SS. Trinitate profitetur: Πιστεύομεν ἀκολούθως τῇ εὐαγγελικῇ καὶ ἀποστολικῇ παραδόσει εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν τε καὶ ποιητήν [d]· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ Θεὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τὸν γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, ὅλον ἐξ ὅλου, μόνον ἐκ μόνου, τέλειον ἐκ τελείου, βασιλέα ἐκ βασιλέως, Κύριον ἀπὸ Κυρίου· λόγον ζῶντα, σοφίαν, ζωὴν [e], φῶς ἀληθινὸν, ὁδὸν ἀληθείας [f], ἀνάστασιν, ποιμένα, θύραν· ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον· τὴν τῆς θεότητος, οὐσίας τε καὶ δυνάμεως, καὶ βουλῆς, καὶ δόξης τοῦ Πατρὸς ἀπαράλλακτον εἰκόνα· τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως· τὸν ὄντα ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, λόγον Θεὸν, κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος,

[b] Lib. de Synod. Arim. et Seleuc. tom. I. p. 892. [§. 23. vol. I. p. 735-6.]

[c] Hist. Eccl. II. 10.

[d] [Post ποιητὴν Athanasius legit καὶ προνοητὴν ἐξ οὗ τὰ πάντα.]

[e] [ζῶσαν. Athanas.] [f] [ἀληθειαν. Athanas.]

δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκε· τὸν ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν κατελθόντα ἄνωθεν, καὶ γεννηθέντα ἐκ παρθένου κατὰ τὰς γραφάς.——καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ εἰς παράκλησιν καὶ ἁγιασμὸν, καὶ εἰς τελείωσιν τοῖς πιστεύουσι διδόμενον· καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς διετάξατο τοῖς μαθηταῖς, λέγων, Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. δῆλον ὅτι Πατρὸς ἀληθινῶς ὄντος Πατρὸς, καὶ υἱοῦ ἀληθινῶς υἱοῦ ὄντος, καὶ πνεύματος ἁγίου ἀληθῶς ὄντος πνεύματος ἁγίου· τῶν ὀνομάτων οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ἀργῶν[g] κειμένων, ἀλλὰ σημαινόντων ἀκριβῶς τὴν ἰδίαν ἑκάστου τῶν ὠνομαζομένων ὑπόστασίν τε καὶ δόξαν καὶ τάξιν· ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν.

i. e. "Credimus juxta evangelicam et apostolicam "traditionem in unum Deum Patrem omnipoten- "tem, omnium rerum Opificem et Fabricatorem; et "in unum Dominum Jesum Christum, Filium ejus "unigenitum Deum, per quem omnia facta sunt; "genitum ex Patre ante omnia sæcula, Deum ex "Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex "perfecto, Regem ex Rege, Dominum ex Domino; "Verbum vivum, sapientiam, vitam, lucem veram, "viam veritatis, resurrectionem, Pastorem, januam; "nec mutationi obnoxium, nec conversioni; paternæ "divinitatis, substantiæ, potestatis, consilii, et gloriæ "expressam undequaque imaginem; primogenitum "omnis creaturæ; qui erat in principio apud Deum, "Deus Verbum, sicut dicitur in evangelio, *Et Deus* "*erat Verbum;* per quem omnia facta sunt, et in "quo omnia subsistunt; qui novissimis temporibus "descendit e cœlo, et natus est ex Virgine secun- "dum Scripturas.——Et in Spiritum Sanctum, qui "credentibus donatur ad consolationem, et sanctifi-

[g] [ἀργῶς. Athanas.]

" cationem, et ad consummationem ; sicut et Domi-
" nus noster Jesus Christus præcepit discipulis, di-
" cens, *Ite et docete omnes gentes, baptizantes eun-*
" *ctos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ;*
" Patris, inquam, vere Patris ; et Filii vere Filii ; et
" Spiritus Sancti revera Spiritus Sancti ; ita ut hæc
" vocabula non sint nuda et sine re vocabula ; sed
" quæ accurate exprimant propriam uniuscujusque
" personam, ordinem, ac gloriam ; adeo ut personis
" quidem tres sint, consensu autem unum."

6. Vere fuisse Luciani hoc symbolum, non ab Arianis ipsi affictum, multa evincunt. Primo episcopi illi imprudenter admodum, adeoque impudenter, formulam aliquam fidei sub Luciani nomine, quæ ipsius revera non fuisset, Antiochiæ edidissent; ubi et sancti martyris memoria merito sacra, et
162 scripta ejus religiosissime custodita fuerunt ; ut facillime ab omnibus fraus deprehendi potuisset. Deinde, ut semel illis tuto mentiri licuisset, fieri tamen certe non potuit, ut impostura diutius lateret. At symbolum istud, ut indubie Luciani martyris, venditarunt etiam Ariani, idque summa cum fiducia, multis post annis, nempe cum, Valentiniano et Valente imperantibus, synodus congreganda esset in urbe Tarso Ciliciæ, referente Sozomeno Hist. Eccl. VI. 12. Tum enim, inquit ibidem Sozomenus, *συνελθόντες ἐν Καρίᾳ τῆς Ἀσίας ἀμφὶ τριάκοντα τέσσαρες τῶν Ἀσιανῶν ἐπισκόπων, τὴν μὲν ἐπὶ τῇ ὁμονοίᾳ τῶν ἐκκλησιῶν σπουδὴν ἐπῄνουν· παρῃτοῦντο δὲ τὸ τοῦ ὁμοουσίου ὄνομα· καὶ τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ καὶ Σελευκείᾳ ἐκτεθεῖσαν πίστιν χρῆναι κρατεῖν ἰσχυρίζοντο, ὡς καὶ Λουκιανοῦ τοῦ μάρτυρος οὖσαν, καὶ μετὰ κινδύνων καὶ πολλῶν ἱδρώτων παρὰ τῶν πρὸ αὐτῶν δοκιμασθεῖσαν.* i. e. " Quatuor circiter ac triginta Asiani
" episcopi in Caria Asiæ provincia collecti, studium

" quidem in restituenda ecclesiarum concordia posi-
" tum magnopere laudarunt; *consubstantialis* au-
" tem vocabulum admittere recusabant; affirmantes
" fidem, quæ Antiochiæ et Seleuciæ promulgata fue-
" rat, ratam esse oportere, quippe quæ et Luciani
" martyris fides esset, et non sine multis periculis ac
" laboribus ab ipsorum antecessoribus fuisset com-
" probata." Porro si hoc symbolum consarcinassent ipsi Ariani, certe illud suis placitis aptius conformassent; saltem ea non inseruissent, quæ ipsorum hæresim plane jugularent; cujusmodi nonnulla in eo reperiuntur, uti mox ostendemus. Denique hæc fidei Confessio præcipue dirigitur adversus hæresim Sabellianam, ut ex iis, quæ sub finem continet, manifestissimum est [h]. Nam post explicatam fusius de SS. Trinitate fidem, demum concluditur symbolum hoc quasi epilogo, summam et scopum totius præcedentis sermonis explicante, " Patris, inquam, vere Pa-
" tris; *et Filii vere Filii;* et Spiritus Sancti revera
" Spiritus Sancti; ita ut hæc vocabula non sint nuda
" et sine re vocabula; sed quæ accurate exprimant
" propriam uniuscujusque personam, ordinem, ac
" gloriam; adeo ut personis quidem tres sint; con-
" sensu autem unum." Quid autem ista attinebant ad Arianam controversiam, quæ in concilio illo Antiocheno agitabatur? at Luciani ætate dogma Sabellii maxime viguit, ejusdemque fertur ipse Lucianus acerrimus fuisse impugnator. His mantissæ loco addam observationem Philostorgii Hist. Eccl. II. 15. ubi de Luciani martyris discipulis agens, qui magistri sui doctrinam haud illibatam servarunt, scribit, Καὶ τὸν Ἀστέριον παρατρέψαι τὸ φρόνημα, ἀπαράλ-

[h] Quod etiam Hilario observatum mox videbis §. 7.

λακτον εἰκόνα τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας εἶναι τὸν υἱὸν, ἐν τοῖς αὐτοῦ λόγοις καὶ γράμμασι διαμαρτυρόμενον. Atqui illud Asterius ex Luciani symbolo totidem verbis mutuatus est, ut ex collatione apparebit.

7. Jam si hoc symbolum revera Luciani sit, certe catholicus omnino fuit in articulo de Filii divinitate Lucianus. Quippe hæc Confessio, dempto quod in ipsa desideretur vox ὁμοούσιος, cætera cum Nicæna fide plane consentit, ut recte observavit Sozomenus loco supra citato. Quare, si rem ipsam spectemus, seposita λογομαχίᾳ, perinde potuerunt et pari jure Ariani se Nicænæ fidei assertores dicere, ac Lucianistas sese appellaverunt. Imo pene ausim affirmare, absolutam Filii divinitatem aliquatenus in Lucianæo symbolo efficacius et significantius exprimi, quam in ipso Nicæno. Quippe verba illa, " Deum ex Deo, " totum ex toto, perfectum ex perfecto," quæ Confessionis Lucianææ sunt, perfectam Filii Divinitatem et æqualem paternæ naturam disertius enuntiant, quam ista Nicæni symboli, " Deum ex Deo, " lumen de lumine, verum Deum ex vero Deo." Quæ vero in Luciani symbolo Arianis nonnihil favere videantur, ea plane catholice dicta fuisse, egregie demonstrat Hilarius in libro de Synodis adversus Arianos. Verba Hilarii hæc sunt[i]: " Vo- " lens igitur congregata sanctorum synodus" (scilicet tam catholicum Hilario visum est hoc symbolum, ut a viris catholicis Antiochiæ congregatis profectum illud crediderit) " impietatem eam peri- " mere, quæ veritatem Patris et Filii et Spiritus " Sancti nominum numero eluderet, ut non subsis- " tente causa uniuscujusque nominis triplex nuncu-

[i] Pag. 228. [§. 32. p. 1170.]

" patio obtineret sub falsitate nominum unionem, et
" Pater solus atque unus idem, atque ipse haberet et
" Spiritus Sancti nomen et Filii; idcirco tres sub-
" stantias esse dixerunt, subsistentium personas per
" substantias edocentes, non substantiam Patris et
" Filii diversitate dissimilis essentiæ separantes.
" Quod autem dictum est, ut sint quidem per sub-
" stantiam tria, per consonantiam vero unum, non
" habet calumniam; quia connominato Spiritu, id est
" Paracleto, consonantiæ potius quam essentiæ per
" similitudinem substantiæ prædicari convenit uni-
" tatem. Cæterum omnis superior sermo in nullo
" Patrem et Filium essentiæ ac naturæ diversitate 163
" discrevit. Ubi enim dicitur, *Deum de Deo, to-*
" *tum ex toto*, non ambigitur totum Deum ex
" toto Deo natum. Nam et Dei de Deo natura non
" differt; et totus ex toto in iis est ipse, quibus
" Pater est. *Unus ex uno;* passiones humani par-
" tus et conceptionis excludit; ut dum unus ex uno
" est, non aliunde, nec diversus, aut alius sit, qui est
" unus ex uno, perfectus a perfecto; non differt
" præter originis causam ab innascibilitate nativitas,
" cum perfectio utriusque non differat. *Rex de*
" *Rege;* non admittit uno atque eodem nomine po-
" testas connuncupata dissimilitudinem potestatis.
" *Dominum de Domino;* dominatus quoque æqua-
" tur in Domino; nec recipit differentiam confessa
" in utroque sine diversitate dominatio. Illud vero
" quod post multa alia subjectum est, *inconvertibi-*
" *lem et immutabilem divinitatis et essentiæ et vir-*
" *tutis et gloriæ imaginem*, absolutum est. Nam
" ex Deo Deus, ex toto totus, ex uno unus, et ex
" perfecto perfectus, et ex Rege Rex, et ex Domino
" Dominus, cum in ea omni divinitatis gloria atque

" natura, in qua Pater permanet, natus quoque sub-
" sistat et Filius, etiam hoc ex paterna substantia
" habet, ne demutabilis fiat. Non enim in eo nas-
" cente ea, de qua est natus, demutata natura est;
" sed indemutabilem essentiam natus obtinuit, ex
" indemutabilis auctoritate naturæ. Nam quamvis
" imago est, tamen incommutabilis est imago; non
" commutata in eo scilicet per dissimilitudinem pa-
" ternæ essentiæ, ex qua est genitus, natura, quia in
" eo imago paternæ essentiæ nasceretur. Jam vero
" cum primus editus esse totius creaturæ docetur, et
" ipse ille semper fuisse in principio apud Deum
" Verbum Deus dicitur; dum primus editur, natus
" fuisse ostenditur, dum semper fuit, nec tempore
" separatur a Patre. Non ergo videri potest divisio
" substantiarum, quæ nihil aliud studuit, quam ut
" per trium subsistentium [k] nomen triplicis vocabuli
" excluderet unionem, ad separationem diversæ in
" Filio et in Patre substantiæ introducta; cum to-
" tius fidei expositio Patrem et Filium, innascibilem
" et unigenitum, nec tempore, nec nomine, nec essen-
" tia, nec dignitate, nec dominatione discernat."
Itaque argumentum prius, quo probare annisi sunt nonnulli, Lucianum martyrem Arianæ hæresi favisse, nempe a jactantia Arianorum de suo cum Luciano consensu ductum, plene refutavimus.

8. Sed maxime nituntur viri docti Alexandri, Alexandrinæ ecclesiæ præsulis, testimonio, qui in Epistola ad cognominem suum, Alexandrum Constantinopolitanum[l], postquam Pauli Samosateni mentionem fecisset, mox hæc subjungit; Ὃν διαδεξάμενος Λουκιανὸς ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολιτείᾳ

[k] [Al. substantiarum.] [l] Apud Theodorit. H. E. I. 4. [p. 15.]

χρόνους. i. e. "Cui succedens" (in errore scilicet) "Lucianus pluribus annis a communione trium "episcoporum segregatus mansit." Verum respondeo, Alexandrum aut de alio Luciano ibi loqui, (quod vel ideo sane verisimile est, quia Lucianum suum martyrem non nominet,) aut plane deceptum fuisse. Nam Lucianum martyrem Pauli Samosateni blasphemiam amplexum fuisse, ac propterea sub tribus episcopis successive extra communionem ecclesiæ mansisse [m], (quod de suo Luciano testatur Alexander,) fidei historiæ omnis ecclesiasticæ repugnat. Certe Eusebius, qui Luciani martyris ætate vixit, longe alia de ipso narrat Hist. Eccl. VIII. 13. Τῶν δ' ἐπ' Ἀντιοχείας[n], inquit, μαρτύρων τὸν πάντα βίον ἄριστος πρεσβύτερος τῆς αὐτόθι παροικίας Λουκιανός. ἐν τῇ Νικομηδείᾳ καὶ αὐτὸς, βασιλέως ἐπιπαρόντος, τὴν οὐράνιον τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν λόγῳ πρότερον δι' ἀπολογίας, εἶτα δὲ καὶ ἔργοις ἀνακηρύξας. i. e. "Ex Antiochenis vero martyribus, "per omnem vitam optimus ejusdem ecclesiæ pres- "byter Lucianus. Qui Nicomediæ cœleste Christi "regnum primum verbis et oratione Apologetica, "præsente ipso imperatore, postea vero etiam rebus "asseruit." Quomodo illum per omnem vitam optimum presbyterum dixit Eusebius, qui per multos annos, hoc est, sub tribus episcopis successive, (ut loquuntur,) ob hæresim Samosateni assertam extra communionem ecclesiæ manserit? Meminit Eusebius Theodoti Coriarii, ob eandem hæresim a Victore excommunicati, Hist. Eccl. V. 28. Meminit Natalis

[m] [Verbi ἀποσυνάγωγος vim non intellexisse interpretes innuit Valesius: "Tantum ait," (Alexander,) "Lucianum schisma fecisse "in Antiochensi ecclesia, et sub tribus episcopis continue sibi "succedentibus collectas seorsum celebrasse."]

[n] [Leg. cum Nicephoro τῶν δ' ἀπ' Ἀντ.]

confessoris, a Theodoto seducti, ac propterea ex ecclesiæ communione ejecti, ibidem. Denique fuse narrat historiam Pauli Samosateni in hæresim lapsi, atque ea de causa a synodo Antiochena anathemate percussi, VII. 27. et seqq. Quis igitur credat, si Lucianus martyr sub tribus episcopis in hæresi Samosateniana extra communionem ecclesiæ catholicæ mansisset, Eusebium de re notabili sua ætate acta silere, nedum ipsum Lucianum, tanquam per omnem vitam optimum presbyterum, quique Christi regnum tam verbis quam factis plurimum adjuverit, commendare voluisse? Præterea Hieronymus in Catalogo, ut vidimus, Lucianum martyrem non modo ob vitæ sanctimoniam, sed ob doctrinam etiam et S. literarum peritiam mirifice laudat; et librorum ejus de Fide mentionem faciens, nihil in iis a fide catho-
164 lica alienum notat. Quin et in præfatione in Paralipom. refert, suo tempore apud catholicos a Constantinopoli usque Antiochiam versionem Scripturarum Lucianæam receptam atque approbatam fuisse. Porro Sozomenus H. E. III. 5. Lucianum dicit, Ἄνδρα τά τε ἄλλα εὐδοκιμώτατον, καὶ τὰς ἱερὰς γραφὰς εἰς ἄκρον ἠκριβωκότα. i. e. "Virum tum in cæteris probatissimum, "tum maxime in S. literis summe eruditum." Palam est igitur, neque Eusebium, neque Hieronymum, neque Sozomenum de Luciani martyris hæresi aliqua vel schismate quicquam unquam inaudivisse. Itaque ut non obstinate nimis negaverim, Luciano martyri in concertatione cum Sabellianis idem evenire potuisse, quod Dionysio Alexandrino accidit, ut scilicet, quod ex iis quæ Christo homini conveniunt probare annisus sit, illum non esse ipsum Patrem, a Sabellianis accusaretur coram ecclesiæ præsulibus, quasi qui veram Christi divinitatem negaret; tamen

beatissimum virum Pauli Samosateni aut Arii blasphemias revera amplexum fuisse, proptereaque ab ecclesiæ catholicæ communione sub tribus episcopis suis successive se abjunxisse, (quod de suo Luciano refert Alexander,) haud facile adducar ut credam. Huic enim commento reclamat, ut dixi, historia omnis ecclesiastica, et fidei Confessio, quam ipsi Ariani Luciano tribuerunt. Verumtamen illud demum ex abundanti addam, si demus Alexandrum ista de Luciano martyre et quidem vere scripsisse, parum illud Arianorum causam juvare. Nam Samosatenianam blasphemiam amplexum fuisse Lucianum suum testatur Alexander, quam ipsi Ariani damnant. Quod si dicant, in eo uno falsum fuisse Alexandrum, quod Pauli Samosateni et Luciani, ut et Arii doctrinam eandem esse censuerit, ne sic quidem quicquam proficient. Tum enim pro uno Luciano sibi astipulante ecclesiam catholicam Luciani ætate ipsorum hæresi adversantem habituri sunt. Nam doctrina illius Luciani (quisquis ipse fuerit, et quæcunque ipsius sententia) adeo catholicæ contraria erat, ut nequiverit ille, teste Alexandro, et suam hæresim et ecclesiæ communionem simul retinere. Ac de Luciano martyre hactenus.

9. Claudam hoc caput brevi examinatione doctrinæ et fidei sancti Methodii. S. Methodius, referente Hieronymo [o], primum Olympi Lyciæ, et postea Tyri episcopus, nitidi compositique sermonis scriptis adversus Porphyrium et Origenem, aliisque multis elucubrationibus clarus [p], ad extremum novissimæ persecutionis, sub Diocletiano et Maximiano, in

[o] Catalog. Scriptor. Eccl. c. 94. [vol. II. p. 90.]

[p] Claruit circa an. 290. *Cave.* Bowyer.

Chalcide civitate Græciæ martyrio coronatus est. Ex multis, quæ scripsit, solum fere Symposion ad manus nostras integrum devenit; si modo integrum; nam et opus illud ab hæreticis interpolatum ac depravatum, infra ostendemus. Fragmenta et excerpta ejus plurima legimus apud Photium, et alios auctores; ex quibus præcipue ipsius de Filio Dei sententiam ac fidem colligemus. In libro de Martyribus apud Theodoretum [q] Christum nominat "Dominum "et Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est esse "æqualem Deo." *Quæ* (Petavio [r] etiam judice) ***non nisi in Deum verum cadere possunt.*** Idem in libro Περὶ τῶν γενητῶν, (apud Photium cod. 235.) ad verba S. Joannis cap. i. ***In principio erat Verbum,*** &c. hæc annotat; Τὴν μὲν γὰρ ἀρχὴν, ἀφ' ἧς ἀνεβλάστησεν ὁ ὀρθότατος λόγος, τὸν πατέρα καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων φατέον, ἐν ᾧ ἦν. τὸ δὲ, Οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, τὸ ἐξουσιαστικὸν τοῦ λόγου, ὃ εἶχε παρὰ τῷ Πατρὶ, καὶ πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἰς γένεσιν παρεχθεῖν, ἔοικε σημαίνειν, τὴν ἐξουσίαν ἀρχὴν εἰπών· "Principium enim, a quo germinavit "verissimum Verbum, dicendum est esse Patrem "universi Conditorem, in quo erat. Illud autem, "***Hoc erat in principio apud Deum,*** potestatem "sive dominationem Verbi, quam habuit apud Pa- "trem etiam antequam mundus crearetur, signifi- "care videtur, cum potestatem *principium* appellet." Quibus in verbis dum ait, Verbum ex ipso Deo Patre, tanquam ex radice sua, progerminasse, in ipso esse et fuisse, apud ipsum τὸ ἐξουσιαστικὸν, ***potestatem,*** auctoritatem, sive dominationem habuisse antequam res creatæ existerent, omnino Verbi τὸ ὁμοούσιον declarat, et Verbum illud e censu rerum ex nihilo

[q] Dial. I. p. 37.

[r] Præfat. in tom. II. 4. 5.

creatarum et in servili conditione positarum eximit. Sed et notandum, hoc in libro Methodium ex professo impugnare Origeni attributum errorem, quo res creatas ab æterno cum Deo extitisse hac ratione probasse dicebatur, quod alioqui Deus ab æterno Dominus non fuisset; cum scilicet nihil ab æterno existeret, in quod dominatum exercere posset. Adversus hoc commentum egregie ostendit Methodius, Deo Patri et Filio τὸ ἐξουσιαστικὸν competisse, etiam antequam quicquam ex rebus creatis existeret; siquidem ab æterno Deus Pater, cum Verbo suo, omnipotenti virtute polleret, qua, quando voluerit, creaturas producere posset, quibus dominaretur: interea vero Deo nihil defuisse; quippe qui ab æterno perfectissime beatus fuerit, neque quicquam ex rebus postea creandis ad consummandam suam felicitatem desideravit. Idem Methodius in Symposio[s] Christum dicit Filium Dei εἶναι, οὐ γεγονέναι, *esse, non fieri;* hoc est, natura, non per creationem sive adoptionis 165
jure, Filium Dei esse. Sed et ibidem ait, Filium Dei existentiæ suæ neque initium habuisse, nec finem habiturum; sed εἶναι ἀεὶ τὸν αὐτὸν, *eundem semper esse;* quod sane soli vero Deo competit, saltem ex Methodii sententia, qui in citato libro Περὶ γενητῶν, contra Origenem, seu potius Origenis interpolatorem, æternitatem mundi asserentem, multis argumentis contendit, quicquid omni initio caret, ἀγένητον, *increatum* esse, nihilque æternum esse præter Deum[t]. Integrum

[s] Apud Photium cod. 237. p. 959.

[t] Πῇ δὴ οὖν, ὦ ἠλίθιοι, οἴεσθε τὴν κτίσιν, συναπέραντον οὖσαν τῷ δημιουργῷ, μὴ δεῖσθαι τοῦ δημιουργοῦ; τὸ γὰρ συναπέραντον, μηδαμῶς ἀρχὴν γενέσεως ἔχον, καὶ συναγένητον, καὶ ἰσοδύναμον ἀνάγκη τυγχάνειν. Methodius apud Phot. cod. 235. p. 938.

Methodii locum recitabimus sect. III. de Filii τῷ συναϊδίῳ c. 4. §. 7.

10. His tam disertis opponit Petavius [u] unam Methodii sententiam, quam ex libro Περὶ τῶν γενητῶν recitat Photius cod. 235.[x] his verbis conceptam; Δύο δὲ δυνάμεις ἐν τοῖς προωμολογημένοις ἔφαμεν εἶναι ποιητικάς· τὴν ἐξ οὐκ ὄντων γυμνῷ τῷ βουλήματι χωρὶς μελλησμοῦ [y], ἅμα τῷ θελῆσαι, αὐτουργοῦσαν ὃ βούλεται ποιεῖν· τυγχάνει δὲ ὁ Πατήρ· θατέραν δὲ κατακοσμοῦσαν καὶ ποικίλλουσαν κατὰ μίμησιν τῆς προτέρας τὰ ἤδη γεγονότα· ἔστι δὲ ὁ υἱὸς, ἡ παντοδύναμος καὶ κραταιὰ χεὶρ τοῦ Πατρὸς, ἐν ᾗ μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν ὕλην ἐξ οὐκ ὄντων κατακοσμεῖ. i. e. "Duas in supra-"dictis affirmabamus esse potentias effectrices; "unam, quæ ex non extantibus, nuda voluntate, "sine cunctatione, simul ac voluit, a seipso molitur, "quicquid vult facere; eaque est Pater: alteram, "quæ componit, et varietate quadam exornat, ad "prioris imitationem, quæ jam facta sunt; et est "Filius, omnipotens ac fortis manus Patris, in qua "postquam fecit materiam ex non extantibus, exor-"nat." Tria hic reprehendit Petavius, tanquam a catholicæ fidei regula dissona; primo quod Methodius δυνάμεις duas appellet Patrem et Filium; tum quod alteram virtutem, id est Patrem, αὐτουργεῖν, a se moliri et creare, Filium vero a Patre, atque ad ipsius imitationem, operari dicat; denique quod Patri rerum ex nihilo creationem attribuat, velut excluso Filio, cui tantum rerum jam creatarum exornationem concedit. Sed hæc omnia catholicum sen-

[u] De Trin. I. 4. 12. [x] Pag. 938.

[y] [In editione quam Bullus evolvebat μελισμοῦ legimus, *distinctione partium*. Nescio an μελλησμοῦ proprio marte ipse effinxerit.]

sum facile admittunt, adeoque postulant; unde neque ipse Photius quicquam in verbis istis culpavit. Ad primum quod attinet, potiori jure Pater et Filius δύο δυνάμεις a Methodio dicuntur, quam δύο φύσεις sive οὐσίαι ab aliis Patribus appellantur, qui pro catholicis tamen et orthodoxis in hoc articulo habiti sunt; scilicet hæ voces omnino personaliter, ut dici solet, accipiuntur, ut supra ostendimus. Ad secundum, Patrem solum αὐτουργεῖν, hoc est, a seipso operari, quis catholicus negaverit? quippe Patris hoc proprium est, ut a seipso existat et operetur; Filius vero et esse et operari, ut loquuntur, suum Patri tanquam auctori acceptum refert. Quo respectu etiam Filius dicitur quasi ex imitatione Patris opera sua facere. Vide Joan. v. 19. et Maldonatum in locum. Sensum Methodii aliorumque Patrum, ut et S. Scripturæ, optime expressit Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVI.[z] his verbis; Δῆλον ὅτι τῶν αὐτῶν πραγμάτων τοὺς τύπους ἐνσημαίνεται μὲν ὁ Πατὴρ, ἐπιτελεῖ δὲ ὁ λόγος, οὐ δουλικῶς, οὔτ' ἀμαθῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς τε καὶ δεσποτικῶς, καὶ, οἰκειότερον εἰπεῖν, πατρικῶς. i. e. "Ma-
" nifestum est quod rerum earundem formas (in
" ipso) imprimit Pater; exequitur autem Verbum,
" non serviliter, nec imperite, sed scienter et herili-
" ter, et, ut aptius loquar, paterne." Plura hac de re ibidem legas notatu digna. Nazianzeni vero dictum ipse Petavius alicubi[a] approbat, ad idem hæc porro annotans; "Unde constet, Patrem indicare
" Filio, vel eum docere quid faciendum sit, et quasi
" monstrando præire, nihil aliud esse, nisi eidem,
" una cum natura et essentia, rerum faciendarum

[z] Tom. I. p. 584. ed. Par. 1630. [Orat. XXX. 11. p. 547.]
[a] De Trin. II. 4. 6.

" intelligentiam, et earum formas atque ideas com-
" municare gignendo." Denique ad id quod post-
remo in loco reprehenditur, nempe quod Patri re-
rum ex nihilo creationem attribuat Methodius, quasi
excluso Filio, non difficilis est responsio. Scilicet
non magis a creatione rerum Filium excludit, quam
a rerum jam creatarum exornatione Patrem. Imo
in postremis verbis loci allati non obscure dicit, Pa-
trem per Filium, sive in Filio, et materiam creasse,
et ipsam exornasse. Præterea quomodo censendus
est Methodius dixisse, Patrem sine Filio res ex ni-
hilo creasse, eo ipso in loco, ubi Filium expresse vo-
cat omnipotentem Patris manum? an quicquam Pa-
ter fecit aut creavit absque omnipotenti sua manu?
Quid igitur? omnino hic repetenda sunt, quæ supra[b]
ad similem Origenis locum illustrandum ex Huetio
adduximus. Eorum summa hæc est; Quamvis una
eademque sint S. Trinitatis extranea opera, quædam
tamen, tum in S. literis tum in veterum scriptis, Pa-
tri assignari solent, alia Filio, alia Spiritui Sancto.
Sic a Methodio hic Patri præcipue attribuitur crea-
tio rerum, tanquam divinitatis fonti; Filio vero as-
166 cribitur rerum jam creatarum sapiens ordinatio, dis-
positio, et exornatio; quippe qui ratio, consilium, et
sapientia Patris dici soleat. Hæc quidem qua ra-
tione dicta sint, plene assequi haud possumus; sed
stultum prorsus et temerarium est, ea in his myste-
riis mox rejicere, quæ nos homunciones satis expli-
care nequeamus. Methodium vero nunquam som-
niasse, rerum creationem Patri ita attribuendam, ut
Filius excludatur, certum est. Nam ex hoc ipso
libro Περὶ τῶν γενητῶν locum Methodii citat Photius

[b] Vide hujus sect. c. 10. §. 9. [p. 379.]

in eodem codice 235.[c] idque mox post verba, quæ vellicat Petavius, in quo rerum creatio Filio etiam diserte ascribitur. Nam ad verba illa Geneseos, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ita disserit ibidem Methodius; Ἀρχὴν δὲ αὐτὴν τὴν σοφίαν λέγων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι. λέγεται γὰρ παρά τινι τῶν ἐκ τοῦ θείου χοροῦ λέγουσα περὶ αὐτῆς τὸν τρόπον τοῦτον· Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, εἰς ἔργα αὐτοῦ, πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με. ἦν γὰρ ἀκόλουθον καὶ πρεπωδέστερον, πάντα ἃ εἰς γένεσιν ἦλθον, εἶναι ταύτης νεώτερα, ἐπεὶ καὶ δι' αὐτῆς γεγόνασιν. i. e. "Is, "qui principium ipsam dixerit Sapientiam, non ab- "errabit. Dicitur enim apud quendam e cœtu sacro "scriptorum sic de seipsa loqui, *Dominus condidit* "*me initium viarum suarum ad opera sua, ante* "*sæcula fundavit me.* Erat enim consequens et "decentius, omnia quæ creata sunt, esse hac poste- "riora, cum et per ipsam facta sint." Ubi constat per *Sapientiam* intelligi Dei Filium.

11. Methodio præterea objicit Sandius[d] incommodas de Trinitate sententias, quas in Symposio observavit ejusdem editor Possinus. Sed ad hanc objectionem responsum nobis suppeditat Photius, qui cod. 237. de libro Methodii, *Symposion* inscripto, expresse monuit, ipsum, jam sua ætate, maximam partem depravatum atque ab hæreticis interpolatum fuisse. Verba Photii[e] hæc sunt: Σημειωτέον, ὡς οὗτος ὁ διάλογος, ᾧ ἐπιγραφὴ Συμπόσιον, ἢ Περὶ ἁγνείας, παρὰ πολὺ νενοθευμένος ἐστίν. εὑρήσεις γὰρ ἐν αὐτῷ παραβεβλημένας καὶ Ἀρειανικὰς δοξοκοπίας, καὶ ἑτέρων τινῶν κακοδοξούντων μυθολογήματα. i. e. "Notandum, Dialogum "hunc, qui *Symposion* inscribitur, sive *de Castitate*, "magnam partem adulteratum esse; offendes enim

[c] Pag. 939. [d] Enucl. Hist. Eccl. I. p. 128. [e] Pag. 963.

" in illo adjectas et Arianas vanasque opinationes, " aliasque male sentientium fabulas." Ubi illud etiam mecum observabit lector, Photium, quod de solo Methodii Symposio monendum duxerit, multa in ipso Ariana additamenta, ut et aliorum hæreticorum nugas, reperta fuisse, eo ipso non obscure significare, in cæteris ejusdem scriptis, qualia ipsius ætate extiterunt, nihil ejusmodi occurrisse. Etenim quomodo potuit Photius adulteratum fuisse Methodii Symposion hac ratione colligere, quod in eo opere Arii vanæ opinationes passim occurrerent, nisi ex cæteris ejus scriptis (quæ multa fuere) ipsi certo constitisset, constantem ejus de Filio Dei doctrinam Arianis deliramentis prorsus contrariam fuisse? certe præclarum hoc est Methodii eo in articulo ὀρθοδοξίας argumentum. Interim in hoc ipso Symposio non pauca hodieque supersunt genuinæ Methodii de Filio Dei doctrinæ vestigia; quorum nonnulla nos ex Photio jam indicavimus, plura facile indicaturi, si illud operæ pretium fore existimaremus. Sed de Methodio satis.

167 ## ANNOTATA J. E. GRABE

DE S. LUCIANO MARTYRE.

AD Luciani orthodoxiam confirmandam haud parum conducunt Suidæ de eo verba, sic sonantia; Τὴν καθαρότητα τῶν θείων δογμάτων παρὰ τούτῳ τὶς ἂν κάλλιστα τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον γενομένων ἐπ' ἄκρον εὕροι φυλαττομένην. ἐξέθετο γὰρ καὶ ἐπιστολὰς ἀμέλει γενναιοτάτας, ἐξ ὧν φοράσαι τις ἂν εὖ μάλα ῥᾳδίως, ἥν ὁ ἀνὴρ περὶ τῶν θείων ἔσωζε γνώμην. " Puritatem di- " vinorum dogmatum apud hunc ex omnibus illius ætatis " viris pulcherrime summoque studio conservatam inve- " nias. Nam et Epistolas edidit profecto præstantissimas, " ex quibus quivis facillime deprehendat, quænam fuerit " hujus viri de rebus divinis sententia." Cui testimonio

Suidæ eo plus tribuendum est, quia ex ipsis Luciani quas laudat Epistolis fidem dicto facit; quæ si superstites essent, certiores adhuc ea de re fieri possemus. Sed illæ omnes periere; nec nisi unicum, quod sciam, unius fragmentum nobis conservatum est ab auctore Chronici Alexandrini ad A. C. 303.

DE S. METHODIO.

Dum Methodii Convivium Virginum tom. III. Bibliothecæ Maximæ Patrum, ubi Latine solum extat [f], perlegi, hæc de vera Christi Deitate et S. Trinitatis mysterio dicta mihi occurrerunt. Oratione I. p. 678. F. de λόγῳ ita loquitur; "Eo "consilio elegit humanam carnem, Deus ipse cum esset, "induere, ut velut in tabula divinum exemplar vitæ propo- "situm intuentes, pictoris in exprimendo fidelitatem imi- "taremur [g]. Orat. II. p. 681. G. H. "Christum" dicit "hominem mera divinitate et perfecta plenum, et Deum in "homine quodammodo inclusum [h]." Et paulo post, "Quo- "niam enim ipse verissime erat, et est, in principio existens "apud Deum, et Deus existens, Imperator et Pastor cœ- "lestium, &c.[i]" Orat. V. p. 686. B. "Mentio," inquit, "ternarii inspergitur ad insinuandam sanctæ ac bene omi- "natæ Trinitatis necessariam notionem [k]." Denique Orat. VIII. p. 693. G. H.[l] postquam mentionem fecerat hæretico-

[f] [Præter editionem a Bullo nominatam in pag. 457. Græce extat in Bibliothecæ Græcorum Patrum Auctario a Combefisio edito, Paris. 1672.]

[g] [Ταύτῃ γὰρ ᾑρετίσατο τὴν ἀνθρωπίνην ἐνδύσασθαι σάρκα Θεὸς ὤν, ὅπως ὥσπερ ἐν πίνακι θεῖον ἐκτύπωμα βίου βλέποντες ἔχωμεν καὶ ἡμεῖς τὸν γράψαντα μιμεῖσθαι. p. 70.]

[h] [Τοῦτο γὰρ εἶναι τὸν Χριστὸν, ἄνθρωπον ἀκράτῳ θεότητι καὶ τελείᾳ πεπληρωμένον, καὶ Θεὸν ἐν ἀνθρώπῳ κεχωρημένον. p. 79.]

[i] ['Επειδὴ γὰρ αὐτὸς ὡς ἀληθῶς ἦν τε καὶ ἔστιν, ἐν ἀρχῇ ὢν πρὸς τὸν Θεὸν, ὁ ἀρχιστράτηγος καὶ ποιμὴν τῶν κατ' οὐρανόν. p. 80.]

[k] [Τὸ συμβολικῶς δάμαλιν ἔφη καὶ αἶγα καὶ κριὸν τριετίζωντα, οἱονεὶ τὴν γνῶσιν ἀκακέμφατον τῆς τριάδος ἐπαγγελλόμενα. p. 92.]

[l] [Περὶ ἑνὸς τῶν ἀριθμῶν τῆς τριάδος διεσφαλμένοι, ὅτε μὲν τὸν τοῦ Πατρὸς—ὅτε δὲ τὸν τοῦ υἱοῦ—ὅτε δὲ περὶ τὸν τοῦ πνεύματος. p. 113.]

rum, qui " circa unum ex numeris Trinitatis delusi errant; " aliquando quidem circa Patrem—aliquando circa Filium " ——aliquando circa Spiritum Sanctum;" de orthodoxa catholicæ ecclesiæ fide, per mille ducentos sexaginta dies Apocal. xii. mystice, juxta Methodii sententiam, designata, sequentia subjungit; " Mille porro ducenti sexaginta dies, " per quos hic sumus in peregrinatione, Patris est, et Filii, " et Sancti Spiritus, secundum rectam fidem exacta et " optima cognitio, qua gaudet mater nostra, ex eaque ali- " tur et crescit, &c.[l]" Cæterum prostat quidem unus insuper et alter Methodii tractatus, e quibus plura eaque luculentissima pro Filii ὁμοουσίῳ et catholica S. Trinitatis professione testimonia allegari possent; sed ab iis abstineo, quod tractatus isti aut supposititii, aut interpolati esse videantur. De quibus, Deo volente, in Spicilegio Patrum Seculi III. dicam.

168

CAP. XIV.

Sententia ac fides, de vera Filii divinitate, Arnobii Afri et Lactantii declaratur. Sectio secunda de τῷ ὁμοουσίῳ brevi epilogo concluditur.

1. DUO reliqui sunt scriptores, qui synodum Nicænam paulo antecesserunt, Arnobius et Lactantius, magister et discipulus. Horum prior Arnobius sub Diocletiano principe Siccæ apud Africam florentissime rhetoricam docuit [m], referente Hieronymo Catal. Script. Eccl. cap. 90.[n] qui etiam in Chronicis ad ann. 20. Constantini narrat, eundem Arnobium, cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopis impetraret

[l] [Αἱ δὲ χίλιαι καὶ διακόσιαι ἡμέραι καὶ ἑξήκοντα, ἃς ἐνθάδε ἐσμὲν εἰς ἐπιδημίαν, ἡ περὶ τοῦ Πατρός ἐστιν καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος κατ' εὐθεῖαν ἀκριβὴς καὶ ἀρίστη σύνεσις, ᾗ γέγηθεν ἡμῶν ἡ μήτηρ αὐξανομένη. p. 114.]

[m] Claruit circa an. 303. *Cave.* BOWYER.

[n] [Vol. II. p. 903.]

fidem, quam semper impugnaverat, elucubrasse adversus pristinam religionem luculentissimos libros, et tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrasse. Libri illi numero septem fuere, adversus gentes inscripti; qui, post varias editiones alias, tandem elegantissimis characteribus impressi, una cum eruditissimis variorum Commentariis prodiere Lugduni Batavorum in quarto ann. 1651. quam editionem nos sequemur. In eo opere veram ille Filii divinitatem sæpius atque apertissimis verbis confitetur. In libro primo de Christi miraculis agens, ita scribit [o]: "Atqui constitit Christum sine ullis admini-
"culis rerum, sine ullius ritus observatione, vel lege,
"omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate fe-
"cisse; et quod proprium, consentaneum, dignum
"Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opi-
"ferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis,
"potestatis munificæ liberalitate donasse." Ubi Christum Deum verum diserte pronuntiat. Huic geminus est locus, qui in eodem libro, post aliquam-multa, sequitur; ubi postquam Christum dixerat, "æqualiter bonis malisque subvenisse [p]," hæc subjungit, "Hoc est enim proprium Dei veri potentiæque
"regalis, benignitatem suam negare nulli." In eodem libro, ethnico quærenti, "si Deus fuit Christus,
"cur forma est in hominis visus, et cur more est in-
"teremptus humano?" ita respondet [q]; "An aliter
"potuit invisibilis illa vis, et habens nullam substan-
"tiam corporalem, inferre et commodare se mundo,
"conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod teg-
"men materiæ solidioris assumeret, quod oculorum
"susciperet injectum, et ubi se figere inertissimæ
"posset contemplationis obtutus? quis est enim

[o] [Pag. 25.] [p] Pag. 29. [q] Pag. 37.

" mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere,
" si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primi-
" genia natura est, et qualem se ipse in sua esse vo-
" luit vel qualitate vel numine? Assumpsit igitur
" hominis formam, et sub nostri generis similitudine
" potentiam suam clausit, ut et videri posset et con-
" spici." Ibidem, paucis interjectis, hæc sequuntur:
" Sed more est hominis interemptus; non ipse;
" neque enim cadere divinas in res potest mortis oc-
" casus, nec interitionis dissolutione dilabi id, quod
" est unum et simplex, nec ullarum partium congre-
" gatione compactum. Quis est ergo visus in pati-
" bulo pendere, quis mortuus est? homo, quem in-
" duerat, et secum ipse portabat." Ubi potiorem Christi naturam dicit " rem divinam, incorruptibi-
" lem, unam et simplicem, nullarum partium con-
" gregatione compactam," quæ nulli creatæ naturæ attribui possunt.

2. Sed non opus est per hasce ambages lectorem ducere. Duo loca proferam, in quibus Arnobius absolutam Filii divinitatem ex professo, et verbis veluti solis radio descriptis, declarat. In libro illo primo, ad gentilium objectionem, " Natum hominem coli-
" tis," his verbis respondet[r]; " Etiamsi esset id
" verum, tamen pro multis et tam liberalibus donis,
169 " quæ ab eo profecta in nobis sunt, *Deus* dici appel-
" larique deberet. Cum vero Deus sit re certa, et
" sine ullius rei dubitationis (leg. redubitationis)
" ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam
" maxime illum a nobis coli, et Præsidem nostri cor-
" poris nuncupari? Ergone, inquiet aliquis furens,
" iratus et percitus, Deus ille est Christus? Deus,
" respondebimus, et interiorum potentiarum Deus;

[r] Pag. 24.

" et quod magis infidos acerbissimis doloribus tor-
" queat, rei maximæ causa a summo Rege ad nos
" missus." Locus alter, in eodem etiam libro [s], sic habet; " Nihil, ut remini, magicum, nihil huma-
" num, præstigiosum, aut subdolum, nihil fraudis
" delituit in Christo, derideatis licet ex more atque
" in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille
" sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab in-
" cognitis regnis, et ab omnium Principe Deus Sospi-
" tator est missus; quem neque sol ipse, neque ulla,
" si sentiant, sidera, non rectores, non principes
" mundi, non denique dii magni, aut qui fingentes
" se deos genus omne mortalium territant, unde
" aut qui fuerit, potuerunt noscere vel suspicari." Hisce in locis expresse docet Arnobius, Filium dici Deum, non modo abusive, (quomodo angeli, magistratus, et viri præstantissimi dii nonnunquam vocantur,) sed re certa et sine ambiguo, id est, verissime et maxime proprie; quod impiorum Arianorum πανουργίαν plane condemnat, qui Filium quidem Deum dicere non recusabant, sed ambiguo nominis usu bonos viros fefellerunt. Eundem porro dicit Deum sublimem, Deum radice ab intima, Deum Sospitatorem, Deum quam maxime colendum, denique Deum incomprehensibilem, quem nulla creatura capere possit; quibus quid magnificentius de Filio Dei enuntiari poterat? Si cui autem illud offendiculo sit, quod Arnobius interim Patrem appellet *summum Regem* et *omnium Principem*; sciat ille et meminerit, (quod sæpius cogor repetere,) omnino hoc referendum ad illam ἐξοχὴν, quæ Patri competit, quatenus est fons et caput divinitatis, quam et sacri scriptores et Patres, tam Nicæni quam Antenicæni,

[s] Pag. 32.

sartam tectam conservatam voluere; de qua suo loco fusius agemus.

3. Et hunc tamen Arnobium inter scriptores Antenicænos, qui Ario in hæresi ejus præiverunt, collocat Sandius. Nam in Indice sive Elencho libri sui scribit, "Arnobius cum Ario sensit." Ibidem autem remittit lectorem ad paginam libri sui 127. Age videamus, quomodo ibi probet, Arnobium cum Ario sensisse? "Arnobius," inquit, "docuit, religiosum "esse, Deum ingenitum credere; Deum verum oportere nunquam esse genitum; Deum solum esse ingenitum; unum esse rerum Patrem, immortalem, "atque ingenitum, solum, nihilque omnino ante illum: sequi, hos omnes, quos opinatio credidit deos "esse mortalium, aut ab eo esse genitos, aut eo jubente prolatos esse; et si prolati et geniti fuerint, "posterioris esse ordinis et temporis; si ordinis "posterioris et temporis, ortus necessario habere, et "exordia nativitatis et vitæ; non esse verum Deum, "qui habeat patrem, matrem, avos, avias, fratres, et "nunc nuper in utero matris suæ formatus sit, decemque mensibus absolutus et consummatus, qui "conceptus et natus muliebri alvo esset, qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis; "Deum enim omnipotentem non esse genitum, sed "ingenitum." Se hic omnino vel negligentissimum scriptorum Arnobii lectorem, vel certe egregium sophistam et prævaricatorem ostendit Sandius. Quis enim sanæ mentis, qui Africanæ eloquentiæ principem illum unquam attente perlegit, nescire potest, ista omnia ab ipso dicta fuisse adversus ethnicorum superstitionem, qui *meros* homines, juxta secum ortum et interitum habentes, divino cultu prosequerentur? Nunquid hæc contra Christi Θεανθρώπου ve-

ram divinitatem quicquam faciunt? Imo ipsam confirmant. Cum enim docuerit in locis indicatis Arnobius, fatente Sandio, Deum verum oportere esse ingenitum, id est, increatum, et exordium nativitatis non habentem, hoc est, æternum; et tamen sæpius atque apertissime (ut vidimus) affirmaverit, Christum esse omnino Deum verum; hinc clare sequitur, Christum potiori sua natura, cujus respectu Deus verus appellatur, ex Arnobii sententia, omnino increatum atque æternum esse. Sic ex eo quod docuerit idem Arnobius, verum Deum unum esse, et tamen simul docuerit, Filium perinde ac Patrem esse verum Deum, hinc certo colligimus, credidisse Arnobium, Filium esse unum cum Patre Deum, licet persona diversum. Quod ibidem subjungit Sandius, docuisse nempe Arnobium, "Christum venisse in "mundum, ut summi Regis imperium servaret," illud omnino catholicum est; quatenus scil. ad Filii exinanitionem, qua, assumpta servi forma, Deo Patri obediens factus est, refertur, prout omnino referri debet. Sane piget pudetque cavillationes tam insulsas toties refellere.

4. De Lactantii[s] doctrina nunc paucis agemus, cujus explicatio sectioni huic secundæ satis prolixæ 170
finem imponet. Erat scriptor ille pene rudis disciplinæ Christianæ, et in rhetorica melius quam in theologia versatus. Unde ipsum Damasus papa scholasticum magis quam ecclesiasticum censuit; et Hieronymus ob sermonis potius elegantiam, quam accuratam evangelicæ doctrinæ scientiam commendavit. Certe nunquam inter ecclesiæ doctores numeratus fuit; ut vix operæ pretium videatur inquirere,

[s] Lactantius floruit an. 303. *Cave.* BOWYER.

quid iste de hac quæstione sive senserit sive scripserit. Sed vide, lector, et mirare vim catholicæ traditionis. Is ipse Lactantius, quanquam alicubi, ex imperitia sacrarum Scripturarum et doctrinæ ecclesiasticæ, de modo generationis Filii perabsurda ac prorsus ridicula tradiderit [t], (si modo Lactantius sit, qui ista tradidit,) tamen ipsum hujus dogmatis τὸ ὑπερέχον non ignoravit, eaque adeo scriptis suis docuit quæ apprime catholica sunt, et Arianæ hæresi ex diametro repugnant. Nam Filium Dei unius esse cum Patre substantiæ, unumque Deum, totum Patris continere et capere clare affirmat. En loca diserta. In libro IV. 29. ethnicorum objectionem, adversus Christianorum de Filio Dei doctrinam, proponit his verbis: "Fortasse quærat aliquis, quomodo, "cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen "esse asseveremus, Deum Patrem et Deum Filium; "quæ asseveratio plerosque in maximum impegit "errorem. Quibus cum probabilia videantur esse "quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, "quod et alterum et mortalem Deum fateamur." Ad hanc vero objectionem ita ad verbum respondet; "De mortalitate jam diximus; nunc de unitate do-"ceamus. Cum dicimus Deum Patrem et Deum "Filium, non diversum dicimus, nec utrumque se-"cernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, "nec Filius a Patre secerni; siquidem nec Pater "sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre "generari. Cum igitur et Pater Filium faciat, et "Filius Patrem, una utrique mens, unus Spiritus, "UNA SUBSTANTIA est; sed ille quasi exuberans "fons est, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille

[t] Vid. III. 10. 20.

" tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus; qui " quoniam summo Patri et fidelis et carus est, non " separatur, sicut nec rivus a fonte, nec radius a " sole; quia et aqua fontis in rivo est, et solis lumen " in radio." Si cum Ario sensisset Lactantius, certe longe aliter ad hanc objectionem respondisset, nempe in hunc fere modum; Multum falsi estis, O philosophi, qui nos Christianos, Deum Patrem et Deum Filium prædicantes, existimetis duos revera Deos inducere; siquidem alio prorsus sensu Patrem, alio Filium Deum nuncupamus; quippe Patrem solum vere ac proprie, Filium vero abusive et improprie Deum dicimus; cum hic sit revera pura puta creatura, ab essentia Dei aliena et ex nihilo facta, per adoptionem et gratiam tantum in divini nominis honorem ac dignitatem adscita. Verum nihil hujusmodi somniavit Lactantius; notior erat catholica de Filio Dei doctrina, quam ut ista deliramenta pro Christianorum placitis vel ipse venditaret. Quomodo igitur nodum solvit? fatetur, ex Christianorum sententia, Filium perinde ac Patrem vere ac proprie Deum dici; quippe cui cum Patre non modo una mens, sed et unus Spiritus, et una substantia sit, (quod ipsum Patres Nicæni voluere, cum Deum Patrem et Deum Filium ὁμοουσίους decernerent,) duos tamen Deos apud Christianos neutiquam prædicari strenue contendit. Id vero duplici ratione explicat; primo, Deus Pater et Deus Filius non separatim, ut duo homines, sed indivisi ab invicem existunt, ita ut Pater sit in Filio, et Filius in Patre; plane quemadmodum sol et radius, fons et rivus neutiquam a se invicem separantur. Deinde unus est fons et principium divinitatis, nempe Pater; a quo Filius, tanquam radius a sole, aut rivus a fonte, derivatur.

Quid magis catholice dici potuit? scilicet eadem plane ratione orthodoxi Patres omnes, tam Antenicæni, quam qui post Nicænum floruere concilium, unitatem Patris et Filii explicarunt, uti infra ostendetur. Hic quidem illud reprehendunt nonnulli, quod Lactantius Deum Patrem exuberanti fonti comparet, quasi scilicet Filius esset rivulus tantum ex isto fonte, et diminuta paternæ substantiæ portio. Verum iniqui prorsus mihi semper visi sunt, qui similia, ad illustrandum utcunque divinæ generationis inenarrabile mysterium a veteribus adhibita, ita ad vivum resecant[u]; certe nihil ejusmodi voluisse Lactantium, manifestum est ex verbis ejus expressis, quæ in eodem capite sequuntur; "Quapropter," inquit, "cum mens et voluntas alterius in altero sit, "vel potius una in utroque, merito unus Deus uter- "que appellatur; quia quicquid est in Patre ad Fi- "lium transfluit, et quicquid in Filio, a Patre de- "scendit." Si quicquid est in exuberante divinitatis fonte, qui Pater dicitur, id omne ad Filium trans-
171 fluit; (quod Lactantius diserte affirmat;) tum certe Filius non est, proprie loquendo, divinitatis portio, sed Deus ex Deo, totus ex toto, perfectus a perfecto; quemadmodum symbola Gregorii Thaumaturgi et Luciani martyris supra audivimus loquentia. Istis vero gemina sunt, quæ lib. II. 9. de Filio Dei dicit Lactantius; nempe quod Deus Pater ipso "et consi- "liatore usus est et artifice in excogitandis, ornandis "perficiendisque rebus; quoniam is et providentia, "et ratione, et potestate perfectus est." Nihil igitur diminutum aut imperfectum in Filio Dei somniavit Lactantius. De Lactantio hactenus.

[u] Vide quæ ad Tertullianum disseruimus hujus sectionis cap. 7. §. 5. [p. 261.]

5. Itaque tandem luculentissimis testimoniis, e singulis scriptoribus Antenicænis, quorum vel integra scripta, vel fragmenta saltem aliqua reperire potuissemus, adductis, thesim nostram secundam abunde comprobavimus, quæ hæc fuit; "Filium Dei Deo "Patri ὁμοούσιον, sive consubstantialem, hoc est, non "creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejus- "dem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ et in- "commutabilis, proinde verum Deum ex Deo vero "esse, catholicorum doctorum, qui tribus primis sæ- "culis floruerunt, constans concorsque fuit senten- "tia." Si quis autem miretur, quod sectio nostra secunda in hanc longitudinem excreverit, cogitet is velim, nos hic τὸ ὑπερέχον dogmatis de Filii divinitate ex scriptis veterum explicasse; in reliquis vero de ejusdem consectariis tantum et consentaneis acturos. Hic vertitur controversiæ cardo; quare hic opera nostra præcipue collocanda fuit. Adde quod in hac sectione plerique trium priorum sæculorum scriptores primum commemorandi veniunt, quorum lectoris intererat aliqua ex parte cognoscere historiam; qua semel cognita, non opus erit in sequentibus de eorundem ætate, auctoritate, aliisque ad ipsos pertinentibus quicquam monere. Multa quoque hic veterum scripta primum citantur, de quibus an vere auctorum sint, quorum nomina præ se ferunt, inter eruditos controversia est. Hujusmodi criticis disceptationibus (ad quæstionem, qua de agitur, dirimendam apprime necessariis) multum operæ nostræ in hac sectione impenditur. Semel autem unicuique auctori genuinis ejus scriptis vindicatis, spuriisque abjudicatis, deinceps haud fere necesse erit, quoties auctores illos scriptave eorum iterum citaverimus, istis altercationibus lectorem morari. Verbo dicam,

ut non video, quomodo lectori studioso plene satisfecissem, si in hac sectione secunda explicanda et confirmanda brevior fuissem, ita spero me ad sectiones sequentes ea dicturum, quæ æquo saltem lectori sufficiant. Ad reliqua igitur nunc, cum bono Deo, progrediamur.

172 ANNOTATA J. E. GRABE

DE S. PETRO, EPISCOPO ALEXANDRINO ET MARTYRE.

PATRIBUS Antenicænis, quos veræ Christi Deitatis testes adduxit doctissimus auctor noster, addere placet Petrum, ejus e qua Arius postea exiit ecclesiæ Alexandrinæ episcopum, qui pro Christiana fide martyrium circa annum Christi 311. obiit. Quippe ex illius libro Περὶ θεότητος, *de Deitate*, sequentia verba inter alia allegantur in concilio Ephesino Actione I. tom. III. concil. Labbei col. 507.[x] Θελήματι Θεοῦ ὁ λόγος σὰρξ γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, οὐ κατελείφθη[y] τῆς θεότητος· "Dei voluntate Verbum factum est "caro, habituque inventum ut homo non recessit a Dei-"tate." Et post pauca, Ὅθεν καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς ἀληθεύει λέγων, Ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· τότε δηλονότι, ἀφ' οὗ ὁ ἄγγελος ἠσπάσατο τὴν παρθένον, εἰπών, Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. τὸ γὰρ, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ, νῦν ἐστιν ἀκοῦσαι τοῦ Γαβριὴλ, ἀντὶ τοῦ, ὁ Θεὸς λόγος μετὰ σοῦ. "Quare "et evangelista quoque vera prædicat, dum ait, *Et Ver-"bum caro factum est, et habitavit in nobis;* tum videli-"cet, cum angelus Virginem salutavit, dicens, *Ave gratia "plena, Dominus tecum;* hoc est, Deus Verbum tecum "est." (Quæ et Actione VII. ejusdem concilii col. 835. iterum citata leguntur.) Et in eodem libro paucis interjectis rursum, Ὁ δὲ Θεὸς λόγος παρὰ τὴν ἀνδρὸς ἀπουσίαν, κατὰ βούλησιν τοῦ πάντα δυναμένου κατεργάσασθαι Θεοῦ, γέγονεν ἐν

[x] [Et apud Routh. Reliq. Sacr. III. p. 344.]

[y] [Οὐκ ἀπελείφθη Routh. e MS.]

μήτρᾳ τῆς παρθένου σὰρξ, μήτε δεηθεὶς τῆς ἀνδρὸς ἐνεργείας ἢ παρουσίας· "Deus autem Verbum, in absentia mariti, Dei, "qui quidvis efficere potest, voluntate in Virginis utero "incarnatus est, viri operatione aut præsentia ad hoc mi- "nime requisita." Atqui quod titulo Dei, in propria significatione accepto, Christum vere atque essentialiter Deum crediderit Petrus, patet ex ejusdem Homilia *de Adventu Salvatoris nostri*, ex qua hæc allegantur a Leontio lib. I. contra Nestorium et Eutychen; "Et Judæ dixit, *Osculo* "*Filium Dei tradis?* Hæc et his similia, et signa omnia "quæ fecit, et virtutes, demonstrant esse eum Deum fac- "tum hominem. Utraque itaque demonstrantur, et quod "erat Deus natura, et quod fuit homo natura[z]."

Cæterum Antenicænorum doctorum catholicorum testimoniis, pro Filii Dei τῷ ὁμοουσίῳ hactenus adductis, et hæreticorum quorundum istius ævi dicta addi possent; illorum scilicet, qui cum veritatem humanæ Christi naturæ negaverint, divinam tamen eidem concesserunt. Verum quod hæc non tanti momenti esse videantur, quodque partim fictum quidam Christum seu Filium Dei, ac commentitiam Patris Filiique Deitatem alii statuerint, ab istis recensendis abstinere placet.

[z] [Græca ex exemplari Leontii Byzantini in Biblioth. Bodl. asservato ita exhibuit Routh. p. 346. Καὶ τῷ Ἰούδᾳ φησὶ, Φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; Ταῦτα, τά τε τούτοις ὅμοια, τά τε σημεῖα πάντα ἃ ἐποίησε, καὶ αἱ δυνάμεις, δεικνῦσιν αὐτὸν Θεὸν εἶναι ἐνανθρωπήσαντα. Τὰ συναμφότερα τοίνυν δείκνυται, ὅτι Θεὸς ἦν φύσει, καὶ γέγονεν ἄνθρωπος φύσει.]

under no circumstances t
aken from the Building